



This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

- + *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
- + *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
- + *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
- + *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at <http://books.google.com/>

4^o Ital
132

Contareno

<36605882120010



<36605882120010

Bayer. Staatsbibliothek

ANECDOTA VENETA

NUNC PRIMUM COLLECTA

AC NOTIS ILLUSTRATA

S T U D I O

FR. JOANNIS BAPTISTÆ MARIÆ CONTARENI

ORDINIS PRÆDICATORUM

E CONGREGATIONE B. JACOBI SALOMONII VENETIARUM.

TOMUS PRIMUS.



V E N E T I I S

Typis PETRI VALVASENSIS

IN VIA MERCATORIA SUB SIGNO TEMPORIS.

MDCCLVII.

DE CONSENSU SUPERIORUM, ET PRIVILEGIO.

AMERICAN ANTHROPOLOGICAL ARCHIVES

AMERICAN ANTHROPOLOGICAL ARCHIVES

AMERICAN ANTHROPOLOGICAL ARCHIVES

AMERICAN ANTHROPOLOGICAL ARCHIVES

AMERICAN ANTHROPOLOGICAL ARCHIVES

AMERICAN ANTHROPOLOGICAL ARCHIVES

AMERICAN ANTHROPOLOGICAL ARCHIVES

AMERICAN ANTHROPOLOGICAL ARCHIVES

BAYERISCHE
STAATS-
BIBLIOTHEK
MÜNCHEN



AMERICAN ANTHROPOLOGICAL ARCHIVES

AMERICAN ANTHROPOLOGICAL ARCHIVES

AMERICAN ANTHROPOLOGICAL ARCHIVES

AMERICAN ANTHROPOLOGICAL ARCHIVES

III
FLAMINIO CORNELIO
SENATORI VENETO
PRÆSTANTISSIMO.

FR. JOANNES BAPTISTA MARIA CONTARENUS
FELICITATEM.



LUUM tibi sese sistit opus, dum Venetorum
Anedotorum Volumen, publicam lucem jam-
jam subiturnam, temporis plane impatiens, ac mora, ad
te sponte sua conuolet, SENATOR AMPLISSIME; tuam
* 2 inquam,

inquam, ut pote quod & te suadente suscepi, & opem mihi ferente nunc primum absolvi. Quæ plerique Majores nostri studiis addicti, scientiis exculti, plurimarumque rerum cognitione referti, scriptis olim mandarunt, aut nunquam perquirendi mens mihi, spesque fuisset, aut statim animo defecissem, nisi id oneris in me suscipiendi, aut jam suscepti sustinendi laboris, mihi auctor ipse extitisses. Rem igitur tibi exhibeo tuam, dum tuo clarissimo nomini opus inscribo, & cum pauca hæc Venetorum opuscula, pro modulo meo, illustrata, quasi literariae messis primitias, tibi devoveo, non tam munus offero, quam debitum reddo. Si quidem ad literarium hunc fætum, quem tuum dicere audeo, nimia ingenii mei tenuitate deformatam potius, quam rite efformatum respicere vellem, anteceptum consilium prorsus abiicerem, veritus ut quasi abortivum repellere malis, quam adoptare, nec sociari ullo modo patiaris genuinis præclarissimi ingenii tui fætibus, pluribus nempe Voluminibus, iisque omnigena eruditione refertis, quibus Venetam Turcellanam, Cretensem Ecclesiam illustrasti, deque S. Simonis Pueri Tridentini Martyris cultu apud Venetos, de B. Francisco Quirino Patriarcha Gradense, de Joanne de Benedictis ex ordine nostro ad Insulas Tarvisinas assumpto, de Francisco Fuscato Venetorum Duce, tandem de Andrea Donato Equite, abunde disseruisti. At pene labentem, excusso timore, erexit animum singularis morum tuorum suavitas, blandus omnino sermo, ac insignis, miro fœdere
cum

cum oris maiestate copulata, benignitas, quam in te mirantur omnes, ipse præ cæteris sum maxime expertus. Supremum, inquam, omni trepidationi jam vale dixi, quin illud quod offero a te excipiat eo humanissimo vultu, quem singulis, infima etiam fortuna, viris in sinum tuum convolantibus, aut patrocinia tua deposcentibus, exhibes, & minima etiam, quæ minus dignitatem tuam decent, obsequia non dedignaris. Tibi gratum quinimo, jucundumque futurum, nedum læto vultu excipiendum abs te, munus confido, ex quo non minimum splendoris accedit ei, quam ut Civis optimus, unice diligis, Patriæ tuæ; quæ Viros, non solum integritate morum, prudentia, animi fortitudine, rebus domi, forisque præclare gestis, celebratissimos, sinu suo fovit, sed & Minervæ, Musisque carissimos. Letanti, ex iis quæ proferam, aure percipies justissima Reipublicæ nostræ præconia, quam jampridem administrare cepisti, magistratus gerens amplissimos, tanta justitiæ integritate, ut unius procuratio, altioribus, iisque supremis viam incunctanter pararit. Celebrari jucundissime audies Conciwes nonnullos tuos, pietate morum, religionis zelo, utilitatis publicæ studio, æquitate, clementia, munificentia, cæterisque Viro Principe dignis virtutibus, præstantissimos, quorum ita imaginem refers, ut posteris esse ipse possis exemplar. Plura non dicam, ne meritis etiam laudibus ingenitæ animi tui moderationi displiceam. Id unum enixe, humiliterque depono, ut qui publicis licet muneribus, gravissimisque curis
dispen-

*distentus, literis vacas, & alios qua exemplo, qua
 verbo ad studia provocas, opus consilio, ac ope tua lu-
 cubratum, collocari in sinu tuo ad tutelam patiaris; &
 exiguum quidem munus, at certe non minimi obsequii
 pignus, quasi perenne venerationis, & observantiae
 meae monumentum, benigno, ut soles, animo ex-
 cipias.*

PRÆ-

P R Æ F A T I O.

LONGE nimis a literariæ Reipublicæ terminis vitam perpetuo illum duxisse, censebunt omnes, cui non innotuerit unquam: quam ad Eruditorum, ævi præcipue nostri, palatum sint lucubrationes, ac prisca, quæcumque ea sint, monumenta, quæ sive priorum parentum sententia, sive custodum potius incuria, cum privatis diu fuerint ergastulis mancipata, libere tandem permittuntur exire. Hospes sane in ea omnino esset, qui probe non nosset quam hilari vultu, quo manuum plausu, ac expansis excipiantur hæc ulnis, cum primo prodeunt. Quis quæso æquus rerum Iudex non lubens in eam sententiam descendat, optime de studiis meruisse eximios nonnullos Viros, qui nec tempori, nec labori parcentes, fortasse nec sumptibus, monumenta tenebris, nonnisi injuria, damnata undique conquiescere, ut illa libertate tandem, ac optata luce donarent; ex quibus si semel publici juris facta fuissent, disciplinis omnibus emolumentum plurimum, atque splendoris accedere posse non ambigebant? Non is ego profecto sum, qui tantorum merear Virorum adscribi collegio, aut sedem, eos inter repositam, mihi servari debere jure contendam; non enim meipsum ita me fallit amor, ut quam sit mihi curta supellex non noverim, aut alios latere posse confidam. Impudentiæ tamen non ad mihi vertatur in crimen, si perexiguum licet, quasi meam symbolam conferre audeo, dum pauca Venetorum opuscula typis nunc primum committo. Ut hæc, aliaque plurima, si Superis aliquando placeret

cèret, prælo consignarentur, desiderio jam tunc flagrare cæpi, cum avidissime legerem egregium fane, & numeris omnibus absolutum opus: *Della letteratura Veneziana* a Marco Fuscarenò Patricio Veneto, & D. Marci Procuratore, editum, ac bina pariter volumina evolverem, quæ Cl. P. F. Joannes ab Augustinis Ordinis Minorum, acerbo nimis fato, nuper nobis ereptus, *Notizie Istorico-Critiche intorno la vita, e le opere degli Scrittori Viniziani*, inscripta voluit; quibus singula Venetorum nostrorum opera, sive edita, sive numquam vulgata, recenscebantur. Plurima Majores nostros, elapsis præsertim sæculis studiis addictos, tum ligata, tum soluta oratione lucubrasse, inde deprehendimus; ex quibus plura jam penitus excidisse dolemus; alia delitescere alicubi haud temere suspicamur; aliqua tandem intra privatos lares contineri, aut in Bibliothecis novimus asservari. Tunc, inquam, primo peroptare cæpi, ut e nostris quicumque, cui ex gravioribus curis satis temporis esset, quemque Patriæ decus, & Concivium amor teneret, ea, quæ ex tanto naufragio hucusque evasere, colligendi, illustrandi, evulgandi in se onus susciperet. Quod mihi in votis tunc erat, a me nunquam tantandum fore putabam, cum parum mihi otii, ac valetudinis sit, ingenii vero minimum, postremo exteras lustrandi ædes, ut abditas has merces perquirerem, & quas prece obtinere non possem, ære compararem, nulla facultas. Attamen, ut consiliorum, ac eventuum non raro fert vicissitudo, cum alios feliciore ingenio, ac majori otio fruentes, ut hanc Spartam adornare vellent, sollicitarem; illi me vicissim urgenres, tametsi viribus imparem, humeros suppo-

supponere, vel reluctantem coëgere. Salebrosam sane provinciam statim me ingressum sensi, & rerum prævidi me penuriam passurum; non quod plurima, in omni ferme disciplinarum genere, Veneti nostri studiosissimi non scripta tradiderint; sed quia vel nuda supersunt Auctorum nomina lucubrationum plurimarum, & circa quæ versarentur argumenta, vix novimus; vel quia autographa longinqua vecta per æquora, & in ultimas, ut ita dicam, terras, arctissimæ custodiæ demandata iugemus; postremo quia, blattis potius, ac tineis brevi erodendos Codices, nonnulli ultro permittunt, quam vel eorum apographa, in literariæ Reipublicæ commodum evulganda, enixe postulanti- bus concedere velint: Sunt enim (verba sunt doctissimi Ludovici Antonii Muratorii) qui, una inscitia, ac imperitia suadente, ex his monumentis, si evulgentur, sibi, aut familiæ cuiuspiam undique timent, & pene exitium somniant. Aliis, quos non ignorantia sollicit, sed & vilis avaritia, aut turpis invidia occupat, placet suis incubare opibus, hæc est libras, quos fortasse ne legunt quidem, aut intelligunt, sepultos amant, neque sibi, neque ulli alii propterea profuturos. Nos pecuniæ avaros detestamur; simili, & fortasse graviori censura inurendi illi, qui cum literatorum reipublicæ tantopere prodesse possent, nolunt, & deperditum sibi stulte putant, quicquid e manuscriptis codicibus evulgatur; quamquam evulgare in eorum gloriam, omniumque commodum cedat, nec ipsis Codicum possessoribus idcirco depereat. Deinde quid facile eventurum sit, hæc subdens vaticinatur: Quæ nunc apud illos tam cæcè avaritia abduntur, & neque in patriæ, neque in ullius commodum cedunt, aliquando, & fortasse brevi,

Anecdota Tom. I.

**

omni-

omnino excident. Incendia, bella, pestilentiae, potentes Viri, fures, atque etiam amici, indocti haeredes, alique humanarum rerum, ne excogitati quidem eventus, ejusmodi monumentis, necem quotidie minantur. Peribunt & ista, ut periere tot alia. Nullus melior tutandi modus, quam publicis typis tradere; ita enim, multiplicatis exemplaribus, perennem sibi vitam polliceri poterunt. At quid vetustis jam, & fortasse inutilibus his querelis insistam? quas probabunt quidem, meo consilio concordēs Viri, plurima, si suppeterent, sponte daturi, at surda omnino aure ii praeteribunt, de quibus conqueror. Quin igitur surdis fabellas canam; debitas iis potius referam grates, qui me pro patriae gloria laborantem, collata ope juvarunt; & iterum, iterumque obsecrabo, ut si quae adhuc cum blattis, ac tenebris pugnare noverint, illustrent, & edant ipsi, aut aliis evulganda suppeditent.

Pauca interim, quae jam praesto erant, praelo committere, abiecta cunctatione, statuimus; plura daturi in posterum, si comes vita fuerit, & ex uberrimis, quos jam novimus, fontibus aquas hauriendi facta fuerit potestas. *Anedocta Veneta*, opus inscribere placuit, quo Venetorum lucubrationes e tenebris nunc primum ereptae, nec typis, majori saltem ex parte, hucusque traditae, exhibentur. Non hinc tamen fidenter contendam: facile & mihi id minime posse evenire, quod doctissimis Viris aliis, amplissimas monumentorum collectiones adornantibus, ut Eruditi norunt, evenit: nempe, ut dum novas tantummodo dapes Lectoribus sese exhibere putabant, crambes etiam recoctas, eas inter, inconsulto ministrarent. Nonnulla quinimo, publici juris jam alias facta, meliori tamen,

mèn , beneficio alicujus Codicis ; restituta lectioni , aut cum ineditis necessario connexa , aut alia tandem peculiari suadente ratione , sciens , lubensque producam . Præterea , non genuinis duntaxat Venetorum fætibus , sed & Opusculis ad Venetos datis , aut circa res Venetas quoquo modo versantibus , locum hæc inter Anedocta Veneta , ultro concedam . Quibus vero Codicibus , ut hæc exhibere possem , uti licuerit , a quibus dono acceperim , quæ prælo committo , ex præfatiunculis ad singulorum Auctorum lucubrationes , Lector percipiet . Dicam postremo , ut a duobus , quæ vitio mihi verti fortasse possent , facilius absolvar : cur de vita , moribus , studiis , ac rebus gestis Auctoris cujusque non præloquar ; cur etiam opuscula ipsorum aliquo in præclaro ordine non collocarim . Si primum præstare vellem , nonne alienam messem quasi invadere esset , cum eam jam in se provinciam suscepit , post P. F. Joannem ab Augustinis , præclarus alter ex Ordine Minorum Alumnus ? Alterum vero nullo præstitissem negotio , si ea , quæ consequendi , edendique aliquando , spes est , jam obtinuissim ; tunc quidem aut habita ratione temporum , aut pro rerum ipsarum dignitate , aut alio tandem quocumque instituto ordine , suas quæque in classes tribui facile potuissent . At cum rei periculum velut facturi , & opus tentantes potius , quam perficientes , hæc , quæ in promptu jam erant , vulgare statuerimus ; ab ea nos lege , citra crimen ullum , exsolvi posse speravimus .

De cetero ad hunc

etiam ad hunc

FACULTAS ORDINIS

Nos Fr. ANTONINUS BREMOND Sac. Theologiæ
 Professor, & totius Ord. FF. Prædicatorum humilis
 Magister Generalis, & Servus.

CUM uti nobis exponitur R. P. F. Joannes Bapti-
 sta Maria Contarini, Congregationis nostræ B.
 Jacobi Salomonii Provinciæ nostræ S. Dominici
 Venetiarum, opus, cui titulus: *Anedocta Veneta*,
nunc primum collecta, ac Notis illustrata compo-
 situm, illudque prælo subicere desideret; Nos harum
 serie, nostrique auctoritate officii, quantum in no-
 bis est, & servatis alias servandis, paterne indul-
 gemus, dummodo a duobus Sac. Theologiæ Lecto-
 ribus prædictæ Congregationis, ab ejusdem A. R. P.
 Vicario Generali designandis, luce dignum judice-
 tur, eorumque censorio in scriptis calculo appro-
 betur. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus San-
 cti. Amen. Non obstantibus &c. In quorum fi-
 dem &c.

Dat. Romæ in Conventu nostro S. Mariæ super Mi-
 nêrvam, die 31. Maii An. 1755.

Fr. ANTONINUS BREMOND
 Magister Ordinis.

Registr. foliò 9.

Fr. Joannes Thomas de Boxadors
 Magist. Provincialis Terræ Sanctæ, & Socius.

APPRO-

APPROBATIO THEOLOGORUM

Nos Infrascripti Sacrae Theologiae Professores, demandante Reverendissimo P. F. ANTONINO BREMOND, totius Ordinis Prædicatorum Generali Magistro, legimus opus inscriptum: *Anedocta Veneta, nunc primum collecta, & Notis illustrata &c.* a R. P. Lectore Fr. Joanne Baptista Maria Contareno, concinnatum; in quo nedum quidquam offendimus, quod reprehensionem mereatur, quinimo universa admirati sumus optimo ordine disposita, solidis documentis firmata, prudentibus conjecturis munita, necnon observationibus eruditis illustrata; eapropter dignum censemus, ut, ad non leve oblectamentum Virorum eruditorum, publicæ luci donetur.

Dat. in Collegio SS. Rosarii Venetiarum
die 21. Decemb. 1755.

*Ita est Fr. Fulgentius Cuniliati
S. Theologiae Professor.
Ita est Fr. Hyacinthus Micheletti
S. Theologiae Professor.*

IN-

P raefatio in Epistolam S. Ignatii de Loyola. pag. 3	Petri Thomae ad Leonardum Justinianum Epistola. 86
Epistola S. Ignatii ad Petrum Contarenum. 5	Gasparini Barzizii ad eundem Justinianum Epistola. 87
P raefatio in Opuscula Gregorii Corrarii. 9	Guarini Veronensis ad Justinianum Epistola. 88
Gregorii Corrarii Soliloquium de vita, & obitu Antonii Corrarii Episc. Ostiensis, & Cardinalis. 12	Alia Guarini Epistola de Justiniani oratione. 89
Ejusdem Corrarii Epistola ad Novitium Carthusianum. 24	P raefatio in Opuscula Augustini Cardinalis Valerii. 95
Ejusdem Epistola ad Ceciliam Virginem. 33	Augustini Valerii ad Petrum Franciscum Contarenum Epistola. 97
Ejusdem Oratio ad Sigismundum Imperatorem habita in Concilio Basileensi. 45	Ejusdem Valerii Oratio in funere Marci Antonii Trivisani Venetorum Ducis. 98
Ejusdem Corrarii ad Antonium Riccium Distichon. 57	Ejusdem Valerii ad Petrum Franciscum Contarenum Venetae Urbis Patriarcham gratulatio. 105
Ejusdem ad tumultum Gregorii XII. Epigramma. ibid.	Ejusdem Valerii in obitu Petri Francisci Contareni Patriarchae Venetiarum Oratio. 108
Ejusdem responsio ad Amicum Epigramma. 58	Ejusdem ad Laurentium Bernardum Epistola. 118
Ejusdem in Turcas Ode. ibid.	Ejusdem Commentarius Legationis Bernardi Naugerii ad Paulum Papam IV. 122
P raefatio in Epistolam Lauri Quirini. 63	Bernardi Naugerii Legati Venetorum ad Paulum IV. gratulatio. 135
X Epistola Lauri Quirini contra Poggium. 65	Ejusdem Augustini Valerii de Venetae Reipublicae laudibus. 139
P raefatio in Epistolas Leonardi Justiniani. 73	Ejusdem Epistola ad Bernardum Naugerium. 159
X Leonardi Justiniani Petro Thomae Epistola. 74	Epistola N. N. ad Valerium. 160
Ejusdem Justiniani ad Krotum Vitalem Epistola. 76	Ejusdem Valerii ad Joannem Gritum Dialogus de ambitione. 162
Alia Epistola Justiniani ad eundem. 77	Ricordi per scrivere le Istorie della Repubblica dati dallo stesso Agostino Cardinale Valiero. 172
Ejusdem Justiniani Epistola ad Federicum. ibid.	P raefatio in Petri Barroci Orationem, & Carmina. 195
Ejusdem ad Reginam Cyprae de laude pictura. 78	Petri Barroci Oratio consolatoria ad Petrum Fuscarum. 198
Ejusdem ad Guarinum Veronensem Epistola. 80	Ejusdem in Lib. I. Carminum Prologus. 210
Ejusdem Epistola ad Magistrum Ariminensem. 81	Ejusdem de Bertoldi morte ad Jacobum Aragazonium. 213
Ejusdem ad Antonium de S. Daniele Epistola. 82	De Bertoldi laudibus. 216
Oratio Joannis Spilimbergensis in laudem Leonardi Justiniani. 83	Ad Christophorum Maurum. 217
	De Joannis Barroci Patru sui elegum Carmen. 224

Ad

<i>Ad Franciscum Brevium de Viri Soporis morte</i>	231	<i>In Rhinocerotis picturam</i>	263
<i>Prologus in Lib. II. Carminum</i>	ibid.	<i>In Bartholomaei Platyna libellum</i>	ibid.
<i>Liber secundus ad Deum Patrem, ut nobis auxilio sit</i>	232	<i>In ejusdem Auctoris eundem libellum</i>	265
<i>Ad Dei Filium, ut peccata sua facienti veniam det</i>	233	<i>Platynam ab Hippolito Nactio libellum habuisse &c.</i>	266
<i>Ad Dei Filium ut tugurium suum ingredi vellet</i>	234	<i>In quemdam, qui sibi imprecatus fuerat malum</i>	ibid.
<i>Ad Dei Filium gratias agens, &c.</i>	235	<i>Quanta sibi Paulum II. Pont. Max. adeundi fuerit difficultas</i>	ibid.
<i>Ad Christum Dei Filium contra Turcas</i>	236	<i>Helisabeth Zena Epitaphium</i>	267
<i>Ad Christum Dei Filium Hymnus alter</i>	237	<i>Ad Joannem Michaellem S. Marcelli Presbyt. Cardinalem</i>	ibid.
<i>Cum in Ileritiam incidisset &c.</i>	ibid.	<i>Quid, & quo Auctore apud hostia Tyberis viderit</i>	ibid.
<i>De Corona in Ecclesia Bellunensi servata</i>	238	<i>Ad Curiam Romanam &c.</i>	ibid.
<i>De eadem Hymnus alter</i>	239	<i>Ad Petrum Fuscum libri conclusio</i>	268
<i>Ad Virginem Dei Matrem Mariam</i>	241	<i>Prefatio in Epistolam, & Orationem Cardinalis Bessarionis</i>	271
<i>Ad eandem Dei Matrem Mariam</i>	245	<i>Bessarionis Cardinalis Epistola ad Franciscum Foscari Ducem Venetiarum</i>	273
<i>Ad eandem</i>	246	<i>Ejusdem Bessarionis Oratio in Conventu Mantuano habita</i>	276
<i>In B. Mametis Martyris laudem</i>	247	<i>Epistola Mauri Monachi S. Matthiae ad eundem Cardinalem Bessarionem</i>	284
<i>In ejusdem Beati Martyris laudem</i>	248	<i>Prefatio in Epistolam P. F. Reginaldi Panighetti</i>	289
<i>Prologus in Lib. III. Carminum</i>	249	<i>Epistola P. F. Reginaldi Panighetti Ordinis Prædicatorum ad Carolum VI. Imperatorem</i>	291
<i>In B. Martini Confess. & Pontif. natali die</i>	250	<i>Prefatio in Orationem, & Carmen Jo. Michaelis Alberti de Carrara</i>	295
<i>In Beati Johana Martyris laudem</i>	259	<i>Jo. Michaelis Alberti de Carrara Oratio in adventu novi Pontificis Ludovici Donati</i>	299
<i>In ejusdem Martyris laudem Hymnus alter</i>	260	<i>Ejusdem Carmen de bello Jacobi Antonii Marcelli in Italia gesto</i>	309
<i>De pertinacia hominum nostri temporis</i>	261		
<i>Francisci Barroci Patris Epitaphium</i>	262		
<i>In Leonis Baptiste libellum de pictura</i>	ibid.		

NOI RIFORMATORI

Dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la Fede di Revisione, ed Approvazione del P. F. Gio: Paolo Zapparella Inquisitor Generale del Santo Ufficio di Venezia nel Libro intitolato: *Anedocta Veneta nunc primum collecta ac Notis illustrata, studio Fr. Joannis Baptistæ Mariae Contareni Ordinis Prædicatorum &c. Ms.* non v'esser cosa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Attestato del Segretario Nostro niente contro Principi, e buoni costumi, concediamo Licenza a *Pietro Valvasense* Stampator di Venezia che possi esser stampato, osservando gli ordini in materia di stampe, e presentando le solite copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 27. febbrajo 1756.

Barbon Morosini Kav. Proc. Riff.
Alvise Mocenigo 4. Kav. Proc. Riff.

Registrato in Libro a Carte 61. al Num. 594.

Giacomo Zuccato Segr.

A dì 3. Marzo 1757.

Registrato nel Magistr. Eccel. degli Esecut. contro la Bestemmia.

Francesco Bianchi Segr.
S.IGNA-

S. IGNATII DE LOYOLA
E P I S T O L A.

Anecdota Tom. I.



P R Æ F A T I O.³

QUOD *Virorum Illustrum*, quorum *Opuscula* nunc primum luce donare constitui, agmen ductum voluerim a S. Ignatio inclitæ Societatis Jesu Fundatore, ad Nobilem Virum Petrum Contarenum scribente, non sermonis elegantia, quæ in Viro adulta duntaxat ætate, primis literarum percipiendis rudimentis, dante operam frustra requireretur, non summa rerum circa quæ familiaris hæc versatur Epistola, sed debita potius erga Virum Sanctissimum veneratio, in causa fuit. Felicissimum profecto laboris mei in his Anedoctis colligendis, quasi omen accepi, quod Apographum fideli manu deductum ex originali, quod hæreditario jure possident, ac insignis reliquiæ loco habent, Petri ipsius Contareni Nobilissimi Successores, oportune obtinuerim, primi hujusce Voluminis in fronte, ad tutelam veluti, collocandum. Hoc sane me citra illorum injuriam fecisse, quorum lucubrationes daturus sum, quis amabo non censeat? Quis inquam Proceres nostros, qui pluries Venetiis adventantem Ignatium venerabundi excepere, ipsi calitibus jam adscripto, potiore locum ultro, si viverent, concessuros non judicet? Desiderantur autem in ipso Epistolæ Autographo locus, & annus, quo data fuit, at utrumque deprehendere facillimum erit, si cum iis conferatur, quæ Societatis Scriptores, itinerantis sui Patriarchæ vestigia sequentes, literis consignarunt. Ter S. Ignatium Venetiis fuisse, tam certum est quam quod maxime. Primo quidem anno 1523. a Marco Antonio Trivisano in somnis admonito, peramanter hospitio susceptus, ut ex hac Urbe in Palestinam trajiceret; teste Orlandino Libro I. hæc habente: dum Venetiis Ignatius emendicato victitat, inque S. Marci Foro pernoctat, e prima nobilitate Senator Marcus Antonius Trivisanus (postea Dux) vocem audit increpantem: ergone tu in lecto molli quiescas, & famulus meus noctem sub dio traducat? Quam continuo ad vocem Vir clarissimus surgens eo, qui vocarat, regente vestigia in Ignatium incidit, & hunc interpretans esse, quem audita vox commendasset, domum deductum hospitaliter habet. Iterum vero ex Jerosolimitana peregrinatione redux, Civitatem hanc resalutavit sequente anno 1524, & ex ea Hispaniam versus iter arripuit. Tertio

4
 tandem anno excunte 1535, ut ex ejus *Epistola* evincit Barto-
 lus; constititque ad dimidium circiter anni 1537. Socios etenim
 sibi adscitos e Gallia expectabat, qui nonnisi eo incunte anno
 Venetiis appulere. At nec statim quidem discessit, sed iis Romanis
 proficiscentibus, ipse interim, summo animi fervore, præclaris
 Christianæ pietatis operibus vacare, Nobiles aliquot, Patriciosque
 Viros spiritualibus exercitationibus excolere, & ad virtutem pro-
 sequendam suo consilio juvare capit. Hos inter exituisse Petrum
 Contarenum, testis est, omni exceptione major, Ludovicus Con-
 salvus, qui ex ipsius S. Ignatii Patris sui ore excepit, quæ scri-
 pto tradidit. Hic inquam Capite 8. sic habet: Inde Venetias
 profectus est ibi tum tradendis exercitiis, aliisque spiritua-
 libus consuetudinibus vacabat. Præcipui quibus tradidit fuere,
 Petrus Contareus &c. Sociis tandem reversis, ipse, ceterique,
 juxta eam, quam a Pontifice impetraverant, facultatem, Mino-
 ribus, sacrisque Ordinibus initiati fuere, & ad Sacerdotium pro-
 moti, die 24. Junii Præcurfiori sacra, manus ipsis imponente
 Vincentio Nigufano Arbenfi Episcopo, tunc Venetiis degente.
 Sacerdotati dignitate donatus Ignatius, cum Palestinam versus
 iterum transfretare, ut in votis habebat, minime posset, bello
 Venetos inter Turcasque prohibente, ne Sociorum fervor otio te-
 pesceret, eos per varia Venetæ ditionis loca distribuit; ipse vero
 Vicentiam petiit. Ex his consulto præmissis, statim jam sponte
 fluit, *Epistolam* hanc, certe ex Agro Vicentino, ut ex tenore
 constat, Petro Contareno inscriptam, post dimidium nonnisi an-
 ni 1537. datam fuisse.



S.IGNA-

S. I G N A T I I D E L O Y O L A ⁵

Ad D. Petrum Contarenum Nobilem Venetum

E P I S T O L A.

Magnifico Dm̄no petro Contarino fratri meo in X̄sto
Un̄.

QUONIAM de rebus nostris prolixiorē sermonem fecimus in litteris ad Dominum Martinum Gonzaga, in quibus etiam nonnulla sunt, quæ proprie spectant ad tuam Dominationem, hac causa paucissimis verbis tecum utar, & non tanquam necessarium sit ad te scribere, quam ut non existimemur tui immemores. Hactenus, Dei benignitate semper bene valuimus; experimur in dies magis, ac magis verum illud: *nihil habentes, & omnia possidentes*; omnia dico, quia Dominus se adiecturum repromisit quærentibus *primum Regnum Dei, & justitiam ejus*; quod si omnia adiicientur iis, qui primum quærun Regnum Dei, & ejus justitiam, an ne aliquid deesse poterit eis, qui solum quærun justitiam regni, & ipsum Regem Regum? Eis quoque benedictio, non tam *de rore Cæli, & pinguedine terræ* est, sed de solo rore Cæli; eos dico, qui non sunt divisi, eos dico, qui utrumque oculorum intendunt ad cælestia. Hoc nobis concedat ille ipse, qui cum dives omnium rerum esset, omnibus se spoliavit, propter nostram instructionem; qui cum in gloria omnipotentis esset, & tantæ sapientis, & tantæ potestatis, se tamen subiecit cuivis infirmisimæ potestati, & judicio, & voluntati. Sed hoc satis ad eos maximum, quos etiam Christus detinere potest in alio gradu; ad te enim magis proprie spectat considerare, ut si quæ habeas, a nullis habearis, a nullis possidearis temporalibus, omnia regeas in eum a quo omnia habes; qui enim non potest circa illud unum, quod est necessarium totus occupari, proximum est, ut ea plurima, circa quæ versatur, & sollicitus est, ordinata sint bene. Sed nimium longe digredior ab eo, quod institueram. Redeo ad nos: appresso de Vicenza a una mia fora della Porta, che si chiama de S. Croce habemo trovato un luogo Monastico, il qual se domanda S. Pietro in Vannello, dove nessuno abita, e così li Frati di S. Maria delle grazie de Vicenza sono contenti, che maneamus inibi ad placitum nostrum, id quod facimus; erimusque ibi per aliquot menses, si Deus permiserit (a); & così non resta che non siamo buoni,

(a) De hoc sibi, Sociisque delecto per Virum Sanctissimum domicilio, audiendi Societatis Scriptores. Ignatius igitur, sic habet Ribadineira, Sociique extra oppidum Vicetiam adiculam humilem, ac ruinisam reperiunt, foribus revulsis, fenestris sublati, ventis circumstantibus perviam; in hac domicilium suum collocant. Locum hunc partem fuisse

buoni , e perfetti , perche Dio nunquam manca di sua bonità . Roga ergo & tu nobis cum Dominum , ut det nobis istam gratiam perficiendi ejus voluntatem sanctam; quæ est sanctificatio omnium; & bene vale in Christo Jesu Domino nostro, qui nos dirigat omnes in viam pacis, quæ est in ipso solo (a).

Enus in Ino fr.
Ignatius

A latere hujusce Epistolæ sequentia leguntur.

Quantum spectat ad Dominum , ego te maxime obsecratum velim , ut si quidem forte ejus negotia , quæ per te fieri possunt , non sint expedita , age quæso te , ita ut ipse nullo modo , neque dicere possit , neque sciat reputare nos esse in causa quamobrem detineatur Venetiis.

fuisse antiqui Monasterii Patrum Congregationis S. Hieronymi Fesulensium , notant ex Carolio , Bollandi Continuatores , asseruntque , Patres Capuccinos , qui sibi postea domum inibi edificarunt , in veneratione habere cubicalum quoddam S. Ignatii dictum , per traditionem e veteri Manuscripto confirmatam , quod Sanctus ibi per dies quadraginta habitaverit .

(a) Nedum Petrum ipsum Contarenum , verum & Zachariam , & Marcum , ac Philippum ejusdem Familiæ præclaros Viros sibi eximia sua sanctitate devinxisse S. Ignatium , testatur Bartolus . Quinimo Gasparem Cardinalem Contarenum Operam suam omnem apud Pontificem impendisse , ut Instituti sui approbationem obtineret , liquido constat apud Bollandistas , ex ipsius Epistola Tibure data die III. Septembris 1539 , cujus hæc inscriptio : Reverendo D. Ignatio nostro amantissimo ; Subscriptio vero : Vestri amantissimus G. Cardinalis Contarenus .



OPUS

O P U S C U L A
GREGORII CORARII
PROTONOTARII APOSTOLICI,
ET VENETIARUM PATRIARCHÆ.

P R Æ F A T I O.⁹

GESTA, lucubrationesve Gregorii Corrarii, Apostolici olim Protonotarii, & Venetiarum Patriarchæ, quod spectat, non est cur plura præloquentes dicamus; cum eam in se provinciam susceperit, eaque fuerit jam egregie perfunctus Cl. Pater Joannes ab Augustinis Ordinis Minorum Alumnus operis sui Tomo I. Mundanam hanc lucem primo aspexisse Gregorium Christi anno undecimo supra millesimum quadringentesimum, Patre Joanne Corratio, Gregorii XII. Papæ, Nepote, Matre vero Cæcilia Contarena, ab eo didicimus; simulque quod primis litterarum rudimentis perceptis, Poesi, cæterisque humanioribus disciplinis sedulam ipse navavit operam, Victorini Feltrensis, quod Joannes Franciscus Mantuæ Princeps Filiis suis Præceptorem dederat, per quadriennium auditor. Ecclesiasticæ præterea militiæ annum dum vigesimum ageret, Martino Papa V. suadente, cui acceptissimus erat, nomen dedisse; Protonotarium Apostolicum fuisse ab Eugenio IV. renunciatum; amicos habuisse Viros omnes eo ævo doctissimos; semel & iterum ad Episcopales, Veronenses nempe, & Patavinas Insulas postulatum, eas inimica sibi adversante fortuna non induisse, pluribus evincit ille, cui pollice utroque lubentes subscribimus. Ab illius duntaxat sententia in eo abscedere cogimur, quod Ughellium secutus asserit, Corrarium, plenioribus Senatorum suffragiis die 9. Augusti 1464. Venetiarum Patriarcham electum, concreditæ sibi Ecclesiæ possessionem minime obtinuisse eo quia diem suum extremum clausit, priusquam cum Paulo Papa II. qui sponte sua alium Præsulem Venetis designaverat, Joannem nempe Barrociū, res componerentur. Hoc autem quam longe distet a vero deprehendit Venetorum monumentorum diligentissimus perscrutator, & Senator amplissimus Flaminius Cornelius, ex Epistola, quam profert pag. 468. sui Supplementi, data Romæ die 20. Februarii 1465. a Ludovico S. R. E. Cardinale Episcopo Albanense, qua Joannes Barrocius, Corrarii in Patriarchali Veneta Sede successor, a solutione Cameræ Apostolicæ debita liberatur, eo quia Corrarius ipse, intra annum eam exhibuerat. En pauca, ex citata Epistola, verba, quibus veritas in tuto ponitur: Cum SS. in Christo Pater, & D. N. Paulus

Anecdota Tom. I.

B

divina

divina providentia Papa II., nuper de Ecclesia, seu Patriarchatu Venetiarum vacante, R. P. D. Gregorio Corrario Apostolicæ Sedis Protonotario, tunc in Romanis agente provide-rit, Bullæque desuper expeditæ, ac commune, & minuta servitia, aliaque jura Cameræ Apostolicæ fuerint, occasione prædicta, perfoluta, & satisfacta &c. *Ex his apparere nemo non videt, compositis jam cum Pontifice rebus confirmationem, & Bullas, dum adhuc inter vivos degeret, impetrasse Corrarium, esto vix tribus elapsis ab electione sua mensibus, die scilicet 19. Novembris Veronæ fuerit morte correptus, nec in Ecclesiæ suæ limina solemniter, ut solet, ritu pedem inferre fortasse potuerit. Lucubrationes vero Corrarii quod attinet, plura certe cecinit Adolescens, plurave conscripsit Ecclesiastico Ordini addictus, at pauciora profecto sunt, quæ publicam adhuc lucem non expectent. Expectabant eam sane: Soliloquium ad Deum de vita, & obitu B. M. Antonii Episcopi Ostiensis, & Cardinalis Patruï sui. Epistola ad Novitium Carthusianum, nec non pauca alia Carmina, quæ ex duplici Codice, Classense nempe, & Veneto, publici nunc primum facimus juris. Liber etiam didascalicus de Educandis Pueris. Satyrarum liber ad Victorinum. Epigrammatum liber ad Martinum V., aliave varii argumenti, & generis Carmina simul prodirent, si vel in membranaceo perpolito Codice, quem ab Aloysio Justo Nobili Veneto humanissime commodatum accepimus, vel in Codicibus celeberrimis, ac pervetustis Classensis Canobii Ravennæ, reapse extitissent, ut memoratus Pater Joannes ab Augustinis scripserat, asservari; ii enim humanissimi æque, ac religiosissimi Camaldulenses Monachi, a quibus, Soliloquii, Epistolæ ad Carthusianum, carminumque nonnullorum Apographum tam facile impetravimus, cetera quoque benignissime suppeditassent. At ea Opuscula, diligentiori etiam studio, ut novimus, a Doctissimis Bibliothecæ Præfectis conquista, perquirentium manus, oculosque hucusque effugerunt. Non periere tamen; servantur enim, ipso Patre Joanne oculato teste, apud Senatorem Venetum Jacobum Superantium; a quo si tandem aliquando obtinerentur, & ipsius etiam Corrarii Epistola, quæ in Codicibus Vaticanis, teste Montfauconio, reperiuntur, haberi possent, plenam, absolutamque Operum ipsius Editionem adornare facile omnino esset. At hoc, ex quo certe non minimum*

Litte-

Litteraria Reipublicæ monumenti, & Venetæ Corrariæ Genti, honoris accederet, præstare cum nequeamus, operis saltem duximus præteritum: Epistolam ejusdem Corrarii ad Cæciliam Virginem ab Edmundo Martene Tom. III. amplissima Veterum Monumentorum Collectionis, collocatam, nec non Orationem in Basileensi Concilio ab ipso habitam, quæ Tom. XVII. Labbeana Conciliorum Collectionis legitur, meliori certe lectioni, Veneti citati Codicis beneficio, restitutas, iterato exhibere, variantibus sæpe lectionibus suo loco signatis. Pro coronide tandem adiecimus: Epistolam Hieronymi Aliotti Aretini S. Floræ Abbatis, ad eundem Corrarium datam, quam ex Codice olim Apostoli Zeni, nunc Collegii hujusce nostri SS. Rosarii Venetiarum transcripsimus.



GREGORII CORRARI

PATRICII VENETI

S. R. E. Protonotarii, & Venetiarum Patriarchæ
Soliloquium ad Deum.

*De Vita sua, & de vita, & obitu Beatæ Memorix Antonii
Episcopi Ostiensis & Cardinalis Patru sui.*

*Psal. 37.
ver. 10.*

DOMINE ante te omne desiderium meum, & gemitus meus a te non est absconditus. Domine vim patior: sed unde, Domine vim patior, nisi a mærore, qui intus est in anima mea? & quid est mæror in anima mea, nisi anima mea mærens? Gignitur ergo mæror in anima hominis, ipso etiam nolente: gignitur & lætitia, sed non ipso nolente; nemo enim lætatur nolens, quemadmodum nolens mæret. Et cum longe aliud sit, & contrarium omnino lætari, & mære, eadem ipsa est anima & cum lætatur, & cum mæret, sed aliter affecta cum lætatur, aliter cum mæret; quia non est immutabilis, ut tu Deus. Sed interrogo te, Domine Deus, qui plasmasti hominem; quomodo anima mea mærens, idest ego ipse mihi, ipsi vim facio, & a me ipso invito, invitatus patior, cum nolens mæreo? Unde enim mæreo nisi ab anima mea, me ipso mærente? An hoc malum, ut cætera, per peccatum primi hominis transgressoris, in ipsum, & suam sobolem humanum genus, cum morte pariter introivit? Nam tu Domine non fecisti mortem: erat tamen homo ille immortalis gratia tua, non natura (a) & ideo te deferendo, mori potuit. Sed tu, misericordiosissime Deus, reparasti ruinam humani generis, per humanitatem, & passionem unigeniti Filii tui Redemptoris nostri, & lavacrum regenerationis in Ecclesia tua matre nostra. Hæc ego: secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, audeo loqui tecum, Deus meus, Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, qui consolaris nos in omni tribulatione nostra, & audeo commentari, & tradere litteris cogitationes meas, ut tentem si possim vel sic interim fallere, aut lenire dolorem meum, ut excitem quoque pusillos Fratres meos, qui hæc legent, Filios Hevæ, clamantes ad te de tribulationibus suis, & nondum in te Deus meus vera consolatio, quiescentes. Clamo igitur ad te, & lacrymas in conspectu tuo fundo, & mihi

*Psal. 93.
ver. 19.
Secundæ
ad Corint.
Cap. 1.
ver. 3.*

(a) Hæc fortasse delibaverat ex S. Augustino lib. 6. super Genes. Cap. 25. de Protoparente, ante patratum crimen dicente: *mortalis erat de conditione corporis animalis, immortalis beneficio Creatoris*. Quæ sic explicat S. Thomas 1. part. quæst. 97. art. 1. *non enim corpus ejus erat indissolubile per aliquem immortalitatis vigorem in eo existentem; sed inerat animæ ejus vis quedam supernaturaliter divinitus data, per quam poterat corpus ab omni corruptione præservare, quamdiu ipsa Deo subiecta mansisset*. Et ad 3. addit: *Vis illa præservandi corpus a corruptione non erat animæ humane naturalis, sed per donum gratiæ*.

& mihi in hoc pius videor, in quo forte impius sum in oculis tuis; imperfectum meum cernentibus, sed oculis meis se pios credentibus, & a te, vera pietas, recedentibus.

Ignosce, Domine, ignosce. Mirum est quod patior. Doleo, & me ipse consolatur dolor: quia nollem minus amasse, & minus dolere. Doleo obitum Famuli tui Patris mei, non quidem Patris carnis meæ, sed in tua pietate Patris, & ideo verius Patris, monitu, & exemplo suo *in mandatis tuis quæ dilexit*, vias tuas monstrantis ad te Deum verum Patrem, qui unus es Pater, & Deus, *ex quo omnis paternitas in Cælo, & in terra nominatur*. Vixi secum, ut tu voluisti Domine, annis XVI. concordissime, transgressus interim pueritiam, & adolescentiam. Ipse autem sit in ultimam ætatem juxta terminum, quem constituisti ei, quem plenum dierum, in senectute bona, jussisti venire ad te Deum Creatorem suum pretiosa morte in conspectu tuo. Commendatur quippe mors Sanctorum tuorum, & in Scripturis tuis pretiosa perhibetur: quæ si pretiosa est, & bona utique; nullum enim malum pretiosum; & si bona vita Sanctorum tuorum, quibus tu ipse vita es, bona quoque mors ad te vita æterna viventium. Quomodo autem bona, cum mortem non fecisse perhibearis, sed per peccatum, invidia Diaboli, in Orbem terrarum introjerit? Potest ne aliquod bonum esse, nisi a te bonorum omnium Conditor? Et si propterea mors pœna peccati, quonam modo bona erit in pœna data? Cæterum quis dicere audeat mortem Sanctorum tuorum esse, & Christi tui Redemptoris nostri malam? An est ipsa quidem mors non bona? Sed mors Sanctorum bona, vel ipsa quidem mors non mala: sed mors Peccatorum mala, dicente Scriptura tua: *Mors peccatorum pessima*. Dolemus tamen Amicorum mortes in fide, & caritate tua decedentium, nec siccis oculis spectare possumus, cum moriuntur: & verba eorum novissima tenacissime figuntur memoriæ nostræ. Quod si præter spem ex gravissimis morbis evaserunt, cariores quodammodo postea sunt ipsius periculi recordatione. Quod olim in Famulo tuo Patruo meo, quem nunc lugeo, expertus sum.

Ægrotavit enim Romæ anno ab hinc XIV. vehementissime, sicut voluisti exercere Servum tuum. Cumque susceptis Sacramentis Ecclesiæ tuæ afflictum corpusculum cum morte ipsa luctaretur, & nos tristes, ipse lætus, obitum suum operiremur, biduoque sine cibo, & somno pene exanimatus jaceret, nisi quod interdum junctis manibus, ut poterat, orare videbatur, restituiisti eum mirabiliter per orationes, & servorum tuorum lacrymas, quæ pro eo plurimæ coram te jugiter fundebantur: Quod nullus Medicorum, nemo nostrum non a te factum, nec ipse quidem arbitratus est, sæpe illud, ut potuit, repetens: *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est. Cupiebat enim dissolvi, & esse cum Christo suo*. Sed non omittam confiteri tibi miserationes tuas de Servo tuo. Fluctuanti tunc inter vitam, & mortem accessit ad lectulum quidam unus ex Fratribus. Nos, aliud dicturum rati, audivimus clara

*Psal. 118.
ver. 47.
Ad Ephef.
3. ver. 15.*

*Psal. 33.
verf. 22.*

*Psal. 119.
verf. 5.
Ad Philip.
Cap. 1.
ver. 23.*

clara voce ad aurem dicere: Medicos de vita sua nihil jam sperare, sed quod ab eis didicisset, etsi aliis displiceret, fideliter nuntiare, ut sciret sibi ex hac vitaocius migrandum esse. Quæ verba læto, atque hilari † animo, atque ridenti vultu accipiens magno gaudio perfusus, ut postea fassus est, & spirare, & moveri, & paulo post loqui cæpit. Ita cibo refectus paulatim convaluit. Convertisti tunc, Domine, planctum nostrum in gaudium. Exultabamus tota Domus insperata lætitia, tibi gratias agentes. Et ecce ex illo tot anni, veluti ventus, præterierunt;

† In Cod. Ven. deest ly animo. Epi. Jacobi Cap. 4. ver. 15. Numquid enim non ventus est vita hominis, & vapor ad modicum parens? Numquid non sicut fumus deficit, sicut umbra declinat, sicut flos decidit, sicut fœnum arefcit? Anni nostri sicut aranea medi-

† In Cod. Class. desiderantur ea verba. Job. Cap. 5. ver. 5. tabuntur † Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient; non enim sicut dies hominis dies tui, & anni tui sicut humana sunt tempora. Nec aliud sunt anni tui, aliud tu ipse, sed anni tui æternitas tua (a) Domine Deus noster. Optabam tunc longum vivere Patri meo, si quid longum fuisse potest, cum esse desiit. Donasti Domine: cucurrit fallendo tempus: Senuit, in morbum incidit, quem tu illi ultimum esse voluisti. Iterum ingratus, † impius, immemor conditionis humanæ, eadem habui ad te vota pro illius temporali vita, quæ nunquam mihi satis longa visa fuisset. Quantulum, Domine, optabam, cum vitam Semi sex, & septuaginta annorum produci cupiebam! Tres nempe, aut quatuor annos: & ii, cum raptim præterissent, nihilo plus satiassem vota mea, quam anni illi XIV. jam transacti. Denique qui modus orandi fuisset, si semper addi plusculum vitæ voluisssem? Nullus profecto, quia nunquam casere eo voluisssem, cum quo tot annis unanimiter viveram. Vidisti, Domine, insipientiam meam, nec moratus es meliora vota servi tui clamantis ad te: quemadmodum desiderat Cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te. Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum: quando veniam, & apparebo ante faciem Domini.

† Deest in Ven. ly impius.

Psal. 43. vers. 1.

Sine, Domine, recolam præteritos annos conversationis meæ de tuo munere cum servo tuo. Veni Romam ipsum visere Adolescens, & pene Puer. Ibi me tota caritate complexus est Senex de te beatus. Nihil tunc de clericali vita cogitabam, sed Uxorem, Liberos, & fumum, & strepitum rerum sæcularium, tanto inanior, quanto magis inflatus studiis sæcularibus, & artibus nugatoriis, quas didiceram, poetica maxime. Et male utebar dono tuo ingenio meo, cum talia læstabar a veritate auditum avertens, conversus ad fabulas, & argutias, nescio quas, prurientes auribus, non sustinens sanam doctrinam Scripturas tuas. Scripseram quippe Tragediam, & Terci, nescio cujus, ingentem miseriam, oblitus

Ex Epist. ad Timo. Cap. 4.

(a) Mirifice his verbis concinit Concilio Rhemenfi, Eugenio Papa Tertio, Præsidente, contra Gilbertum coacto, sicque definienti: *Eredimus Deum nonnisi & sapientia, que Deus est, sapientem esse; nonnisi ea magnitudine, que est ipse Deus, magnum esse; nonnisi ea æternitate, que est ipse Deus, æternum esse.* Ex quibus pari consensu Theologi inferunt, ita distinctionem omnem realem inter Dei essentiam, & ejus attributa esse ablegandam, ut nedum, citra fidei dispendium, negari nequeat Deum sapientem, immensum, æternum esse; verum & Sapientiam Dei, immensitatem Dei, æternitatem Dei esse ipsum Deum.

tus miseriarum mearum, & pleraque stilo satyrico vitia carpens; cum vel in hoc maxime ridendus essem, vel potius miserandus, quod plenus ipse ulceribus, aliorum pustulis cauterium adhibere præsumerem. Gaudebam nimis, cum verba iratæ Prognos Lectorem meum vehementer commoverent. Et hic erat fructus vanitatis meæ, dum fornicarer a castis eloquiis tuis. Ille autem tacitus contemplabatur, non quidem hæc, quæ sibi displicebant, continuo improbens, sed caute tentans abolere veritatis amore, & Scripturarum tuarum deliciis, quas fastidiente stomacho ferre non poteram. Versiculos nonnunquam meos laudabat, cum semper in iis pudor mihi placuisset. Et quid si hæc, dicebat, converteres ad laudes Dei, & Sanctorum suorum celebrandas? Et simul aliorum opuscula, qui de te versu scripserant, ostendebat. Tota interim domus, ut erat ille talium rerum studiosissimus, in Scripturis tuis versabatur. Lectionibus assiduus, ut volebat, aderam, & crebris coram eo disputationibus, quas tumidus adolescens contemnebam. Sed non minus poetica illa mea seductrix a Magistris illis contemnebatur. Igitur pudore primum, Scripturas tuas legere cæpi, deinde etiam amore. Orabat jugiter Sanctus ille Senex, & pro Alumno suo, quem tibi iterum pariturbat, pias coram te lacrymas fundebat. Qui postquam comperit me litterarum illarum, olim repudiatarum, amore teneri, tibi gratias agens cæpit de misericordia tua majora sperare; ut quem a sæcularibus litteris nonnihil revocaveras, ad clericalem vitam converteres. Itaque quotidie in sacris studiis hortabatur, utque ea sectarer vitæ quoque professione suadebat. *Ego vero tamquam surdus non audiebam, & sicut mutus non aperiens os suum.* Nihil tunc magis ab animo meo abhorrebat, quam vita clericalis, sed angebat animum quod in vita sæculari studia litterarum, quæ multum amabam, deferenda essent; sic enim ratio rerum non mearum poscebat. & sperabam in vita clericali posse aliquando in portum aliquem quietius confugere: quæ spes interdum vehementer urgebat. Hæc inter biennio fere fluctuavi: Vix tandem amor litterarum. Lætatus est Pater meus, qui angustias animi mei, & pectoris mei latebras non videbat. At tu, Domine scrutator cordium, cogitationes meas noveras, quales nosti *cogitationes hominum, quoniam vana sunt.* Ignosce, Domine, *delicta juventutis meæ, & ignorantias meas ne memineris Domine.* Ignosce quod me ab initio amor litterarum, quas melius ignorassem, non tua dilectio Clericum fecit. Te tamen plusquam litteras diligebam. Et heu non erant illæ litteræ totæ tuæ, Domine, sed Plautus, & Maro, & Flaccus, & Cicero, & hujusmodi sæcularium litterarum illecebræ, partem sibi maximam vindicabant. Arabam miser in Bove, & Asino simul, & inæqualibus sulcis male culta terra bona semina litterarum tuarum inter sæculi spargebam spinas, & sic frustra magnum alterius acervum spectabam. Non pœniteret, Domine, si litteras tuas tantum quantumcumque maximo ardore dilexissem. Quid enim in illis, nisi tu ipse, diligitur? Et ideo non potes plus amari, quam illæ: quia in illis nihil aliud amatur, nisi tu, Domine Deus noster.

Al. &

Psal. 37.
vers. 14.
†horrebat†Clas. ha-
bet tunc
mearum.
† quietisPsal. 93.
vers. 11.
Psal. 24.
ver. 7.† heu Do-
mine.† al. tellu-
re.

ster. At vero postquam primis Ecclesiæ tuæ ordinibus initiatus sum, hæc tuæ magis, illæ aliæ minus in dies placuerunt.

Cæpi præterea diligentius vitam illius de te beati Hominis contemplari, quam mihi imitandam proposueram, & ejus, non modo facta mirari, sed singula, quantum possem, dicta ab ore loquentis excipere, & in corde scribere, & devorare. Bone Deus! quid in eo non sanctum vidi, quid non admirandum † & imitatione dignum, in quo tu ipse mirabilis apparebas? Talis quippe erat, dono tuo, opus, & figmentum manuum tuarum, vas purum in honorem sanctificatum, templum tuum, & habitaculum Spiritus Sancti tui, lucerna ardens oleo misericordiæ, digne supra candelabrum Ecclesiæ tuæ posita, & lucens in domo tua.

† non extant in Codi. Ven. ea verba & imitatione dignum.

Ex Psal. 126. vers. 1.

A pueritia sua dux ei fuisti, Domine, portio sua, pars hæreditatis suæ, & calicis sui. Magno tui amore, quam tu illi inspiraveras, portavit jugum tuum suave, & onus leve. Custodivit se immaculatum ab hoc sæculo, quia tu illi custos fuisti: nam nisi tu custodieris *Civitatem frustra* *vigilat qui custodit eam*. Mox Venetiis Monasterio se abdidit cum paucis Clericis (a) non quidem professione, sed humilitate, & sæculi contemptu, Monachus. Ibi jejuniiis, & orationibus vacans, ardens tua, & proximi caritate quotquot ei donabas, hortationibus, & (quod magis movebat) exemplo suo ad frugem melioris vitæ trahebat. Nec diu frustratus es vota sua. Multi enim secuuti sunt, clari postea in tuo servitio Viri. (b) Crevit brevi Familia tua, quæ ut vitis fructifera late propagavit palmites in Vineâ tua. (c) Tibi laus, tibi gloria, a quo omne

Epist. Jacob. Cap. 1. vers. 17. 1. ad Cor. Cap. 3. vers. 7.

datum optimum, atque omne donum perfectum. Nam neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed tu Domine, qui incrementum das. Exinde vocavit eum ad sublimem dignitatem Ecclesiasticam Patruus suus Gregorius Papa Duodecimus, qui eum a puero educaverat, homo quidem tuo munere sanctus, & apprimè in tuis litteris eruditus, sed in Pontificatu illo per varios casus exercitus, & commotus; qui ut scissam Ecclesiam inveterato schismate resarciret, summo Pontificatu sponte se abdicavit; nec tamen illi Successor ante electus est, variis jactatis sententiis in Concilio Constantiensi, super rebus Ecclesiasticis, quam vita cessit. Ita ad dignitatem Cardinalatus Ecclesiæ Romanæ conscendit, nulla sua cura, nulla postea per tot annos delectatione. Sed qui poterat contra illius

Deest in Ven. Codice ly & commotus.

(a) In Insula nempe S. Georgii, vulgo in Alga; quam Habitatoribus pene vacuum a Bonifacio Papa IX. sibi commendatam obtinuerat, tenebatque tunc temporis Ludovicus Barbus Marci Senatoris Veneti Filius. In eam, inquam, sibi, sociisque a Priore Commendatario, insigni eorum pietate illecto, sponte oblatam Insulam sese recepit Antonius Corrarius, & inibi prima Congregationis Canonorum sæcularium fundamenta posuit.

(b) Omnium prior ei adhæsit Gabriel Condulmerius, qui dictus fuit in Petri Sede Eugenius IV. dein Franciscus Maurocenus, Marinus Quirinus, Laurentius Justinianus, postea Venetiarum Protopatriarca, Franciscus Barbarus, tandem Marcus, & Michael Condulmerii, Dominicus Maurocenus, alique plures Nobiles Veneti, ut alienigenas prætereamus.

(c) Plurâ, his verbis. Cænobia indicat, nuper exortæ Canonorum Sancti Georgii in Alga Congregationi, brevi temporis intervallo concessa: Patavinum S. Joannis De-eolati, Vicentinum, Veronense S. Angeli, Bononienſe S. Vitalis, S. Jacobi Montisfili-cis, & Brixienſe S. Angeli; de quibus videndus Thomasinus in Annalibus.

illius voluntatem niti, cui a pueritia parere consueverat? Verum nihil sibi mollius indulsit, nihil a cæpto cursu detorsit. Eadem orationum instantia, eadem jejuniorum, & vigiliarum tolerantia, iidem mores, idem tenor vitæ, qui prius in omnibus, imo quandoque ardentior. Itaque ad Curiam veniens, non thesauros secum portavit, *ubi Fures effodiunt, & furantur*, *Matth. Cap. 6. ver. 19.* *& ubi arugo, & sineca demolitur*, sed bona sua dona tua, & quia tua ideo bona, abstinentiam, caritatem, cordis puritatem, & illam suam peculiarem humilitatem, comites raro visas in Romana Curia. Usus est semper moderata Familia, & suppellectili, ne quid in hac, vel illa sæculare appareret; in delinquentibus ita indulgens, ut vitia sanari vellet. Quod si in aliquo frustra tentasset, segregabat eum a cætu Familiæ suæ, ne aliis noceret maculatæ vitæ contagione. Domus sua Hospitalis præsertim Servis tuis, quos totis visceribus caritatis complectebatur (a). Hos Fratres suos, hos Dominos appellabat. Confluebant ad eum plurimi ex diversis Orbis partibus, cultus tui causa ad sedem Apostolicam venientes, pauperes servi tui: nam erat nomen ejus apud illos celebre. Hos favoribus prosequabatur, & juvabat opibus, substantiolam suam (nam nunquam facultatibus temporalibus abundavit) non inter Fratres, aut Nepotes, sed inter ipsos dividens: ab eis autem orationes fænebatur, & eos merendo sui memores faciebat, nec satiari poterat eorum colloquiis. Quoties intendenti in eos, qui ecclesiastica, aut sæculari dignitate præessent, & non in pauperem in sordido habitu, sua illa humilitas displicebat! quasi ulla major dignitas esse possit, quam sibi servire, præsertim in Sacerdotio.

Væ mihi Peccatori misero! Factus eram Judex cogitationum iniquarum. Quoties monebam in eleemosinis habendam rationem facultatum suarum? Spectaret Italiam ardentem bello, Curiam labentem, se Senem valetudinarium? At ille subridens, cum senem dicebam, tanto minus viatici opus esse respondebat, meque Infidelem dicebat, qui de te minus confiderem. Cæterum huic peccato dissidentiae pietatis nomen imposueram: quod & in cæteris vitiis vana indulgentia miseri frustra facimus, & peccata nostra umbra quadam virtutis, nobis male blandiendo, obtegere nitimur, coram te spirituum ponderatore, scrutatoreque cordium, & renum nostrorum. Sed unde mihi humilitas displicebat, nisi a superbiae typo non capiente humilitatem, quam docuit Filius tuus Redemptor noster. Præterea cum virgineum illud corpusculum, ut septennis Pueri immaculatum vigiliis, & jejniis, postremo & senio confectum cernerem, aderam assiduus flagitator hæc impediens quantum poteram. Rem miram dixi in carne humana, supra humanas opes, supra hominis vires, pretiosum munus de thesauris tuis, bonum paucis concessum, quod superbia expugnat, humilitas conservat. Causatus insuper senectutem, & sociam senectutis invaletudinem vici demum ut quempiam

Anecdota Tom. I.

C

piam

(a) Sanctos præsertim, tunc temporis adhuc inter vivos degentes, Bernardinum Senensem, & Joannem de Capistrano in primis Amicos habebat; quorum alter opus, Corrariorum suadente, a se lucubratum ei nuncupavit.

piam ex familia in Cubiculo suo pernoctare pateretur, ut saltem illius causa (nam semper suis parum, aliorum commodis multum indulgit) diutius decumberet; ne senile corpus longis vigiliis contereretur, & per nocturnas orationes frigore læderetur. Noctis quippe silentio, & tenebris te æternum Solem, & veram lucem quærebat, dicere solitus: optimum orationi nocturnum tempus. Quoties ego interdium Sanctum Senem genibus innixum, & prolixius orantem, cum nemo alius auderet, strepitu aliquo revocabam, & in suis lacrymis procumbentem coram te liquefacto corde inter manus tollebam? Ausus etiam pius idem Nepos ab altari tuo, maxime per Hyemem, revocare, ut scilicet sumpta Eucharistia tua contentus a Missarum celebratione desisteret, metuens vitæ suæ temporali, totus caro, & sanguis. Comovebantur quippe viscera mea, quoties morbo aliquo tenebatur. Et tu, Domine, crebris infirmitatibus carnis provehebas servum tuum, quas mira, atque incredibili patientia, tibi gratias agens, ferebat. Vidi illum & febribus æstare, & viscerum dolore vehementer torqueri, cum interim nullus gemitus, nulla ejulatio, nullumve leve suspirium sentiretur, sed idem esset habitus oris, eadem vocis constantia; ut si quis consuetudinis suæ ignarus venisset, leviter ægrotare de ipsius tolerantia judicasset. Tantum labores nostri, & vigilæ, quas ægre patiebatur, pium stringebant animum, & † curam corpulculi sui nimias delicias, † nominabat. Cum vero toties adversa valetudine tentatus esset, coegit eum semel vis doloris, quem Colicon vocant, cum triduo fere nullæ Medicorum artes valerent, tacite implorare auxilium clementissimæ Virginis Matris Filii tui: quod non frustra fecit. Nam continuo, non paulatim, ut semper alias, sed repente, nobis mirantibus, penitus abscessit dolor: quod postea fassus est, se multum accusans, quod non potuerit ferre medicinam tuam, peccatis, ut dicebat, suis clementer adhibitam.

† ut.
† al. nominaret.

† al. loquar.

† in Ven.
Cod. desiderantur
verba inter
comedendum.

Eloquar † coram te, Domine, historiam insipientiæ meæ. Quodam tempore, cum in ejus Convivio nonnulli Episcopi affuissent, & Historiæ quorundam tuorum Martyrum lectæ essent, ipso, ut semper talia attentissime † inter comedendum audiente, moxque sublati mensis illum omnes intueremur, ut ipso scilicet more suo inchoante tibi psalmum cæteri diceremus, cæpit facies ejus mirabiliter excandescere, & ipse vehementer præcordiorum motu pulsari, & totus concussus stillantibus lacrymis, elevatis oculis & passis manibus, cum ingenti clamore vocem emittere, quantam nunquam putassem latera sua, & illud pectusculum potuisse. Omnes trepidi circumspexere; ego medium amplexus jam miris modis a corporis sensibus avocatum, quibusdam adjuvantibus in Cubile deduxi. Fateor, Domine, quamquam non essem nescius theoricis illos excessus mentis agi caritatis tuæ inspiratione, intima animæ penetrante, (sic enim Paulum, sic alios Sanctorum tuorum raptos a sensibus legeram, sic de plerisque audieram) & hoc tale non dubitarem, erubui tamen, & dolui graviter, quia alii affuissent. Ecce confiteor peccata mea magna. Sacrilegii quippe instar est quovis prætextu elemo-

finas

finas impedire, & orationum tibi debita sacrificia, & triste nimium erubescere dona tua, Sanctorum tuorum dulces delicias. Miserere, Domine, parce supplici tuo: quia *malum coram te feci*. At vero cum illum hominem tantum amabam, quid in eo amabam, nisi innocentiam, pietatem, fidem, mansuetudinem, cæterasque omnes virtutes, quæ in eo domicilium habebant? At virtutes bona animi sunt; animum ergo ejus amabam.

*Psal. 50.
ver. 6.*

Numquid vero non amo animam ejus carne solutam? Amo certe nihil minus, quam cum esset in corpore: sed præsentiam ejus oculi mei quærent, qua nisi per corpus frui nequeo. Quid est autem anima illa soluta corpore? nempe rationalis creatura, invisibilis, & immortalis, altera hominis pars, naturali affectu cupiens iterum corpori suo uniri, non illi passibili, quale experta est, sed suo tamen: neque enim beata esse posset † in tali corpore. Sed suum illud corruptibile, & non jam mortale, quia mortuum, aliquando induet in corruptionem, & immortalitatem: nam quamvis solvatur in cineres, & in diversa fluat elementa, nihil ex substantia ejus peribit. Canet tuba in novissimo die, & suscitabis illud in momento, in ictu oculi purius, & splendidius sole hac pulcherrima creatura tua, quam propter hominum temporalem vitam fecisti: & anima illa exuta corpore iterum circumdabitur pelle sua, & in carne sua videbit te Deum Salvatorem suum.

† *al. effect.*
*Ex Epist.
1. ad Cor.
Cap. 15.*

*Ex Job.
Cap. 19.
ver. 26.*

Hæc ille, dum adhuc nobiscum peregrinaretur, crebro reputans, magnas miserationes tuas, nihil aliud suspirabat, nisi te Dominum Deum suum, & cælestem patriam, gloriosam Civitatem tuam, dicens hunc mundum patriam esse Brutorum, hominibus, qui in eo peregrinantur, exilium: & mirari cur in tantis hujus calamitosæ vitæ miseriis tam cupide viveretur, cur corruptibilium corporum carcerem rationales animæ tam libenter, incolerent: sibi vitam hanc labori fuisse, & longissimam visam. Te dies, te noctes orando, legendo, disputando quærebat, de te meditabatur, de te loquebatur. Tu cogitationum suarum principium, tu finis, tu requies sua, tu sibi in rebus secundis, tu in adversis refugium. In te omnes actiones suas referebat, tibi soli placere studens rebus temporalibus, ut caducis, & momentaneis utebatur. In eis injuriam, & fraudem pati, quam lites persequi malebat. Damna velcum gaudio suscipiebat. Nunquam illum per tot annos irarum, nunquam lætitiæ, aut mærore, laude humana, aut detractione commotum vidi. Quinque Fratrum funera æquanimiter tulit. Nonnullorum ingratitude nem ita patienter sustinuit, ut pro eis semper oraverit, nemini malum pro malo reddens. Mendacium nec dicere, nec pati poterat. Omnis sibi simulatio, nec minus dux incautarum mentium pestes, adulatio, & calumnia, ut doli, & fraudes displicebant. Non illum gratia, non timor a vero revocabat. Itaque sæpe illum nonnullis hominibus, veri dicendi, & consulendi libertas ingratis reddidit. Qui in administranda justitia, præterquam causa moverentur, Piratis, & Latronibus comparabat. Perusinæ Civitati, & late circum Provinciæ Legatus cum sum-

Ad Rom.
Cap. 12.
vers. 15.

† al. excep-
tis gra-
tuis.

ma integritate, quantum voluit præfuit, nihil inde reportans, nisi amorem Civium, & benefactorum conscientiam. Paci enim, & concordie studuerat in factiosa Civitate, & minime quietæ Provincia. Temporis jacturam, quia irreparabilis esset, damnosissimam esse dicebat: itaque otio ne in verbis quidem abutebatur. Miti, & liberali ingenio, longanimis, patiens, pius, integer, incorruptus, misericors erga omnes: *gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus*, aliorum infirmitatibus compati. Facilis ad eum aditus, faciliior in rebus iustis impetratio. Nullus a colloquio suo non invitatus recedebat. Frons, oculi, vultus, incessus humilitatem, & innocentiam præferebant: Pater pauperum, præsertim Servorum tuorum, Domine, quos omnes fovebat, quemadmodum Gallina pullos suos sub alis, tantum offensionibus tuis movebatur, idest peccatis hominum, & Servorum tuorum persecutionibus. Nam tu, Deus omnipotens placari potens, offendi non potes: se ipsos offendunt, qui te offendunt, nec læduntur servi tui in persecutionibus, sed in caput delinquentis, *iniquitas ejus descendit*. Cæterum mansuetissima ejus natura zelo domus tuæ adversum Hæreticos, & totam Beelzebub scholam exardescere, nec pati poterat hypocrisim, & superbiam Diaboli in membris suis, & fraudem simplicium animarum. Voluit quoque se Ecclesiastica dignitate abdicare, & redire ad Fratres suos servos tuos: cum senectutem suam, & alia pleraque causaretur, diceretque se inutilem rebus Ecclesiæ tuæ: quod multis contra rationibus oppugnare, ac refellere studui: nam mecum curas suas partiri solebat, exceptis muneribus gratiæ †, & revelationibus tuis. Credebat enim multum mihi humilis ille servus tuus: & cum esset acris ingenii, & longe omnibus in rebus sapientissimus, præ nimia humilitate, alios prudentiores arbitrabatur, nec solum prudentiores, sed & meliores, & justiores: nam se peccatorem dicebat, & oculis tuis placens sibi contemptibilis videbatur. Extant etiam in litteris labores sui multum utiles, Liber scilicet annorum Filii tui a temporali ejus nativitate, in quo multa errata diligenti supputatione correxit; sed eadem humilitate nomen suum præscribere noluit: habetur autem in Bibliotheca, quam instituit apud Fratres suos. (a)

Cum iis ergo moribus (quoniam voluisti corpora nostra sicut vestimentum veterascere) senuit valde, & effæto corpore, cum ætati suæ nemo non emeritam vacationem concederet, de Curia Romana Paduam venit (b) ut esset proximus Fratribus suis. Quam simul attigit, libros, quos multo studio collegerat, & omnem sacram suppellectilem inter servos

(a) Hæc insignis olim Bibliotheca, quam Pluribus comparatis libris tum editis, tum manuscriptis Corrarus construxerat, auxeratque aliis plurimis Eugenius Papa IV. fortuito periit incendio die XI. Julii anno 1716. At lucubrationes ipsius Corrarii, & præsertim sui temporis Historiam ab eo adornatam, prævie periisse nonnullorum fraude, sive Custodum incuria, lugens enarrat Thomassinus.

(b) Labente scilicet anno 1443. seseque in Cenobio S. Joannis Decollati recepit; cujus præfecturam gerebat Maffæus Contarenius, S. Laurentii Justiniani in Patriarchali Veneta Sede immediatus postea successor; ut ultimam inter Confratres suos, inibi ageret senectutem.

vos tuos divisit, quasi jam præfagiens resolutionem sui corporis immine-
 nere. Quamquam quid præfagisse dico, si tu illi, Domine, revelave-
 ras? Nam cum Paduæ aliquot jam menses egissemus, solique quadam
 die essemus, inter ambulandum, & dulcissima sua colloquia, hoc anno,
 inquit, expediam me ab hac vita. (a) Quæ verba cor meum tam-
 quam terebra penetrarunt; noveram enim ab eo nihil temere dici so-
 lere. Et quod sibi terminum vitæ statueret, hoc tuæ curæ relinquendum
 dicens, postremo quid sciret interrogavi. Ille me intuens, & ex vultu
 meo perturbationem animi mei conjiciens, subridens aliquantum substul-
 lit ex verbis suis assertionem, & ita se sperare respondit. Curavit quo-
 que ut duo religiosæ conversationis Servi tui, quos dulci caritate dili-
 gebat, eo anno sibi præsto essent, & ut alter, qui aberat, Paduam ve-
 niret, alter, cum adesset, ne alio mitteretur, volens (ut clam me di-
 xit: quod post ejus obitum didici) ambos, sicut postea contigit, mor-
 tis suæ interesse. Aderam autem, cum ad eum venissent nonnulli Mo-
 nachi servi tui, quibus traditurus erat Monasterium quoddam Veronæ,
 quod extremo vitæ suæ tempore assequuti sunt: Maturate, inquit, nam
 cito moriar. Possum hic, Domine, si licet, de Famulo tuo tecum que-
 ri, qui talem rem, si modo ei revelaveras, Filium, & Alumnum suum
 ambage quadam celaverit. At quid scire pertinuit? Multum, Domine,
 si de animo meo veram conjecturam facere possim. Nihil omissem
 temporis, nusquam ab illius latere, non dies, non noctes recessissem;
 ejus sancta colloquia, brevi tanto bono cariturus, avidius hausissem,
 me suis orationibus diligentius commendassem; denique didicissem in
 dies dolendo levius postea hunc dolorem ferre, nulla non dies præviso
 vulnere me paratiorem reddidisset. Diceret fortasse: noveram imbecilli-
 tatem animi tui; non, ut putas, anticipato dolore, minus postea do-
 luisses; sed veluti per gradus quosdam doloris eo venisses, quo quanto
 securius venisti, tanto brevius dolebis; cum, si ratio nequit, tempus
 modum adhibuerit dolori tuo. Credo, Domine, qua fuit erga me pie-
 tate, nulla alia causa ne diceret, destitisse; quamquam satis dixerat,
 nisi ad intelligendum tardus nimium fuisset.

Visus quoque est mihi in somnis Beatæ memoriæ Bernardinus Se-
 nensis magnus verbi tui Prædicator, qui non multo ante diem suum
 obierat (b) Famulo tuo multum in tua caritate dilectus, & mihi per
 eum notissimus, apud cujus corpus multis miraculis glorificabatur no-
 men tuum. Visus autem venire ad nostram Domum, cum quibusdam
 Fratribus suis mihi incognitis læta admodum, & ridenti facie. Ego illi
 occurrere, & in mutuo complexu liquefacto corde in lacrymas: ut in-
 quam, Pater, te libenter aspicio! Sed fare age an mortuus sis, & quid
 venias? Mortuus, inquit, fui; nunc vivo, venio autem invisere no-
 strum

(a) Ex his, aliisque aperte constat, a vero recessisse Joannem Philippum Thoma-
 sinum dum scripsit: Cardinalem Corrarium aliquot annis in D. Joannis Decollati Cæ-
 nobio, tamquam pietissimum Patrem cum Filiis, tranquillam vitam duxisse; vix
 enim paucis, ultra annum, mensibus inibi constitit.

(b) Dic nempe 20. Maii 1444.

strum Cardinalem. Præcurri trepidus ad Famulum tuum: & venit, inquam ad te † F. Bernardinus, & se mortuum fuisse dicit, nunc vivere. Ille gaudio perfusus assurrexit, ego somno solutus. Mox, ut aliquando monent ea ipsa, quæ spernimus, nonnullis narraui quid in somnis vidissem, adiiciens: si Cardinalis ægrotaret, hoc mihi somnium mortem ejus prænuntiare forsitan videretur. Sed hoc anno non ita voluit. Et nihil vanius quam somnia. Paucos vero post dies, nescio an octo, ægrotare cæpit.

Ecce coram te, Domine, dum refugit mens venire ad tempus illud extremum, quasi mortem carissimi Patris tantisper differam, dum de vita ejus temporali loquor, multiloquio ad narrationem quoque somniorum lapsus sum. Contemnant, qui volunt, somnia mea, non accusent pietatem: & qui legerint in his litteris lacrymas meas, Fratres mei orent pro me compatiētes infirmitati animæ meæ, & fortiores me tibi gratias agant. Ego certe in obitu Famuli tui lacrymas tenere non potui; pressi aliquando, cum aessent servi tui, qui me consolabantur. Fleuit Jesus tuus, Jesus imo noster, tuus Filius, Salvator noster, fleuit mortem Lazari, qui, licet lacrymæ illæ aliud significasse credantur, non flevisset tamen Magister futurus exemplo, si hominem de morte hominis non dolere, humanitas, quam induerat, pateretur. Et Apostolus tuus, cui auctoritatem Filii tui sequuto, visum est mortuos leni vocabulo Dormientes appellare, ut futuram resurrectionem corporum significaret, duram nimis humanæ naturæ, & intolerabilem legem statuisset dicens, non contristandum super dormientibus; si non continuo addidisset: sicut cæteri, videlicet Infideles, qui spem non habent, scilicet resurrectionis, & vitæ æternæ, quæ est in te. Quibus verbis & humanitati dolorem permisit, & a Christianis mentibus infidelitatem exclusit; indecorum intelligi volens, intemperate dolendo, eos imitari, quorum errores miseremur †. Sed quis dolori moderari queat, & scire quatenus dolendum sit? Flevere nonnulli Sanctorum tuorum Parentes, Fratres, Amicos. Ego Patrem, Fratrem, Amicum lugeo in unius hominis caritate. Omnia illa pietatis nomina, sua erga me caritate, promeruit. Patris quondam carnis meæ, & nonnullorum Propinquorum mortes visus sum multis fortiter tulisse. Hoc vulnus altius adactum; hoc uno, dolore succubui. Nollem tamen illud, si possem, ullis precibus iterum ad humanos labores, & corporis, quamvis integri, fastidia revocare. Doleo ergo inde abiisse, quo illum reverti nollem. Si bona est hæc vita mortalis, cur reverti nollem †, si plena miseriis, cur abiisse doleo? Sic est, Domine. Luctatur ratio cum dolore, & inter graves angustias sui memor aliquando respirat. Felix ille, qui aut sempiterna beatitudine jam fruitur, Agnum tuum sequens (quod potius reor, & potius tua pietate confirmes) aut si quid illi terrenæ contagionis inhæsit, veluti nævus quidam in candidissimo pectore, quod purgandum sit, prope diem fruetur. Felix ille! Non patietur mala sæculi, non sentiet calamitates, quas Ecclesiæ pro peccatis nostris videbat impen-

† Desiderantur
predicta
verba in
Cod. Class.

pendere, quas nec nostris valemus consiliis expedire, nec tuam volumus penitendo misericordiam promereri. Non dolebit Infidelium de nostro sanguine triumphos, non casum religiosissimum Regem, & Apostolicæ Sedis Legatum (*). Quam cladem paulo ante obitum suum, accepit victor ille, & vindex Europæ exercitus Christianorum catenus ultus Avos, Patresque, & temerata Tempia tua: quem justorum judiciorum tuorum ignari, liberata Græcia ultro in Asiam trajecturum sperabamus, tempus scilicet venisse rati, quo sacra illa Regio, in qua Salvator noster de Virgine natus est, ab Infidelium jugo liberaretur, quæ græmio suo complectitur tot, & tam sacrosancta fidei nostræ monumenta, a Christianis Principibus, dum aut male condant, aut male spargunt opes, dumque inter se digladiantur, aut luxuriæ serviunt, impie derelicta.

Sed jam cum de morte Beatissimi Viri breviter aliquando dicendum sit, flere magis juvat, quam loqui. Cæterum de mortis poculo, quod per inobedientiam suam propinavit nobis Pater noster Adam, omnibus bibendum est. Venerat ergo tempus, quo Famulo tuo pro tot suis laboribus, & benefactis te ipsum mercedem daturus eras, qua nulla major optari, nec a te, cum sis omnipotens, dari potest. Et immisisti febriculam in carnem suam. Agnovit continuo dona tua, & se vocari intellexit. Petiit itaque Sacramenta Ecclesiæ tuæ, & multum illis diebus orationi vacavit. Demum quinto, & trigésimo die, postquam ægrotare cæperat, morte in conspectu tuo pretiosa, inter manus servorum tuorum, carne solutus est, annos natus sex, & septuaginta, dies quinque, a temporali nativitate Filii tui anno MCCCCXLV. XIV. Kal. Februarii. Corpus ejus elatum a servis tuis, sine ulla pompa funeris, & ut voluit, humo conditum Venetiis in Æde Sacra Beati Martyris tui Georgii, apud Servos tuos, Fratres suos, quos præcipua, ut par erat, caritate dilexit. Familiam suam, quod infidelitatis signum esse diceret, nigra veste amiciri vetuit. Hic cursus, hic finis temporalis vitæ famuli tui Antonii Corrarîi Veneti, Episcopi Ostiensis, Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, Bononiensis nominati, quod Bononiensi Ecclesiæ aliquando præfuit.

Sed jam, Domine Deus meus, fons pietatis, *quoniam si dixerimus* Epist. *quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non* Joan. *est*, obsecro ergo te per viscera misericordiæ tuæ, & per pignus redemptionis nostræ pretiosum sanguinem Filii tui, quo lavit peccata nostra, miserere Famulo tuo. In pace sit locus ejus, habitet in Domino tua, in sæcula sæculorum laudet te. Inspira Servis tuis memoriam ejus,

(*) Uladislauum Poloniæ & Ungariæ Regem, & Julianum Cardinalem Cæsarinum Apostolicæ Sedis Legatum his verbis designat; ac infandam, miserandamque diem X. Novembris anni 1444. commemorat, qua Rex ille, pluribus jam ante de Turcharum Tyranno deportatis triumphis, signa iterum, suadente Legato, cum hoste contulit; ac infelici profecto Marte; nam cæsa ex utraque acie, plurima Militum multitudine, cæsis item, quotquot aderam, Episcopis, & Proceribus, imo Polonis ad unum omnibus, tandem Rex ipse, nec non Legatus Equo dejecti, capite truncati fuisse a cujus rei, brevi moriturus, triste nuncium Constantinus acceperat.

ejus, præsertim ad Altare tuum : & suscipe sacrificium , & oblationem eorum pro illa religiosissima anima. Inspira ut orent pro eo, qui eum noverunt in hoc sæculo , & qui nomen ejus audierunt , celebre apud Servos tuos , & qui utcumque noscent in litteris meis , quibus juvabit de eo scribere , ut meminisse , & loqui , fideli servo tuo, Domine Deus meus, qui *parasti in dulcedine tua pauperi, Deus, quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit*, pauperi , inquam ea paupertate, quam commendabat in terris Filius tuus dicens Discipulis suis: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum Cælorum*. Hæc interrim ad te , Domine , ut potui quærens consolationem , & non inveniens aliunde, quam a te , Deus Pater , Pater inquam Orphanorum . Cæterum vitam Famuli tui ab ineunte ætate, & quæ præterea de ipsius gloria post ejus obitum, Servis tuis revelare dignatus es, proprio Volumini reservavi, rogatus a Fratribus, quorum votis satisfacere debeo, quibus hæc, pro eorum erga Famulum tuum caritate, breviter nimis visa sunt , poscentibus occultiora quædam munera gratiæ tuæ , per tot annorum consuetudinem mihi utcumque comperta, latius explicari , & hoc ad te Soliloquium , non eis sitim sedasse , sed potius irritasse dicentibus . (a) Orent ergo ut pluas super me rorem de Cælo , & ut sæcundes sterilitatem cordis mei ; qui *ex ore Infantium , & lactentium perficis laudem* ; ut sic quod petunt, te donante uberius consequantur . Amen.

Psal. 67.
ver. 11.
1. ad Cor.
Cap. 2.
ver. 9.
Matth.
Cap. 5.
ver. 3.

Ex Psal. 8.
ver. 3.

E J U S D E M C O R R A R I I E P I S T O L A

Ad Novitium Carthusianum de commodis vitæ Regularis. (b)

† *Codex Venet. habet Carthusianos.*
VEREOR ne arrogantiae crimen incurram , si tibi apud istos Patres † constituto, vel instruendo, vel monendo, vel exhortando aliquid scribere præsumam ; cum non ambigam Sanctos Patres istos , cum quibus sub vexillo Crucis vitam ducere instituisti , multa te quotidie de rebus divinis , de Majorum institutis , de contemptu Mundi , quæque ad veram humilitatem , & cordis puritatem pertineant , melius , & prudentius edocere. Duo igitur priora omittam , instituere scilicet , & mone-

(a) Num ampliorem, absolutamque numeris omnibus Patru sui vitam, ut promiserat, & Confratrum in votis erat, reapse conscripserit ; nobis, cæterisque de eo differentibus, hucusque incomptum.

(b) Esto in utroque, quo usi sumus Codice , dies quidem , minime quidem annus signetur , quo data fuit , facile tamen deprehendi potest ex ipsius Corrarii verbis ad Ceciliam scribentis: *Credo hoc pium Patrem conjectasse ex quadam Epistola , quam jam fere decennio ad Novitium Carthusianum scripsam, sibi legendam misi*. Cum enim hæc ad Ceciliam scripserit die 5. Augusti 1443. ut notat Cl. Pater F. Joannes ab Augustinis, jam sponte fluit, quod circa annum 1433. hanc de commodis vitæ regularis ad Novitium Carthusianum Epistolam dederit.

& monere: nam ipse pro me nimio plusquam vellem monitoris ego. Tertium autem tentabo, si potero, cursum tuum exhortando juvare: quemadmodum in spectaculis sedentes plausu, favoreque, currentes excitant. Accipito ergo has exhortationes nostras, qualescumque futuræ sint, a vera certe caritate, qua te in Christo diligimus, proficiscentes. Jam sextus annus vertitur, ex quo mecum fere cum adolescente, adolescens versatus es (a) donec te ad præclarissimum opus, relicta sæculi vanitate, Spiritus Sanctus accivit. Mirabar te paulo ante adeo immutatum, ut non idem pene videreris. Risus, joci, Vanitas aberant: frons, oculi, vultus, incessus interioris hominis mutationem significabant. O inanes sæculi disciplinæ! O stulta Philosophia! Quid obscura volumina, quid longæ ambages juvant, quid præcepta dissidentium Philosophorum? Brevior est, & certior ad virtutem via. Convertamur ad illum, qui expansis manibus de Cruce testatur: *venite ad me omnes, qui laboratis*, *Matth. Cap. 11. ver. 38.* & *ego reficiam vos*: & inveniemus requiem animabus nostris. Quam vocem Domini, ipso aperiente cordis tui aures, audisti, simul & illam, qua dicit: *qui non renunciat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse Discipulus*. *Lucæ Cap. 14. ver. 33.* Quanto ergo † me gaudio affecisti, cum primum paucis al-
loquutus es: non ego aurum possideo, non agros, non divitias; cæterum me, me quod possum, Creatori meo offerre decrevi. Ipse dator holocausti, ipse holocaustum ero. Obstupui, fateor, in lætitia; nesciebam † demens quod a Deo esset: & putabam tibi aliquam mæroris causam contigisse, in cujus cogitatione ita affectus videreris. At tu non pro ullis rebus terrenis sollicitus eras, sed cælesti amore flagrabas, cogitabasque in dies dissolvere funem naviculæ tuæ a scopulis hujus mundi, Flabant leniter auræ Spiritus Sancti, radiabat ante oculos tuos matutinus Lucifer, ille inquam Lucifer, qui numquam occidit, qui est *lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*. *Joa. Cap. 1. ver. 9.* Quid dicam, quid † interea egeris? Nolo tibi adulari. Testis est omnium Deus: ipse cogitationes tuas videbat, & ab ipso erant. Ipse sermones nostros placida aure captabat: & dum aliquid de Scripturis suis legere-
mus, intererat. Ego te verbis hortabar, tu me exemplo trahebas. Denum tamquam Columba deargentatis pennis ad nidum tutissimum volitasti. Eloquar, an sileam insipientiæ meæ miseras? Ego ille, qui hortator fueram, qui me adeo gaudere dicebam (& certe ita mihi videbatur) lectis litteris tuis, quibus te apud Sancti Salvatoris Patres † Carthusianos mansurum significabas, lacrymas continere non potui; non quidem, ut aliquando sit, præ gaudio, sed ut in amicorum disces-
su cor perstringi solet: & mihi in hoc pius videbar, in quo impius eram. Gaudebam tamen nescio quomodo, & oculi flebant: intus autem pulsabar; quasi diceret anima: quid miser agis? cur hunc non seque-
ris,

Anecdota Tom. I.

D

(a) Ab anno nempe 1427. ætatis suæ sexto decimo; si semel enim consistat, quem mox instituimus, annorum calculus, Corrarius anno natus 1411. vigesimum secundum vitæ suæ agebat annum; quibus si detrahatur sexennium, jam habemus ætatis illius sextumdecimum annum, quo Mantuæ sub disciplina Victorini Feltrensis, eo fortasse juvene consodale, amœnioribus studiis operam dabat.

† In Claf.
Ced. non
est ly Car-
thusianos.

ris, quem præcedere debuisti? & rursus dicebam in corde meo: cur non, Domine, ambos traxisti? nam si voluisses, ego voluissem. Sed ego sine te velle non possum, quod tu vis: & scio, Domine, quod tu velles, si ego vellem: & tamen sine te velle non possum: nam voluntas hominis bona esse non potest, nisi in quo tu operaris, & velle. Quid est igitur voluntas hominis sine te? an quod anima sine ratione? an quod oculi sine visu? O Domine, fac me velle, quod tu vis, & nolle quod tu non vis. Hæc ego tacitus ad Dominum. At tu interim jam clementissimi Domini suave jugum subieras, qui tibi, si perseveraveris (a) pro labore brevissimi † temporis reddet præmia sempiterna. O felicem, & beatum quicumque tali Domino servit, qui talem mercedem expectat! O liberrima servitus omni regno præstantior! O nobilis ignobilitas, ignorari a sæculo, conversari cum Deo, & cum Sanctis Angelis, quos omnes lætificasti convertens te ad Dominum Jesum Christum: sit quippe in cælo gaudium super unius pœnitentia peccatoris! At contra Diabolum bonorum semper operum invidia tabescentem, quanto dolore torqueri putas, quanta nunc in te malevolentia, quanto odio ferri? Circumcursat tortuosus Serpens, furit Draco, violentissime † fremit, irascitur, mille nocendi artes parat, mille molitur insidias, laqueos tendit, tricas nectit, nihil inexpertum relinquit, etiamsi vertere † posse desperet: me quoque, credo, quod hortatus sum, solito plus odit. *Præpara* igitur Miles Christi, *animam tuam ad tentationem*, & persta in timore Domini, magna laborum præmia consequuturus. Semper illud habeto in corde: *qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit*. At quid tibi obiiciet callidus hostis, qui profecto numquam tentando vinceret, si Christianos nos esse recordaremur, si jacula, & sagittas ejus scuto fidei exciperemus? quid nisi pro Deo Mundum, pro cælestibus, & sempiternis terrenas, & brevissimas voluptates, & eas quidem amarissimo felle resperfas, o homo insane, emis lutum pretiosissima margarita. Nam cum peccato servis, tradis pro voluptate animam tuam, omni gemma pretiosiore, & peccati servus sis: peccatum enim, quod abominatur Dominus, quod fætet in conspectu ejus, luto non immerito comparatur; anima vero ad imaginem Dei facta, Christi Sanguine redempta, pretiosissimæ margaritæ. Quare hi mihi vere crucifigere quotidie, ac negare Christum videntur, quæ ingrati passioni ejus, qui sanguinis fusi immemores, qui crucis, qui clavorum oblitæ, contra Dei legem, contra præcepta, quæ Dei Filius in Cruce moriendo sancivit, sese veluti Pecora ventri obediens in volutabro turpissimarum voluptatum, in omnium vitiorum sædissima latrina immergere. Atque utinam non a pluribus mortalium, non a multis Clericorum hoc perverso more viveretur. Quo fit, ut hi mihi prudentissime vitam instituisse videan-

(*) Hoc perseverantiæ donum, quod ei suadebat, peroptabatque Corrarius, minime obtinuit ille; sæculum siquidem, cui tunc nuncium remiserat, paulo post resalutavit, ut ad Cæciliam scribens his verbis refert: *Sed o inanes exhortationes meæ! o vana spes! o vana hominum studia! Nisi Dominus edificaverit domum, in vanum laboraverunt qui ædificant eam: ille ad sæculum rediit.*

deantur, qui relictis sæculi vanitatibus, procul a contagio perverforum hominum, servituri Domino, secessere, seque ex tumultuosa vita, in portum quietis recipere. Verissima est profecto illa sententia: *cum sancto sanctus eris, & cum perverso perverteris*. Sic etiam versus ille testatur, quem a Poeta sumptum, Apostolus fecit Ecclesiasticum: *corruptum bonos mores colloquia mala*. Ideo mea semper fuit opinio in tam corruptis Ecclesiasticorum moribus difficillimum esse innocentiam custodire. Quid enim in Clero non videmus corruptum luxu, avaritia, ambitione, hypocrisi? Nec minus Laici malarum artium dociles, per nostra exempla feruntur. Nihil dicam de Romana Curia, de qua non possum pauca scribere, nam mihi jam pridem stomachum movit. Tantum subdam versus illos cujusdam Poetæ:

*Humani generis mores tibi nosse volenti,
Sufficiat paucos Romæ consumere dies, &*

Dicere te miserum, postquam illuc veneris, aude.

Expectat misericors, & patiens Deus emendationem nostram; sed nos pertinacia peccandi indulgentissimum Dominum ad iracundiam provocamus. Hinc bella, pestes, hæreses, hinc mali Principes, hinc Infidelium de nostro sanguine triumphum. Sed, quod deterius est, nos mala nostra non corrigunt. Unde quid formidandum sit ab irato Deo, conjecturam habere possumus similem veri, si antiqua iræ suæ flagella de sacris litteris contemplerur. Sed prophetare omittamus. Hæc scripsisse volui, ut tibi hujus sæculi statum repræsentarem; non quod omnes sæculi homines improbos putem; sed quod periculosum esse existimem in hoc baratro peccatorum, in hac colluvione sordium †, in hac sentina miseriarum conversari, ubi Diabolus quotidie animas nostras aucupatur. Mundus quippe area est, esca voluptates, homines Aviculæ, auceps Diabolus. Contra eorum salus, qui sæculo renuntiantes, secundum instituta Sanctorum Patrum sub regulari disciplina, vitam instituere, mihi quidem in tutissimo loco sita esse videtur. Est enim status ille pax animi, portus quietis, via salutis, morum custodia, finis erroris, vitiorumque fuga. Sed tamen credas & in tranquillo mari dormientem Navem obrui posse. Nihil umquam Diabolo credendum est, a cujus insidiis nee somni quidem securi sunt: nam quibus vigilantibus nequit, dormientibus nonnumquam illudit. Quare nusquam securitas est, cum etiam in quiete formidandus sit victus hostis, qui cum in prælio superatur, non tamen victus quiescit, sed deinceps insidias locat, dolisque, & astu militem Christi supplantare conatur. At dicet aliquis: si numquam ab impugnatione Diaboli cessatio est, eodem modo, quo sæculi homines periclitantur †, qui in monasteriis secesserunt †. Fateor de animarum salute, usque ad dissolutionem a corpore non sine periculo agi. Sed aliud est dimicare de muris, & Arce munitissima, quod ii faciunt, qui sæculo abrenuntiaverunt, & aliud aperto campo in aciem congregari cum instructissimo, & validissimo, ac callidissimo hoste, quo modo sæculi homines in dies consulantur. Si quæris quæ sint

*Psal. 17.
ver. 26.*

*Ad Ephef.
Cap. 15.
ver. 33.*

† Clas. barbari sæculi.

*† Clas. barbari præliantur.
† secesserint.*

acies Diaboli ; Dux ipse Diabolus est , in dextero cornu voluptas , in sinistro libido , in fronte luxuria , avaritia , ambitio , sub quibus plurimæ aliæ pestes militant . Circa signa Cenodoxia tuba canit : post sequitur denso agmine omnium vitiorum pedestris acies , & ultimo loco Desperatio , quæ Judæ proditori paravit laqueum . Hæc monstra tam diversa , tam multa primum cum carne hominis , cum sensibus corporeis pertentant de prodicione , & aditum ad animam quærunt , quem si negligenter observari , & Custodes sopitos offenderint , ubi in arcem animæ invasere , in miserrimam protrahunt servitutem . Quid faciet miser homo , cui simul cum carne , cum mundo , cum Diabolo colluctandum est ? Unicum remedium est , sed tutissimum , convertat se ad

Ex Isai. Agnum illum , qui pro nobis *ductus est ad occisionem* : & *fidelis Deus*
 Cap. 53. non finet cum *tentari supra id quod potest* . Nam *quomodo miseretur Pa-*
 ver. 7. *ter Filiorum , misertus est Dominus timentibus se ; quoniam ipse cognovit*
 Ex Epist. *figmentum nostrum* . Sed profecto dum cogito , solitudo Deo dedicata , tu-
 ad Corin. Cap. 10. tissimum animæ refugium esse videtur ; unde est illud propheticum *Ecce*
 ver. 13. *elongavi fugiens , & mansi in solitudine , expectabam eum , qui me salvum*
 Psal. 102. *fecit* , & apud Hieremiam : *Bonum est Viro , cum portaverit jugum Do-*
 ver. 13. *mini ab adolescentia sua : sedebit solitarius , & tacebit* . Nam qui sub re-
 Psal. 54. gulari disciplina servituti Domini cessere † multum quidem in Dei ser-
 ver. 8. vitio Fratrum orationibus , & sancta æmulatione juvantur ; sed hoc po-
 Thren. Cap. 3. tissimam commoditatis ab ipsa solitudine consequuntur , quod duorum †
 ver. 27. † secessere
 † suorum sensuum , visus , scilicet , & auditus , meo judicio periculosissima , acerrimaque impugnatione carent : qui sensus maxime in propatulo habentur , per quos plurima mala hominibus importantur . Propterea scriptum est : *sepi aures tuas spinis* ; & Dominus per Moysen præcepit Filiis Israel , ut facerent recordationem in fimbriis , ne sequerentur oculos

Eccli. Cap. 28. *per res varias fornicantes* . Certe primus homo Adam utroque deceptus est , qui non peccasset , nisi mulierem , audisset , & nisi illa serpentem : quæ utique Mulier tentari , & tentare minime potuisset , nisi super concupiscentia rei visæ : viderant enim ambo lignum vetitum in medio Paradisi . Ipsum quoque David visa species Bersabeæ adeo mentis impotentem fecit , ut ante oculos Dei cuncta cernentis , & mulieris pudicitiam , & infantis amici vitam proderet † . Quis ergo post David Sancti tam grandem ruinam mulierem securus aspiciat ? Væ nobis , quibus inter serpentes , & scorpiones cubandum est ! Libet exclamare , ramquam in excelsa quadam specula constitutum humanum genus exaudiat : Ocurvæ in terras animæ , & cælestium inanes ! cur tantum terram aspicitis ? cur non oculos ad cælum tollitis ? cur tantum in vobis caro dominatur ? Non advertitis vos quotidie mori ? Optima quæque dies miseris mortalibus ævi , cui prima fugit . Quid habet in se mundus iste delectationis , quæ quidem anima hominis digna sit ? nam corporeæ voluptates itidem nobis , ut pecoribus insunt . At qui rerum humanarum cursus ? Nonne omnia confusa , varia , incertaque sunt , sursum , deorsum , huc , illuc præcipitantur . Dies , hora , momentum magnam affe-

runt

runt vicissitudinem. Cedunt invicem Magistratus, exilia, divitiarum, paupertas, gaudium, lacrymarum, nuptiarum, funera, spes, metus, vita, mors : & per has miseras omnes eodem cogimur, ad mortem. *Vanitas igitur omnis homo vivens ; & frustra conturbatur, thesaurizat, & ignorat cui congregabit ea.* Homo sicut fenum terrarum dies ejus, sicut flos agri mane florescit, vespere decedit : *fugit velut umbra, & numquam in eodem statu permanet ;* & nihil secum portat, præter conscientiam boni, & mali, quod in vita gessit. Gaude igitur in Domino, & grato animo suscipe dona Spiritus Sancti, quo mentis tuarum tenebras illustrante, tandem sæculi malis emergeris ; ad quod iterum reverti, cum insanum, tum periculosum esset. Mortuus sit mundus tibi, & tu mundo, ut cum Paulo dicere possis : *vivo autem jam non ego ; vivit vero in me Christus.* Placuit quod mihi nuper dixisti, finxisse te mortuum ; cum primum Monasterium petens, e Porta Florentina pedem protulisti. Sed ita te mortuum putes, ut cogites tamen in dies te esse moriturum, & brevissimi temporis futurum, & nunquam hic amplius super terram victurum. Si quid fortasse in S. Salvatoris disciplina toleratu asperum videatur (quod tamen in dies usus, & consuetudo mollius reddent, & tua in primis voluntas in Domino confirmata : nihil enim tam difficile, quod non sit facile, si libenter facias) benedic Dominum, qui tribuit tibi intellectum ; qui non derelinquit sperantes in se, & quærentes se, & jugi oratione clementissimum Patrem deprecare, ut perficiat gressus tuos in semitis suis, ut non moveantur vestigia tua. Puta te scalam Jacob ascendere. Suspice, & videbis Dominum dicentem : clamabis ad me, & ego exaudiam te : convertere ad me, & ego convertar ad te : fesso porrigentem dexteram hilari fronte videbis. Persuade tibi hunc annum, si te in sancto proposito obfirmaveris, multorum annorum, imo sempiternam pacem pariturum. Multis artibus quæret Diabolus ne te post prima tyrocinii rudimenta, sacrarum militiarum astringas. Novit enim hoc secundo gradu a baptismate hominem denuo in Christo renasci, & omnes retroactarum vitarum maculas dilui. Sed tu nequaquam propriis viribus confisus roga Dominum, ut doceat manus tuas ad prælium, & ut apprehendat arma, & scutum, & exurgat in adiutorium tuum : & assuesce de perfido hoste crebras victorias reportare : qui si superatur a Tyrunculo, congredi cum milite formidabit. Persequere inimicum tuum te persequentem usque ad sanguinem & comprehendes illum, non convertaris donec deficiat ; confringes illum, nec poterit stare, cadet subtus pedes tuos. Quem mox victis post tergum manibus loco pœnitentiarum, & funiculo contritionis, multo renitentem pertrahe ante pedes Domini Crucifixi, & loquere ad Dominum : hic est, Domine, ille proditor, qui Adam de Paradiso expulit, qui fraternas manus in Abel justum necem armavit, qui Joseph puerum tuum Ismaelitis vendere suavit, qui te ipsum, Domine, per Judam crucifigendum tradidit : hic est malorum omnium artifex, qui nunquam servos tuos tentare desistit, & modo quærebat seducere me a te, Deus meus, misericordia mea, patienter.

*Psal. 38.
ver. 6. & 7.*

*Job. Cap.
14. ver. 2.*

*Ad Galat.
Cap. 2.
ver. 20.*

† brevissimum.

† Cartufianorum.

*Psal. 15.
ver. 7.*

*Ex Psal.
16. ver. 5.*

*Ex Psal.
17. ver. 33.*

*Ex Psal.
34. ver. 2.*

† desideratur hæc propositio in Cod. Claf.

*Ex Psal.
17. ver. 38.*

Ex Psal-
mos 26. 15.
45.

Eccli. Cap.
33. ver. 29.

Ex Psal.
136. ver. 9.

patientia mea, fortitudo mea, spes mea, salus mea, redemptio mea. Et dicet Dominus: quare ausus es, pessime coluber, tentare servum meum: & mittet eum in tenebras exteriores, & in ignem, qui a constitutione mundi paratus est Diabolo, & Angelis ejus. Tunc victor, Domino cantabis: *si consistent adversum me castra non timebit cor meum: si exurgat adversum me praelium in hoc sperabo, quoniam a dextris est mihi ne commovear. Venite & videte opera Domini, quae posuit prodigia super terram, auferens bella usque ad finem terrae.* Sed hanc pacem habere non poteris, nisi prius veram humilitatem induas, nisi saeculi, & pristinae conversationis oblitus, soli Deo placere contendas, quod ea demum ratione consequi poteris, si nihil per te ipse praesumpseris, sed voluntatem tuam Praeposito Monasterii subiugaveris, si otium tamquam mortem animae vitaveris, dicente Scriptura: *multam malitiam docuit otiositas*; si denique tentationum principia Seniori continuo detegas, allidens pavulos tuos ad petram, his enim artibus facillime vincitur Diabolus. Sit corpus attenuatum jejuniis, citra languorem tamen, anima spiritualibus saturata deliciis. Nihil te esse existimes, nisi peccatorem. Quidquid aliud es, non a te metipso es, sed a Deo, qui gratiam suam, non pro meritis, sed sua benignitate, etiam peccatoribus, quos elegerit, elargitur: neque enim ipse eligitur a servis suis, sed eligit eos absque acceptione personarum. Nullae te delectent litterae praeter eas, quae in nomine Domini nostri scriptae sunt. Ibi hoc facile erit, mihi difficilius esset; inanes saeculi disciplinas, & gentilium litterarum illecebras sectatus sum, & adhuc sectari non desino. Fateor peccatum meum; sed in te gravius quiddam esset. Aliud enim est, esse Monachum, & Monachum Carthusianum, aut Salvatorinum, quod futurus es, Domino opitulante, & aliud esse, quod ego sum. Ceterum quoniam de litteris mentionem fecimus, post sacra volumina, quae assidue in manibus, & semper in corde habenda sunt, legendi etiam libri Doctorum Ecclesiasticorum, & in his ea potissimum, quibus legendis plus tibi profectus, & devotionis accedere videtur: non enim tibi tam quaerenda sunt, quae erudiant, quam quae aedificent. Diversa quippe animarum in Scripturis suis Dominus apposuit medicamina, & diversas gratias in earum lectione Servis suis elargitur. Alius ex lectione Evangelica magis proficit, alius ex lectione Psalmorum, alius item ex Prophetarum. Sed & historiae Martyrum, & vitae Sanctorum Patrum magnam legenti afferrent utilitatem. Sic enim ista legens interdum afficeris, ut Sanctorum martyriis videaris interesse, & eorum voces audire, inter diversa tormenta Christum Dominum unanimiter confitentes. Nonnunquam in Heremo consistere videberis, & Sanctorum Seniorum Cellulas vel in arenis, vel pendentes de praeruptis montium contemplari; ipsos etiam cernere indutos cilicio, intonso capillo, barba prolixa, aut positigenibus orare, aut fiscellas texere, aut hortulos irrigare. Multum adeo in quacumque re movent exempla eorum, quos sibi quisque imitandos proposuerit. Cui enim non videantur deliciae, vel asperissima nostri temporis

Monasterii

Monasteriorum instituta, si sibi proposuerit Paulum, Antonium, Macharium? aut quem in Dei servitio segnem propositus patietur Hilarion? Illud quoque in partem divini muneris reputare debes, quod natus in diversa, longinquaque Orbis parte, in Italiæ Monasterio jugum dulce Domini Jesu subieris. Quamquam enim Domini sint universi fines terræ, & undequaque aditus ad Cælum pateat, habet tamen natale solum nescio quid, quod mentes Servorum Dei molliat. Ipsæ, etiam auræ videntur quasdam eorum, quæ in sæculo gesseris, cogitationes afferre. Cognatorum insuper, & Amicorum desideriis non satisfacere inhumanum profecto videtur, qui specie humanitatis crebrius intromissi, quam regularis disciplina patiatur, Monachum a divinarum rerum contemplatione distrahunt, & aut sæculi recordationes ingerunt †, aut quamdam ipsorum expectationem; quod si † a præfinita consuetudine aliquando venire distulerint, aut se contemni credat, aut certe eorum desiderio teneatur. Quanto autem plura desiderantur, necesse est minus desiderari Christum. Quare jussus est a Domino Abraham exire de terra sua, & de cognatione sua, ut sic terram repromissionis intraret. Age tu quoque, qui de terra tua, & de cognatione tua existi, ut ad terram repromissionis, Patriam scilicet supernæ Jerusalem cum Abraham introires: *expecta Dominum, viriliter age, confortetur cor tuum, & sustine Dominum*; & ipse torrente voluptatis suæ potabit te; & hauries aquas in gaudio de fontibus Salvatoris, quoniam apud eum fons vitæ. Hæc demum suaves delicæ, hoc est in carne vitam imitari Angelorum † Mox cantabis ad Dominum: *quemadmodum desiderat Cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus: Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum, quando veniam, & apparebo ante faciem Dei*; & deducet te Deus in terram rectam, fluentem lac, & mel. Cogita quantum erit Electorum gaudium, quanta gloria, cum Beata Maria semper Virgine, cum Angelis, cum Martyribus, cum Sanctis Confessoribus simplicissimam Trinitatem contemplari, & Deo frui sempiterna beatitudine. Quanta erit bonorum exultatio, cum in die terroris, & formidinis, Dominus ad judicandum venerit: quanta autem malorum desperatio, cum viderint Dominum *venientem in nubibus cæli* cum terribili majestate. *Ignis ante ipsum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos ejus*. Vox ejus quasi tonitruus, & ex ore ejus procedet gladius his acutus; *egredietur ante pedes ejus Diabolus, & ante faciem ejus ibit mors*. Summum genus tormenti erit videre faciem Dei irati. Væ miseris! quo fugient a furore ejus! cuperent montibus operiri, aut in profundum mergi. Videbunt electos a dextris Dei, & dicent: *nos insensati vitam illorum aestimabamus insaniam, & finem illorum sine honore: ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter Sanctos fors illorum est*. Tunc aperientur libri, de quibus scriptum est: *Judicium sedit, & libri aperti sunt*, & revelabuntur pudenda in faciem peccatorum, testimonium illis reddente conscientia: & dicet Dominus electis suis: *Venite benedicti Patris mei, possidete regnum*; reprobis autem: *discedite a me maledicti in ignem æternum*. Et

conti.

† ingenerant.
† qui s.

Gen. Cap. 12.

Psal. 36.
ver. 14.

Ex variis
Scripturæ
locis.
non leguntur præcedentia in
Cod. Claf.
Psal. 41.

Psal. 96.
ver. 3.
Apocad.
Cap. 1.
Habac.
Cap. 3.

Sapient.
Cap. 5.
ver. 4.

Apocal.
Cap. 20.
ver. 12.
Matth.
Cap. 25.

Psal. 16. continuo nullo miserante, rapiet eos Diabolus, sicut Leo paratus ad prædam: introibunt in inferiora terræ, tradentur in manus gladii, partes Vulpium erunt. Sed quoniam ad finem festinat oratio (sentio enim quam multa extra propositum dixerim) in fine sermonis obsecro te, Frater,

Ad Ephef. Cap. 4. ver. 1. Apostoli verbis, ut digne ambules in vocatione, qua vocatus es, cum omni humilitate, mansuetudine, patientia, exhibens temetipsum hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium servitutis tuæ; ut sis vas purum in honore sanctificationum, Templum Dei, & habitaculum Spiritus Sancti: habitat enim Dominus in purissimis mentibus, ut

Joan. Cap. 14. ver. 23. in Evangelio testatur dicens: si quis diligit me, sermonem meum servabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. O magna dignatio Creatoris! si expellimus a nobis Diabolum, continuo pectoris nostri habitator fit Christus. O anima ad imaginem Dei facta, o pulcherrima creatura; pulsat ad fores cubiculi tui Christus Sponsus, & tu eum suscipere moraris? Pelle impudentes Procos, pelle adulterum Diabolum, & accepta lampade, occurre obviam Sponso.

Ex Canticis Cantic. Cap. 3. Cave ne, te remorante, pertranseat, ne forte dicas: circuibō in Foro, & in plateis quæram eum, & incidas in Custodes Civitatis, qui percutiant te, & vulnerent, & auferant vestimentum tuum. Quod si illico pulsanti aperis, & recipis eum, recipiet te in regno Patris sui; sicut dixit: ubi ego sum, illio & minister meus erit. Sed ubi es, Domine

Joan. Cap. 2. ver. 9. Deus meus, ubi es, qui ubique es? ubi non es, sed omnia imples? Ubi tecum erunt Ministri tui, ubi? nisi in te Sancta Trinitas, unus

Ad Corint. Cap. 2. ver. 9. Deus, qui parasti diligentibus te, quod nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit. Festinemus igitur ad vera bona, & sempiterna, & corruptibilem mundum suis amatoribus relinquamus. Hactenus scripsisse satis sit; nam & modum epistolæ excessisse video.

† *al. mei.* Sed me caritas longius traxit, & mea † erga te benevolentia, qui cuperem esse apud te, cum hanc nostram legeris epistolam. Tunc libere non absentem audires, essetque tibi nostræ dilectionis monimentum. In his autem litteris non auribus scripsimus, sed cordi, nec quærivimus ut aliquid elegantiz effet, sed compunctionis, si modo id efficere potuimus. Quæ quidem litteræ, ut hospites, suscipiendæ erunt in Sancti Salvatoris † Cænobio, & disciplina, atque ita legendæ, si eas primum veneranda Sanctorum Patrum auctoritas approbaverit. Vale in Domino, Frater Carissime, & assidue in orationibus tuis, quas fundis ad Dominum Jesum Christum memor sis Gregorii peccatoris, ut ego quoque in ipso, & per ipsum valeam: qui cum Patre, & Spiritu Sancto vivit, & regnat benedictus in sæcula Amen. Venetiis † Nonis Martii.

† in Cod. Ven. legitur Florentiz.

EJUS.

E J U S D E M C O R R A R I I † ³³ E P I S T O L A

Ad Cæciliam Virginem de fugiendo sæculo.

E GONZAGA gente progenitam fuisse præclaram hanc Virginem, ad quam hortato-
riam Epistolam dedit Corrarius, in dubium vertit nemo; eam vero Ludovici Fi-
liam, & furto quidem susceptam suspicari visus est Possevinus; e contra ab hoc na-
taliū vizio strenue ipsam vindicat, & contemporaneis adhibitis testibus, Johannis
Francisci, Primi Mantuæ Marchionis, & Patris ipsius Ludovici, minimam statu filiam
fuisse ex Paula Conjuge Malatesta susceptam, evincit in Præfatione Martene.

Nuper cum illustrem feminam genitricem tuam Florentiæ visitassem, pau-
ca quædam prælocuti, in sancti propositi tui incidimus mentionem;
quod repudiatis terrenis nuptiis, cælestem sponsum elegeris, & spreto,
calcatoque sæculo † Monasterium tota cordis intentione suspires: tan-
tum tibi ob stare voluntatem Patris adversam, non dicam enim Paren-
tum, nam ipsa, ut est omnis sanctimoniz speculum (a) mavult te
sponsam Christi cernere quam de carne tua sobolem expectare: & in
hoc te plus diligit, & virum superat vigore animi, qui muliebri in sexu
mollior esse consuevit. Gratias egi Deo nostro, a quo omne datum
optimum, & omne donum perfectum, laudavi propositum tuum, dixi
sperare, hoc non solum ad salutem animæ tuæ pertinere; sed & plu-
rimarum virginum, quæ tam claro, inusitatoque exemplo, ad frugem
melioris vitæ trahentur. Quin tu igitur, inquit præceptor noster Victo-
rinus (assistebat namque illacrymans præ gaudio, ut solet) Cæciliæ no-
stræ, aliquid scribe †, est enim stilus tuus ad hujusmodi exhortationes † scribe-
non inefficax. Credo hoc pium Patrem coniecisse ex quadam Epistola, re.
quam jam fere decennio ad Novitium Carthusianum † scriptam, sibi † Cartusi-
legendam misi. Sed ô inanes exhortationes meæ, ô vanæ spes, ô va-
na stidia hominum: nisi Dominus edificaverit domum in vanum labora-
verunt, qui ædificant eam, ille ad sæculum rediit. Sed absint querelæ ab
exordio nostri sermonis, potiusque propositum tuum, quantum Deus
donaverit, hac de te instituta oratione, adjuvare conemur: quod quidem
Victorini monitu non arroganter fecimus, rogantes, ut has litteras ea-
dem caritate suscipias, qua scribuntur, nec ipsam caritatem de viribus
ingenii nostri metiaris. †

Multi excellentium Doctorum religionis Christianæ, qui merito san-
ctitatis, & doctrinæ clarissima Ecclesiæ lumina extitere de profectu Vir-
ginum, de studiis, de moribus missis epistolis ad sacras Virgines, scri-
ptitarunt. Hinc illæ celebratæ Epistolæ Hieronymi ad Eustochiam, &
Demetriadem Virgines, & Ambrosii item ad Demetriadem. Multi etiam
Anecdota Tom. I.

E

diver-

(a) Illustris hujus Faminæ tota qua late patet Italia celebris, pluribus sanctimo-
niam commendat Matthæus Bossus, de Immoderato Mulierum ornatu differens, nec
non Wadingus ad annum 1449. quo illa è vivis recessit.

diversis tractatibus de sancta virginitate, de servanda continentia, & de utriusque præstanti laude differuerunt, sicut Augustinus & Basilius in eo libro, quem nuper Frater Ambrosius (a) in latinum sermonem vertit, cui pro suis bonis meritis rependat Deus in vita beata. Multa quidem
 * & . utilia ex Doctoribus Ecclesiasticis egregie transtulit, sed * plura transtulisset ni cum a laboribus humanis immatura mors subtulisset (b). Quid cæteros prosequar? quorum scripta partim extant, partim nostra negligentia perierunt, disce ex catalogo scriptorum Ecclesiasticorum, nihil invenies æque omnium ingenii, & litteris celebratum. Pro deliciis olim habuerunt Sancti, & eloquentissimi Viri exhortari Virgines, salutaribus documentis instruere, sanctam laudare virginitatem. Necesse etiam fuit de ejus meritis adversus rabidos Hæreticorum latratus disputare. Ut enim fuerunt quædam monstra hominum, quæ de Sancta Trinitate, de cæterisque divinis, & ecclesiasticis misteriis impias, falsasque opiniones prodiderunt: ita nonnulli tam prostituti pudoris, in quibus fuit princeps
 * æquare. Jovinianus, ut præponere * ausi sint nuptias Virginitati; quorum impietatem Doctores Catholici diversis voluminibus confutarunt. Quid quid ergo de hac re cogitari, aut dici potest, quid quid de sacrarum scripturarum testimoniis afferri, eorum litteris continetur. Quare studiofas Virgines, omiſſis rivulis, ad eorum fontes delegamus. Quid enim a me, meique similibus, idest peccatoribus, & divinarum scripturarum rudibus, addi posset in tanta excellentium scriptorum copia, auctoritate, præstantia?

O donum Dei præcipuum, o Angelis cognata virginitas in matre Virgine, & in Filio Virginis consecrata! Tu via cæli, tu fuga Dæmonum; tu decus animæ, tu splendor, tu corona pudicitæ, tu super pectus Domini recumbis, tu Agnum sequeris, dicente Scriptura in Apocalypsi S. Joannis: *hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati: virgines enim sunt, hi sequuntur Agnum quocumque jerit*. In quibus verbis, Virgo Christi
 * virile. si Cæcilia, ne putes Fæminas præteriri, sed per virilem * sexum, utrumque significari. Qua de re cum Dominus in Evangelio loqueretur: *non omnes, inquit, capiunt verbum istud, sed quibus datum est*. Et paulo post: *qui potest capere, capiat*. Et amplius ad Corinthios: *De Virginibus præceptum Domini non habeo. Consilium autem do. Volo omnes homines esse sicut meipsum*. Et in consequentibus: *mulier innupta, & virgo cogitat quæ Domini sunt, ut sit sancta corpore, & spiritu: quæ autem nupta est cogitat quæ sunt mundi, ut placeat viro*. Vides quantum præstet Matrimonio sancta Virginitas; quantum scilicet, præstabilius est cogitare quæ Domini sunt, ut sanctificeris corpore, & spiritu, quam quæ mundi, ut placeas viro. Merito igitur prælata nuptiis intemerata virginitas, ut ad
 tan-

(a) Frater nempe Ambrosius Camaldulensis, qui Græcis litteris, Emmanuele Chrysolora Venetiis docente, vix pubes effectus perceptis, Claustrum ingressus plura e græco transtulit, inter quæ tractatum de Virginitate S. Basilio attributum, & Gabrieli Cardinali Condulmerio dicavit.

(b) Sexagenario tamen majorem, nempe 12. Kal. Novembris 1439. dira Lue Florentiæ grassante, non autem 1490. ut perperam plures scripserunt.

tantum bonum cum omni humilitate suspirent; quibus datum est magnam Dei misericordiam hoc tam excellenti munere consequi. Et secundum indulgentiam fragilitati humanæ ad propagationem humani generis concessæ nuptiæ, quarum sancta virginitas pulcherrimus, atque optimus fructus existeret. Dicās ergo cum Propheta: *voluntarie sacrificabo tibi*, Psal. 53. ver. 8. cujus vel eo sublimius meritum, quod voluntaria oblatio, cum posset in nuptias, secundum indulgentiam, declinare; *si nupseris*, inquit, *virgo non peccat, tribulationem tamen carnis habebis hujusmodi*. Ad Corint. Cap. 7. ver. 28. Vis scire *hujusmodi*? Audi Domini maledictionem ad Evam: *multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos. In dolore paries filios, & sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui* *: a qua sententia Virgines liberæ sunt, & pro viris, Deo tantum subditæ. Cæterum ne videar accusare naturam, prosequi desinam nuptiarum molestiam, & hujusmodi, ad Virginem non scribenda, de quibus Maro popularis tuus: Gen. Cap. 3. ver. 16.

Matri longa decem tulerunt fastidia menses.

Quo igitur stilum vertam? Laudem ingenuam indolem? Mirer virginem nobilissimam in patris Principis fortunata domo, in summis deliciis educatam, forma corporis eximia, ætate integra (a) protinus sæculi pompas, & paratas nuptias (b) abieciisse? Nil * voluntatem Patris, nil Fratrum, & sponsi Adolescentis preces valuiffe? Nil movisse Virginis animum, Nutricis * lacrymas, quæ te, scio, tamquam mortuam lugent; * mutuas. ut est amor hujusmodi muliercularum insanus; omnia pro Christi amore calcasse, magnas inter opes Patris pauperem esse, inter lautas epulas jejuna, in magnificis ædibus de Monasterio cogitare, spectare in Ancillis præciosiores vestes, & purpuram quam abiecasti, & ab eisdem, ut sunt nonnullæ procaces, humilitatem habitus tui suppresso cachinno derideri. Hæc ut vides magna Dei dona sunt & ornari digna, & Rhetorum ampla materia, sed non ad te ab Ecclesiastico homine scribenda, si modo Ecclesiasticum nomen meremur; neque enim nostri propositi est Panegyricon ad te scribere. Si quid * fortasse de te ad alios scribemus, * quod, faciemus ut alias virgines excitemus, utque proposito exemplo tuo * multarum luxum, & petulantiam retundamus. * eximio tuo.

Verum quoniam nec de officiis Virginum, deque ipsa Virginitate prolixius, nec tibi de te, idest de tuis laudibus scripturus sum, restat ut propositis difficultatibus, atque periculis doceam te nondum in solido fixisse pedem, donec procul a Monasterio paterna domo detineris; tamquam si per aspera montium iter ingressam coner per plana deducere, unde minus de lapsu formidandum sit. Quæ quidem magis Patri tuo scribenda essent, ut tandem exoratus, votis tuis acquiesceret, imo ne spiritui Sancto adversaretur. Nam te audio id ipsum miro amore flagrare. Miror autem virum sapientissimum, cum tibi rescindere pactas nuptias, & virginitate frui permiserit, non videre studiis tuis contrariam esse

E 2

(a) Eam sane forma venustissimam, cæterisque tum naturæ, tum fortunæ donis cumulatissime ornatam, annum ætatis suæ circiter duodevigesimum tunc temporis egisse, pluribus probat Martene.

(b) Cum Urbini Principe.

esse sæcularis Principis domum, quantumcumque modestam. At Pater est, vult filiam videre, vult alloqui. Sed quis hyeme navigaturus per scopulos, per Pyratas, cum possit tuto hospitio credere, & nihil in rem * sit ducere Filiam, secum tollat; ac non malit procul securam abesse, quam in periculis cernere? nisi forte animæ pericula levius tremenda quam corporis. Si diligit, cur Filix profectum moratur? Putatne se a Filia, aut Filiam a se plus Deo * diligi debere? Protestatur Dominus in Evangelio: *qui amat Patrem, aut Matrem plusquam me, non est me dignus, & qui amat Filium, aut Filiam super me, non est me dignus.* Sed nec putet Filiam a se plus quam a Deo diligi. Quod sub prætextu nuptiarum proposito tuo adversabatur, suberat umbra quædam rationis, spes Nepotum, amplificatio domus, affinitas illustris Familix, repudianda tamen præ virginitatis bono. Cum autem hoc concefferit, illud negget quod consequens erat, ut abiuratis nuptiis, pariter sæculo renuntiaret, non intelligo rationem. Si Virgines terrenis sponis tradendæ, tanta Parentum cura a conspectu Virorum arcentur, quanto magis immortale conjugium cum cælesti sponso celebraturæ a conspectu sæculi removendæ? quid facis in sæculo virgo Deo devota? si sponsa Christi es obli-
viscere populum tuum & domum patris tui. Illum sequere qua facilius prehendi potest. Natus ad Præsepe raro intrat superba Palatia, in angustia * casa pauper Christus quærendus est. *Qui mollibus vestiuntur in domibus Regum sunt.* Abiecasti mollia, exi Principis domum. Atqui * non te ad desertam, non ad locustas Joannis voco, ut pilis camelorum vesti-
liaris, sed ad Monasterium ubi sæculi conspectum fugias.

Eris ergo in paterna domo, & nihil tot sæcularium rerum turba movebere? Numquid abscondere potest homo ignem in sinu suo, aut ambulare super prunas, & non comburi? Numquid & qui tetigerit picem non inquinabitur ab ea? Heu! *militia est vita hominis super terram.* Putasne adversus carnem indomitum malum nulla nobis luctatio est? audi Apostolum: *video, inquit, aliam legem in membris meis repugantem legi mentis meæ, & captivantem me in * lege peccati:* Castigabat itaque vas electionis corpus suum in labore, & ærumna, in vigiliis, fame, & siti, in jejuniis multis, in frigore, & nuditate, ne cum aliis prædicaret, ipse reprobis efficeretur. Scio hoc, inquis, ego quoque jejunabo. Non permittent. Mihi crede, Cecilia, pallent ora jejuniis, contrahitur cutis, siccatur corpus macie *, labant infirmi gressus. Hæc in te non expectabuntur, sed si quo casu pallidula fueris, continuo Senatus medicorum citabitur, cursitabunt Ancillæ, blandietur Nutrix, lectus mollissimus sternetur, tu superimponere, tangent arterias Medici, cogitantes quomodo Parentibus adstantibus adulentur. Collocuti quidpiam de latere *, conversi demum ad Patrem tuum. Hæc tibi virgo, inquierent, nimis jejunat, nimis vigilat, contra regulas Hippocratis, quare læssente stomacho in febriculam incidit. Interim longum est prosequi quibus deliciis fatigaberis, donec potionis aliquid decreverint. Credamus ergo Chironi, aut Melampo, & non credamus Samaritano illi, qui percussus a Latronibus

nibus imposuit in jumentum suum, infundens vulneribus oleum, & vinum, suadenti tollendam crucem, vigilandum, & orandum, ne subintret tentatio, nec Apostolo dicenti: *mortificate membra vestra*. Et bonum est homini non manducare carnem, & non bibere vinum. Quid faciebas Hieronyme, in illa vasta solitudine, exusta solis ardoribus cute? Cur tibi squalida cutis situm Ethiopicæ carnis adduxerat *? Cur nuda humo vix ossa hærentia collidebas? Cur aqua frigida * utebaris, & cœtum aliquid accepisse timebas? Mens, inquit, desideriis æstuabat in frigido corpore, & in homine, sua jam carne præmortua, * sola libidinum incendia bulliebant. Quid ergo patiemur in deliciis, si Sancti viri vitam extrema per omnia ducentes talia patiuntur?

Ad Colos. Cap. 3. ver. 5. Ad Rom. Cap. 14. ver. 21. * obduxe- rat. * calida. * sicca jam præ- mortuo.

Vocaberis insuper ad convivia Fratrum, jubente Patre, obstabit reverentia ne recuses, vocabuntur, & Nurus * venies, sedebis media, cæna dubia ponetur. Ministrabunt compti Adolescentes singula prælibantes. Spectabis te pro speculo in vasis aureis, videbis intextas Choreas parietibus pendentes, canent Tibicines. Aderunt vina varia, epulæ lautissimæ, quibus gula diversa nomina imposuit. Aderunt & Puellæ ministræ, quæ tibi merum misceant, quia nec * meri miscendi pro arbitrio tuo tibi facultas erit. Quid facies inter hæc? scio, oculos demissa, vix hæc animæ venena contingere audebis, recordata Danielis pueri regias epulas vitantis, & Helizæ ascendentis in montem, non a lautis conviviis, sed ab aqua, & subcinericio pane. Damnas ergo Propinquorum convivia, dicat aliquis de clericis fortasse illis, quos non pudet murænulam auro coemere, & esuriente Christo in pauperibus suis ante clausas, & superbas fores, luxuriosis conviviis cum sæcularibus certare, in quorum domos introeas, putes bacchanalia celebrari. Respondebo: vestra convivia semper damno; modestiora non damno, sed timeo. Lege quid scriptum sit de sancto Job: *Ibant Filii ejus, & faciebant convivium* * per domos, unusquisque in die suo: & mittentes vocabant tres sorores suas ut comederent, & biberent cum eis. Cumque in orbem transissent dies convivii. Mittebat ad eos Job, & sanctificabat illos, consurgensque diluculo offerebat holocausta pro singulis: dicebat enim: ne forte peccaverint filii mei. Timebat ergo * prudens Pater in conviviis peccata, sicut alibi scriptum est: *melius est ire ad domum luctus, quam ad domum convivii*. Neque erant temporibus illis tot instrumenta gulæ, tot coquorum artes. Nondum Marcus Apicius, comeso patrimonio, infame vo-

* & juvenes.

* non.

Job. Cap. 1. ver. 4. * faciebat convivium. Ecclesiastes Cap. 7. ver. 3.

Neque hæc dico, quod desideretur in moribus vestris modestia. Novi Parentes, novi Fratres, novi instituta domestica, & Familiæ disciplinam, biennio in domo vestra eruditus a prima adolescentia sub Victorino Præceptore, quo tempore nata es. Sed in domibus Principum magnifici apparatus videntur, non ad luxum, sed ad splendorem, & liberalitatem pertinere. Scio à domo illa abesse lasciviam vestium, cantus, & verborum obscenitatem, ab Adolescentibus, & Puellis domesticis, abesse procacitatem, & cultus impudicos, adesse verecundiam, & honestatem: Scurras, Pa-

rafi-

castos, Psalteria, & hujusmodi humani generis dedecora apud vos locum non habere, quæ in plerisque domibus Principum pudet in deliciis haberi, & domestica flagitia ad humanitatem referri. Ceterum quoniam & in bene institutis Principum domibus, non indecorum videtur saltare ad tibias, choreas ducere, cantare aliquid molliuscule, hæc quoque in paterna domo senties, non dicam videbis. Absit ut rear * Virginem Deo devotam in tam modesta domo ad hujusmodi spectanda invitari, quibus non pudet, plerosque mei ordinis interesse. De Clericis dico. Fuge, Virgo Christi Cecilia, fuge, contine oculos, contine aures: fuge, si potes, quo neque * cantus, neque symphonia exaudiri possint. Sed in tam magna domo vix poteris. Patieris præterea garrulas Anus, cum in multiloquio peccatum non desit *. Patieris nuptiarum consortia, spectabis in uxoribus Fratrum coronas, aurum, gemmas, & picturatas auri sub tegmine vestes. Videbis tumentes uteros; quid quod & Puerperas visitabis. Nolo enim te ab officiis humanitatis abhorre, atque aliqua ex Ancillis nudum, & adhuc rubentem infantem bajulans, en tibi Nepotulum, inquit, & gremio fovendum dabit. Hæc, mihi crede, studiis virginum adversantur, animum turbant. Cor hominis instabile est, & a duris ad * reductus. mollia facilis redditus *. *Caro concupiscit adversus spiritum. Omne quod est in mundo concupiscentia carnis, & concupiscentia oculorum est, superbia vita.* Quod hodie te non flexit, eras movebit. Vertuntur montes, stellæ cadunt de cælo, aqua rerum * mollissima in longo temporis spatio saxa pertundit; & tot tentamenta cor Virginis non movebunt? Putas Diabolum, qui soleat montes vertere, & stellas de cælo trahere, idest sanctos viros in peccati ruinam ducere, non carminibus de quibus dixit Poeta.

Carmina vel cælo possunt deducere Lunam,
sed occultis tentationibus, qui stupra, & adulteria persuadere, de unius Puella, donec in sæculo fueris, matrimonio non sperare? Heu! quos vi-
* deducere. Gor triumphos deduceret *. ad Inferos, si sponsam Christo præcipere pos-
ret. set, & mortali conjugio sociare, quod Deus avertat. Nam licet in Monasterio Virginitatem * profitendo non te dicaveris, scias tamen apud
* non legem. cælestem sponsum qui videt in occulto cordis, ratum mentis tuæ votum,
virginitatem. & propositum manere. Unde enim tibi * tanta constantia contra vo-
* non erat. luntatem Patris, nisi virginitatis votum animo non leviter concepisses?
ly tibi, quam constantiam Pater tuus cælestis suggerebat adversus Patrem carnis tuæ, cujus animum flexit in partem præcipuam votorum tuorum, ut quod restat ab eo crebris orationibus flagitares. Scriptum est quippe:
Proverb. Cor Regis in manu Domini *. Misisti manum ad aratrum, ne retrospe-
Cap. 21. xeris. Memento Uxoris Loth, quæ cum Virum sequens casus omnes
ver. 1. evalisset, immemor, & animo victa, non potuit oculos ab ardenti Sodoma continere, magnum documentum posteris præbitura. Fugisti e mediis nuptiis quasi ex incendio in montem virginitatis, ne respexeris sæculum: Quot credis sanctas Virgines tuo exemplo excitasse? Quot te monasteria a Domino votis assiduis petere? Felices vocant, quas tuo con-
sortio,

sortio Dominus dignabitur. Quod si de nuptiis audirent: primo non crederent, deinde conversæ in lachrymas, quibus te lamentis deplorarent? dicerent sæculi homines, te non nuptias olim, sed Sponsum repudiasse.

Eja igitur, Christi syrenula, roga Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ut mentem Patris tui flectat; qui orante olim Cæcilia Virgine, & martyre sua, quam tu nomine, & Virginitatis titulo reddis, sponsum ardentem in concupiscentiam carnis ejus a nuptiis ad Baptismi gratiam, & Martyrium revocavit. Implora auxilium clementissimæ Matris Dei, semper Virginis Mariæ, nullis libentius precibus annuentis, quam his quæ teneræ Virginitati præsidium implorant. Et genibus Patris tui advoluta, loquere confidenter: rogo te, Pater, per si qua est tibi cura meæ salutis, per spem melioris vitæ, per caritatem qua dilexit nos Deus, mittens Filium suum in redemptionem animarum nostrarum, ne tam diu Filiam tuam inter Syrenas sæculi periclitari velis. Cur igitur his oculis, quibus Christum videre desidero, tot sæcularis vitæ blandimenta conspicio? Si te e rebus humanis sublato, Monasterium petitura sum, cur non potius incolui, & volente peto? Si me mortali conjugio longa trans maria despondisses, mitteres profecto in remotas terras, Filiam tuam numquam visurus. Nunc quia ad Cælestem Sponsum festino, piget muro tantum, & parietibus separari. Una in Urbe, si ita viderimus, iisdem mænibus claudemur*. Habes hujus vitæ solatia Conjugem, Filios, Nurus, Nepotes. Aliam Sororem meam sæculo tradidisti; ex qua, quoniam vita cessit, restat tibi dulcis Nepotulus. Inter tot cara ignora, quid una desideror? Quid invita* detineor? Cur mihi cellula, & humilis familiæ Christi pauper mensa invidetur? Sine illuc proficiscar, unde facilius preces Filiae tuæ, pro te jugiter oraturæ, aures divinæ majestatis attingant. Ceterum, si me audies, dotem pactam terrenis nuptiis Christo reddens, in cælestes thesauros secundens, pauperibus erogabo. His, & hujusmodi rationibus, spero Patrem tuum (neque enim ferreus est) flecti posse. Adhibe precibus tuis sociam Genitricem tuam, adhibe, & Victorinum, & has litterulas meas, si quid momenti habituras existimaveris. Quod* si flecti non possit, maneam, an abeam clam Patre, quia* Mantuæ, ipso nolente, in Monasterium admitti nequeo? Scio propter Deum, parentes, patriam, & omnia relinquenda, & quoquo modo ad vexillum Crucis fugiendum, vel calcato Patre, nedum clam, & ignorante, si necesse sit. Sed quod incunctanter suaderem robustiori ætati, & virili sexui, non audeo Puellæ virgini suadere. Parco ætati, parco pudori, parco sexui. Malo te in paterna domo manere, ne quid sinistri rumoris de Sponsa Christi oriatur, neve exemplo* tuo, prætextu religionis discant Puellæ fugam meditari. Mane potius in domo Patris, sed quantum fieri potest, tamquam in Monasterio. Matrem tuam venerare velut præsidem monasterii; si quid mollius indulxerit materno affectu, humiliter reddira ratione declina. Mensa sua corpusculum refice quantum valerudini sat est, tantum etiam somno tribue. Cum matre divinis assiste, numquam

* claudemus.

* in vita.

* quid,
* quoniam.

* eximia
tuo.

quam sine ea Ecclesias, aut Monasteria vise. Ne tibi elegeris Sacerdotem confessionis causa *, cum Mater eligat. Comites quoque habeas, quas ipsa decreverit. Multa mihi monendi curam demit religiosissimæ Feminae spectata prudentia. Frequenter ora, assidua lectione animum pascere.

Cave ne quid acu pingas in usum rerum sæcularium: quin malo te uberius quam tenuis sub tegmine nere, quod mox augusto pectine procures, ut semper occupata sis. Nolo enim te Lydem imitari, aut pleasque Virgines sæculi, quæ nisi sericum, & purpuram, & aurum textile vix primoribus digitis attrectare dignantur. Cave ne obtentu nobilitatis, aut virginitatis, aut peritiæ litterarum, quod postremum in Puella nostri temporis pro miraculo * habetur, quampiam his dotibus carentem præ te contemnas. Nobilior habeatur quæ magis proficit in vita * spiritali, quæ oculis Dei placens, sibi contemptibilis videatur. Cum talibus humilitate certa. Imperfectiores a te humilitatem discant. Nulla ad conspectum tuum a Cerussa, aut a speculo veniat: cultus in moribus habeantur. Nulla ingenium tuum coram te laudet, & multo minus corporis venustatem: nulla te illustrem, nulla te Dominam vocet, & genu nixa veneretur: nulla inter vos de nuptiis mentio; noverint aliæ quæ nubant, quæ uterum ferant, quibus Infantes in Cunis vagiant, de quibus scribit Apostolus: *otiose discunt circuire domos, non solum otiose, sed & verbosa, & curiose loquentes quæ non oportet*. Sic sermo vester gravis, & modestus de miserationibus Dei, de Sanctorum gloria, de Sacris Virginibus, de constantia Martyrum, de Fide, Spe, & Caritate, cæterisque virtutibus. Denique quid sequi, aut vitare debeas, pulcherrima te Sanctorum Opuscula docebunt, præcipue Hieronymi, ad quorum te mittimus lectionem. Nobis quæ tibi in paterna domo servanda sint summatim scripsisse sufficiat. Cum vero ad Monasterium veneris, quod materno consilio eligere debes, ut, Deo propitio, propediem futurum reor (a) te sacris disciplinis imbuendam veteranis Virginibus relinquo. Ne expectes ut interim tibi formulam regularis vitæ depingam, quam ab eisdem accipies, & legendo poteris per te ipsa, & proficiendo rectius intelligere. Quanto autem tutius sit in bene institutis Monasteriis, quam in sæculo degere, potes ex supradictorum comparatione colligere.

Ceterum de commodis vitæ regularis multi scripserunt, & ego ipse in supra memorata Epistola ad Novitium Cartusianum *. O si possem te, veluti ex Ægypto fugientem, per stagna nostra, tamquam per mare rubrum devehere ad Monasterium Sancti Andreæ, quod Venetiis jam

(a) Evenit sane, quod ipsa in votis habebat, & propediem futurum sperabat Corarius; e vivis siquidem sublato Patre, die 23. Septembris 1444. Asceterium Corporis Christi una cum Matre, quæ illud ab anno usque 1420. S. Bernardini Senensis suasu, pro Clarissis proprio ære construxerat, ingressa Cæcilia est; & post vitam sanctissime actam, præciosam in conspectu Domini mortem ambo oppetiere. At hæc, & alia ex Seraphici Ordinis petenda Scriptoribus.

jam nonagesimo* (a) anno sub Augustini regula omnium religiosissimum* octuagesimo. habetur, non timerem persequentem Pharaonem mergendum cum exercitu suo. Bone Jesu! quales ibi palmites germinant de vinea Domini, quam fertilis gleba Paradiso fructificat? quæ ibi Angelorum custodia? quæ consolatio Spiritus Sancti? qui animorum in Deum, & quam* cre- * qui. bri raptus? quæ lacrymæ, quæ gaudia?

Possum hic gentilis meæ Beriolarum (b) memoriam litteris consecrare, ut ab unius sanctitate cæteras discas. Hæc ex familia nostra oriunda, inter primas fuit venerabilium Christi Ancillarum, quæ ipso in loco, ubi nunc Monasterium est, antequam regularem vitam profiterentur, coactis patrimoniis hospitalitatem exercebant in Pauperulas Mulieres, in operibus bonis testimonium habentes, juxta edictum Apostoli: has aiebant ut Matres, ut Sorores. Eleemosinas insuper ab honestis domibus petebant. Beriola ergo cum ab hujusmodi officio rediret, constitit e regione, hospiciolum petens, quæritans stagnum transvehi ut solebat. Remigem nullum cum cymba videt, & maturato opus erat. Rejeto itaque ex humeris palliolo, & in morem retiaculi super aquas expanso, post signum crucis secunda conscendit, & sic remigio fidei in alteram ripam trajecit. Quid mirum? *Dextera Domini fecit virtutem*. Nihil dubitavit fidelis Femina; sciebat enim Petrum, cum dubitasset, cæpisse mergi, & a Domino super aquas ambulante reprehensum.

Restat ut tibi sæcularium litterarum lectionem penitus interdicam; maxi-

(a) Satis implexa, & quæ vix, imo nec vix quidem exsolvi posset difficultas occurrebat legenti apud Martene: *octuagesimo anno*. Cum enim ex probatis monumentis Monasterii S. Andreæ, quæ Senator præstantissimus Flaminus Cornelius Cænobium illud illustrans evolvit, ediditque liquido constet anno 1346. datam fuisse a Nicolao Mauroceno Episcopo Castellano Augustinianam regulam Sanctimonialibus observandam; nullo jam negotio deprehenditur, quod non octuagesimus tantummodo evolvebatur annus, sed nonaginta potius & ultra elapsi anni erant, cum hæc ad Cæciliam scribebat Corrarius. Nodum facile solvi posse credidit mox memoratus Cornelius si Epistolam Corrarii non 1440. ut sensit Martene, nec triennio post ut Cl. sensit P. Joannes ab Augustinis, sed potius decennio ante datam dixerimus. At hoc etiam Clarissimi alias Viri consilium ab ipsius Cæciliæ ætate deluditur; enimvero eam Corrarius alloquitur, jam Viro maturam; at si decennio ante, anno circiter 1430. scriptam sentiamus Epistolam non jam Puellam nuptui brevi tradendam, sed vix quinquennem habemus Infantulam; cum Ambrosio Camaldulensi cœvo teste ad Cosmum anno 1435. scribente, certum sit Cæciliam tunc decennem fuisse, consequenter circa 1425. natam. Hinc pro *octuagesimo anno* legendum potius: *nonagesimo*, ut habet, quo usi sumus, Venetus Codex, qua lectione servata sponte sua difficultas quælibet evanescit.

(b) Piam mulierem e Patricia Corraria Gente, inter primas, recensent etiam monumenta a mox memorato Cornelio Cænobium S. Andreæ illustrante producta; at *Francisca* in iis, non *Beriola* appellatur. Cum tamen tum apud Martene, quam in Codice Veneto, quem adhibuimus *Beriolam* legamus, retinendum censuimus hoc nomen celebre profecto apud Corrarias Matronas, ex ea illustri Femina, quæ Gregorium XII. fratrem, Filium vero Eugenium IV. postremo Nepotem Paulum II. Pontifices Maximos habuit. Num vero duplici eo nomine donata fuerit; aut *Beriola* nomen *Francisca* assumpserit cum primum hospitalitatem exercere cæpit, aliis divinandum relinquimus.

Anecdota Tom. I.

F

maxime Poetarum (*). Quomodo enim sæculo renuntiassè crediderim, si quæ sæculi sunt amas? Quid refert qua ex parte sæculum diligas? diligis certe sæculum, si sæculi litteras amas. Danda venia Sæcularibus, ut, reiectis tantum obscænis Scriptoribus, cætera discant. Sponsa Christi nihil aliud legat quam sacra volumina, & Scriptores Ecclesiasticos. Proinde illum tuum dilectum Maronem, vel cum Victorini pace, ** dimitte.* mititto *. Sume pro eo Psalterium, pro Cicerone Evangelium. Crede mihi, expertus dico, sæculares litteræ, ne aliud noceant, animum a divina lectione subducunt. Habes in Scriptoribus Ecclesiasticis, si etiam illud requiris, summam eloquentiam. Revolve libros Lactantii, Cypriani, Hilarii, Hieronymi, Ambrosii, Augustini, Gregorii, Leonis, Cassiani, Sulpitii, Bernardi, Salviani quoque, cujus libros de Providentia Dei, e Concilio Basileensi rediens, de Germanorum ergastulis in Italiam deportavi. Nonne in his tanta eloquentia, ut ne hujus quoque rei delectatio, sive mutatio ab Ethnicis petenda sit? Hos igitur lege, & quæ a Græcis Doctoribus traducta sunt, Gregorio *, Basilio, Chrysostomo, Athanasio, & Johanne, cui Climaci nomen inditum, Syrum quoque Ephrem numerare possem, & plures præterea, si tibi ** deeras ly tibi.* catalogum Scriptorum Ecclesiasticorum scribere instituissem. Quid ergo aliena quærimus in tanta nostrorum, idest Christianorum copia? Aliena quoque existimare debes nœnias quasdam, & deliramenta somniantium, sicut libellum illum nescio cujus Mulierculæ, qui speculum animarum simplicium inscribitur. Quibus repudiatis, nil nisi a Doctis usitatum, & probatum leges. Habes Sanctorum scripta, quibus te oblectes, quibus animum pascas. Hæc legito. Horum insuper flores ne pigeat carpere, & pro ædificatione simplicium Virginum in Maternum sermonem vertere. Sed cum optimos quoque tibi legendos censeam, Augustini libros familiarius ediscas velim. Tanta quippe divini hominis suavitas orationis, tanta gratia in edisserendis Scripturis, tantum acumen in tractandis rebus divinis, tanta undecumque eruditio, tanta ingenii vis, ut miris modis in eo legendo proficere possis. Nunc ejus oratio ** al. erigit.* animum tuum ita in cœlestia eriget *, ut oblitus mortalis sarcinæ totus in Deum rapiatur. Nunc cor tuum in dulcissimos lacrymarum fontes liquefaciet *, nunc amaras pœnitentiæ lacrymas exprimet, nunc cælum sperare suadebit *, nunc Gehennam timere coget, nunc delectabit, nunc omnimoda doctrina erudiet. Tot ab eo edita ad ædificationem Filiorum Ecclesiæ, tot adversus Hæreticos disputata, tot ex Canonis

(*) Hanc egregiæ profectio indolis Puellam tum Græcis, tum Latinis litteris ap-
prime imbutam, & humanioribus disciplinis, a Victorino Præceptore suo instructissi-
mam fuisse, testes sunt, tum Ambrosius Camaldulensis Epist. 8. ad Cosmum scribens:
adfuit Puella quoque Principis filia decennis ferme, græce adeo scribens eleganter, ut pu-
dori fuerit, quod ex omnibus ferme quos erudire unquam perrexi, vix ultius tam pulchre
scribebat. Saxolus etiam in Epist. de Victorini moribus, sic habet: *quid de Cecilia di-*
camus, quæ ita sit litteris imbuta, ut unnumerari jure posse videatur inter litteratissimas
illas Mucias Cornetiam Lelii, Hortensique Filiam. *Mattheus tandem Bosius Lateranensis*
Canonicus dicens: Ceciliam Virginem litteratum peritissimam.

niciis libris exposita ; ut studiosus Lector vix ea omnia percurrere legendo possit.

Cæterum quoniam audiivi te Versum non ineleganter facere , hoc quoque studium ad religionem , & pietatem convertas moneo . Tibi dulce sit, spretis canticis sæculi, cum Pueris Hebræorum cantare Osanna ; & nunc diversorium Mariæ, & Bethlemitica rura, cunarum * Do-
mini conscia, nunc Jordanis fluenta, & aquas, super quas siccis pedi-
bus Dominus ambulavit, nunc montem Oliveti, & Calvariæ locum,
& Crucis trophæum, nunc ipsum Dominum portas mortis, & vestes
Inferi confringentem, consurgentem a mortuis, ascendentem in Cælum,
coactis in numerum verbis celebrare, nunc victorias Martyrum dicere,
nunc Virginum coronas. Habes exemplum nostrorum *, qui res Eccle-
siasticas, & ipsa Evangelia carminibus cecinerunt. Damasus Romanus
Pontifex, teste Hieronymo, studio versuum delectatus est ; & plerique
Græcorum. Noster Ambrosius dulcissimos Hymnos edidit. Ab re quo-
que metrica non abhoruisse Hilarium argumento sunt versiculi, quos
Filiz destinavit.

al. cura-
rum.

* al. exem-
pla majo-
rum.

Nollem tamen * te hac occasione Poetas legere, & Probam ingenio-
sam Feminam imitari velle. Sed si quid scribendi in mentem venerit
eorum, quæ didicisti (quoniam * tenera ætas hujusmodi rebus imbuta, * & quæ.
haud facile oblivisci potest) non abnuo, quin ultro venientem * ver-
sum ad rem Ecclesiasticam transferas, sicut eleganter quidam e nostris:
Christe graves hominum semper miserate labores: versum Virgilii recogno-
scas, *Phebe* tamen, & *Troje* duobus nominibus immutatis. Et ego
ipse; *Gentis humane Pater*, & Redemptor, sumpsi ex carmine Horatii
paulum immutato, ut Christum significantius denotarem. Atque uti-
nam hoc exemplo cetera fecissem, sed me in adolescentia sæcularibus
studiis florentem, ingens, & insanus Poetarum amor invaserat. Nullum
diem poteram sine Virgilio ducere. Versus quotidies plurimos ad ejus
exemplar fingebam. Tenebat spes Victorinum quasi alter Maro futurus
essem. Erat per ea tempora miræ indolis puer Lodovicus Feltrensis,
quem Victorinus pro Filio educaverat, qui mecum eodem studio fla-
grabat. Hunc ego puerum pio * amore diligebam: malebam tamen
cum ceteris studiis excellere; versum sibi invidebam: nam ut ego plu-
rima invenire facilius poteram, ita ille pauca difficulter inventa ele-
gantius dicere. Itaque cum me caractere illo superatum viderem, ne
faterer tamen; & secundum locum pro typo superbiæ pati non pos-
sem, cæpi stilum ad alia poetandi genera convertere. Scripsi Pro-
gnem tragædiam anno ætatis meæ decimo octavo; quam postquam edi-
di, nihil non speravit de me Victorinus. Cadebant legenti ubertim la-
crymæ. Scripsi etiam * dum adhuc Mantuæ essem, stilo satyrico libel-
lum de educandis, & erudiendis liberis, deinde diversis in locis distra-
ctus Satyras sex, & carmen lyricum ad Beatæ Memoriz Martinum Pa-
pa Quintum; quo suadente, clericalem vitam agere institui: postea
vero ad Ecclesiastica conversus, multa legi, pauca scribere potui.

* deorat ly-
tamen.

* non ve-
niente.

al. pro.

* & dum
scripsi.

Ita demum a Romanæ Curia fluctibus quartum decimum post annum rediens, collectis ingenii viribus, tamquam naufragis mercibus, pergam lucrum exequi cum sœnore, & damna retroacti temporis reparare. Quorsum hæc tam multa de me? Ut intelligas me per spinas, & tribulos sæcularium litterarum, quos tibi tanta cura dissuadeo, transisse, unde vix discissa tunica, & vulneribus plenus evadens, ad divinæ lectionis medicamenta confugio.

Tu quoque, Virgo Christi Cæcilia, quære Dominum per prata Scripturarum; dicit enim: *Ego flos campi, & lilium convallium*. Leva oculos tuos in montes, unde veniat auxilium tibi. Non tibi exanimatus in sepulchro quærendus est. Ascendit in Cœlum, sedet ad dexteram Dei Patris. Ibi quærendus, ibi quantum potes mente habita; *ubi thesaurus tuus, ibi & car tuum*, donec peracto vitæ hujus curriculo, te in cælestem patriam lætus accipiat, sicut dixit: *ubi ego sum, illic & minister meus erit*. Si minister, quanto magis Sponsa? Ipsum ergo dilige ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, ipsum exopta, in ipso quiesce. De lege ejus meditare die, ac nocte, quære faciem ejus semper; denique sancta corpore, & spiritu ad eum venire stude, ut Sponsam suam * cum veste nuptiali recognoscens, cælesti mensæ discumbere faciat, cum Sanctarum Virginum Choris, quæ Agnam immaculatam merito virginitatis consequi familiariter meruerunt.

Hæc habui, optima Virgo, quæ tibi de inopia studiorum meorum primus offerrem. Erunt alii, quorum ingenia thesauris Ecclesiæ cudent *, qui meo forsan exemplo nomen tuum celebrent, & uberiori copia ad te scribant, quasi ad alteram nostri temporis Demetriadem. Vale in Domino, & si quid in his litteris placet orationibus * repetitionibus. de. Florentiæ nonis Augusti.



EJUS.

G R E G O R I I C O R R A R I I

*Oratio ad Sigismundum Romanorum Imperatorem habita
anno 1433. pro Concilio Basileensi.*

Quod nonnulli, quos inter Hieronymus Garimburtus, de Eugenio Papa IV. differentes jam prænotarunt, facile Lector ex sequenti Oratione percipiet: eam nempe per Gregorium nostrum coram Romanorum Imperatore, in Basileensi Concilio, toto Patrum plaudente Senatu, pronunciatam, potissimum in causa fuisse, cur Pontificem etsi Concivem suum, sibi que consanguinitatis iure conjunctum, expertus fuerit Corrarius, quoad vixit infensum. Ardens nimium Corrarii studium pro tutando Concilio, quod alibi translatum cupiebat Pontifex, nimia etiam, ut ei videbatur verborum licentia, quam in causa peroranda, usurpaverat; ita Eugenii commovit animum, ut virum alias morum integritate præclarum, ac multiplici eruditione refertum, numquam altiori gradu collocatum, nec purpura, quam Patruus ejus Antonius Cardinalis Corrarius, præ humilitate exuere intentabat, voluerit indutum. Cæterum cum ea plurima, quæ eloquens Gregorius sua oratione indicavit, tum ex Concilii Basileensis actibus, tum ex Historiis ejusdem ævi notiora sint, quam quæ nostris illustrari depossant, consulto duximus ab iis abstinendum, rem, ni nostra nos fallat opinio, satis Eruditis Viris acceptam facientes, dum illam meliori duntaxat lectioni redditam, Veneti Codicis beneficio, exhibemus.

Credo equidem, Sigismunde, in tanta tua gloria, & pulcherrimarum rerum, quas gessisti memoria*, benefactorumque conscientia, videri * memo-
tibi hunc diem celebrem præ cæteris illuxisse, quo gloriæ tuæ uberrimos riam.
fructus quasi jam maturos excerpere. Quid enim majus in hac vita caduca ad summam amplitudinem, immortalemque gloriam homini conferri potest, quam gravissimo Ecclesiæ testimonio, uno omnium bonorum assensu, in hoc orbis terræ sanctissimo loco, tam præclaro titulo decorari, ut Sancta Ecclesia te patronum appellet, tibi que plurimum debere fateatur, & pro tuis immensis beneficiis, gratias ingentes * reddat. Hanc * inno-
ergo excellentissimam laudem non humanis suffragiis, non mortalium centes.
studiis, sed ab immortali Deo tibi collatam, stabilem, atque perpetuam existimare debes. Nolle hanc gloriam, cum præclarissimis rebus fortiter bello * gestis, noli eam innumeris victoriis, noli denique cum aliis tuis * deas ly
triumphis comparare. Siquidem res magnas bello gerere in eo præcipue bello.
genere belli, in quo tu jugiter versatus es, cum hostibus scilicet Christiani nominis, gloriosum quidem est, propriumque religionis Romani Imperii, pro religione pugnare; sed Ecclesiam protegere, Sacrosanctæ Matris auctoritatem defendere, instar quoddam est divinæ laudis omnium humanarum rerum gloriam excellens. Etenim, si pietas erga Parentes, erga Patriam veterum litteris, ac monumentis, eximiis quibusdam laudibus celebratur, sicut est judicio optimi, & sapientissimi cujusque merito celebranda; quonam genere laudis officia pietatis erga Ecclesiam Catholicam extollemus? Aut si majores nostri, liberatores Urbium, Civesque fortissimos bene de Republica meritos, Statuis publicis decorabant, quo benefactorum memoria ad posteros usque * quam diuturna re- * denique.
cor-

cordatione deflueret, quibus te, Sigismunde, titulis, quibus monumentis, quibus statuis pro tuis immortalibus beneficiis Ecclesia decorabit? Extabunt, crede mihi, omnibus imaginibus solidiora tuæ gloriæ monumenta, quæ dum Sedes Apostolica, dum Romanum Imperium in terris venerabitur, nulla unquam vetustas a memoriæ hominum poteris abolere. Extabunt clarissima testimonia Sacri Constantiensis Concilii, cujus numquam, sine tua maxima laude, nec nostris, nec futuris quidem temporibus, erit recordatio. An fuit unquam ullum Concilium tam celebre, tam solemniter institutum, quo tot præstantissimi Viri omnium Nationum ex toto orbe convenerint? Fuit unquam tanta rei alicujus expectatio? fuit unquam tanta spes rerum meliorum! Quando tot populorum vota, tot bonorum lacrymæ, tot preces? Quando tam clarus rerum turbulentissimarum exitus cum totius orbis incenarrabili gaudio? At quis nesciat factum illud pulcherrimum omni laude dignissimum, sine tua ingenti gloria, commemorari non posse! Nam quis unquam pestiferum illud schisma quadraginta annos clericorum favoribus inveteratum Constantiæ sublatum fuisse narrabit, qui non continuo tua auctoritate, tua vigilantia, tua singulari prudentia sublatum fuisse dicat? Quis nescit patientissimos labores tuos cum Pyreneos montes per nives, & glacies media hyeme transcenderes, aut difficillimas itiones tuas in Gallias, Angliamque, cum omnes Reges, & Principes ad extinguendum commune incendium quasi stimulis * excitares? Cumque, ex toto orbe Prælatos Ecclesiæ ad Sacrum Concilium tuis humeris deportares? Cujus Concilii memoriam nulla unquam delebit oblivio, cujus laudes nulla ætas conticescet. Pacem peperit Ecclesiæ, tranquillitatem, atque concordiam sacrum illud generale Concilium: Stetit ab illo Ecclesia in magno honore, in summo otio annis fere quatuordecim; tantum enim fuit Pontificatus Martini Papæ V. meo judicio sapientissimi, atque moderatissimi Principis, si ex eo viro, quod minime decebat, nimiam detraheris parsimoniam, qui quidem moriens triste nobis sui desiderium reliquit. Etenim qui sub illo res Romanas florentes vidimus, Curiam amplissimam, Collegium concordissimum, Civitates opulentissimas summa pace perfruentes, omnia paulo post immutata, immersaque, nescio quo judicio Dei (neminem enim accuso) non possumus non dolere. Te quoque, piissime Imperator (neque enim aliter de tuæ singulari humanitate, atque clementi natura existimare debemus) fines Romanos magna puto misericordia præterisse, cum agros depopulatos cerneres, domos passim aut dirutas, aut incensas, civitates ipsas vacuas Civibus, plenas formidine; quas tamen tuus ille ad urbem accessus in tanta miseria recreabat. Quid urbis Romæ squalor, quid miserorum Civium desperatio, quid nocturna colloquia, quid ante pedes tuos lacrymæ non te movebant? Quid ipsa Tempia in toto orbe sacratissima, quorum vastitas, quorum rapinæ, quorum incendia in obfessa urbe timebantur. Quid vultum tuum immutari video, quid lacrymas relente decidere? Age, age convertam orationem, ne imagine verum, quas tu ipse vidisti, miserabiles, cor tuum piissimum misericordia confodiam,

fodiam, simul & ne dum rem Romanam destitutam desleo, eos tangere videar, quod minime in presentiarum proposui, per quos destituta res est.

Ad adventum igitur tuum exoptatissimum convertam me, Sigismunde Imperator, certissimum Ecclesie columen, atque presidium. Huc deum expectatus venisti accepto Imperii diademate, quod bonum, sanctum, felixque sit tibi, Imperioque Romano. Quanto vero desiderio tui hi Sancti Patres tenerentur, declaravit hodierna die in adventu tuo frequens omnium ordinum concursus, declaravit communis omnium letitia, quam quisque in vultu, atque fronte gerebat. Nam profecto dum aberas semper tui memoria in sinu horum Patrum habitabat, semper in medio, quocumque convenerant, tua imago residebat. Unusquisque enim a te salutem Ecclesie orituram arbitrabatur, qui ab initio hujus Sacri Concilii legitime congregati primus omnium affuisti, nec solum affuisti, sed etiam tua auctoritate in magnis, periculosisque rebus accerrime protexisti. Aderant littere tue certissima tue voluntatis testimonia, aderat hic illustrissimus, atque gravissimus Vir Gulielmus Bavarie Dux, cujus gratissima officia numquam de mentibus horum prestantissimorum Patrum decident, numquam sue sapientie, sue humanitatis immemores erunt. Tu vero * Sigismunde quid aliud Romae agebas, nisi ut sacrosanctae hujus * Tu & Synodi, quae Catholicae Ecclesiae imago est, auctoritatem defenderes, nisi ut, admoneres, si parum impendentes calamitates prospicerent, saltem praesentium incommodorum periculis moverentur, diceresque non posse ruinam Ecclesiae fulciri, non posse scissam ejus auctoritatem resarciri, dissoluto, quod Deus avertat, hoc sacro Basileensi Concilio tam solemniter, & pro tam necessariis causis restituto, de cujus legitima institutione satis liquide ex suis scriptis constare arbitror, modo sint qui legere velint. Quamquam ego, quod meminerim, neminem adhuc de ipsius institutione dubitare percepi, ne illorum quidem de numero, quiqui * quique sint, qui contra ejus auctoritatem moliantur. Nam si Sacri Constantiensis Concilii tenenda sunt decreta, illius dico Concilii, per quod teterimum illud schisma sublatum fuit, restat ut legitima sit hujus Sanctae Synodi institutio, ex illo enim radices habet. At ego, qui illius Concilii auctoritatem negarit, nullum hactenus hominem fuisse scio, praeter illas duas immanissimas belluas, & saevissimas Ecclesiae pestes; Joannem, & Hieronymum, quos tunc Sacrum illud Concilium iusta animadversione multavit. Quamquam quid ego illa portenta in humanitate numero?

Dixi breviter de legitima institutione hujus Sacri Basileensis Concilii, velim nunc, elementissime Imperator, ut adhuc fecisti, attente me audias, donec de causis institutionis, quas paulo ante necessarias dixi, pauca disputavero. Tria sunt omnino propria honestissimae professionis hujus Sanctae Synodi propter quae convenisse profitetur. Primum opus pium, Sanctum, religiosum, nempe pro ipsius religionis inviolabili observatione susceptum, proque reductione eorum, qui ab institutis Ecclesiae, verumque religionis aberraverint, quorum duo sunt genera Sanctae Romanae Eccle.

Ecclesiæ præcipue infesta; Græci scilicet, & Bohemi. Malum illud inveteratius, * hoc immanius. Græcorum nequitia fortasse pervicacior, quam longa ætas difficiliorem reddidit, Bohemorum rabies pestilentior, utpote per omnem impietatem, atque sævitiam debacchata in religionem, in Tempia, in Sacerdotes * quos non Sacerdotii reverentia, non ipsæ Aræ ab illorum atrocitate vindicarunt. Nec Bohemiarum finibus contenta, latius quoque eadem rabies in finitimas Provincias pervagata est, capta Germaniarum Oppida, incensa, spoliata, diruta. Quid quod pessima labes dum negligitur, dum illi suis versutiis, ut hæreticorum natura pellax est, fallacias intendunt, piget dicere, paulatim tamquam virus, pestilens in plurimos diffusa est. Quid igitur? Abeamus, sinamus morbum istum in nostram perniciem crescere, satis sit Germaniarum, si pro sua fide misericordia dignam putemus, mutemus locum. Bononiam proficiscamur ut Bohemos quos vix huc traximus, fama forte concordissimæ Civitatis captos Bononiam traducamus. Non placuit hoc consilium huic Sanctæ Synodo, non placuit. Meminerat enim professionis suæ. Quid igitur actum? Venere oratores Bohemiarum, auditi patientissime, & diu, quantum unicuique libuit. At quid audisse profuit? Quid profuit? Vis uno verbo absolvam? Tantum profuit, quantum nocuit hætenus illis flagitantibus distulisse. Annon perspicuum est ista audientia concisos esse illorum petulantiarum nervos, contrafactam audaciam, contractam loquacitatem? jam non dicent negari aditum * ad loquendum, vitari suas verissimas rationes. Abierunt, qui boni, edocti; qui pertinaces, confusi. Missi nostri Legati Bohemiam, reversi Bohemorum iterum, nostri iterum missi. Iniecta inter eos contentio; boni pacem cupiunt, cupiunt parere Ecclesiæ; qui minus boni, pacem quidem appetunt, sed pacis conditiones quarunt: qui prorsus mali, potentia turbant. Res inclinata est, populus spe pacis erectus est, languescit exercitus, fluunt arma de manibus, spes magna conciliationis, & pacis. Quod si provenerit, bone Deus, quantam, & quam immortalem gloriam hæc Sancta Synodus reportabit? Sin autem pertinaces esse maluerint, tunc iusto dolore adversus tam sceleratam arrogantiam omnes Christianitatis Principes, tuque in primis, Fortissime Imperator, exardescere debebunt, Gentemque immanissimam, adjuvante totius Germaniarum juventutis delectu, favente auctoritate, faventibus votis Ecclesiæ, armis, equis, viribus profligare. In Græciam quoque missi Legati, a quibus nil * adhuc certi habemus propter maximam Regionum distantiam. Quod si Græcorum Legati, ut Romam iisse perhibentur, ita Basileam venissent, esset fortasse hodie non minor spes Græcorum reductionis quam Bohemorum. At certe, quod affirmare possum, hujus Sanctæ Synodi studium non defuisset *.

Secundo loco suæ professionis institutum hæc Sancta Synodus profitetur a summo ad imum auctoritate * omnipotentis Dei omnes Ecclesiasticos ordines, magnum quidem opus, & necessarium, collapsa veterum disciplina, quoad poterit, reparare. Nam profecto, ne nobis blandiar, omnis fere ecclesiastica disciplina a Clero disfluxit, prisque religio jam pridem

pridem in nobis desideratur. Ubi enim antiqua sanctimonia? Ubi Sacrarum literarum studia? Quis mihi nunc Hieronymos, quis Ambrosios, ubi, ubi terrarum reperiet? Corrupti ordines, corrupti mores, ut est humana natura proclivis ad malum, nimia Episcoporum negligentia (& cum Episcoporum dico, ne ipsum quidem Romanum Pontificem excludo) (a) nimisque delictorum impunitate peccandi crevit * audacia, quæ * venit. profecto pænis, & censuris vobis Patres coercenda est. Atque hæc omnia mala in Ecclesiam proruperunt postquam desitum est generalia Concilia celebrare; & adhuc reperiuntur, heu facinus miserum! qui hujus Sacri Concilii dissolutionem quærant, cujus auctoritatem vix, ut videtis, defendere possumus. Hæc pluribus deslenda essent, si vobiscum Patres agerem; quæ cum in aliis orationibus meis reservo, tum in disputationibus vobis dicenda. Nunc ad Imperatorem loquor.

Tertia pars suscepti muneris tota pietatis plena est, ad bellorum incendia extinguenda, pacisque compositionem conversa, cujus ut dulce nomen, ita pax ipsa cum jucunda tum salutaris. Pax enim Civium salus, vitæ libertas, mater quietis, soror concordiae, comes justitiæ, legum * nutrix. Bellum e contra populi strages, vitæ periculum, stimulus furoris, frater dissidii, amor rapinæ, comes violentiæ. Quod monstrum retrum, horrendum, impium jampridem sanguinem Christianorum, heu pietas! hausit. Nam quid Italiæ clades numerem, Italiæ inquam, reginæ Provinciarum, in qua nunquam bellorum fluctus jam a tot annis placatos vidimus *? Quid Cyprum referam tributariam impiissimi regis Ægyptiorum, post illam miseram captivitatem nostræ sanctæ religioni contumeliosam? Quid Prutenorum pericula? Quid graves Regum Hispaniæ discordias? Quid ipsam Germaniam? quæ nisi hic sua fortuna celebraretur hoc generale Concilium, tota jampridem bellorum incendiis conflagraret. * rerum. * penitus detumescere.

Heu, heu, non possum sine lacrymis in memoriam revocare illud incitum Gallorum regnum, quo stante nunquam jacuit Ecclesia, jam longo bello, intestinisque dissidiis pene deletum. Heu, heu exhaustæ vires, exhausta potentia, exhausta denique omnia præter odia. O firmissimum Ecclesiæ robur! o singulare præsidium! Sic Urbes tuas quondam fortunatissimas, desolatatas cernimus? Sic pulcherrimos agros tuos horrentes situ? Sic florentissimam nobilitatem gladio cæsam? Quid Latronum manus impurissimas? Quid parricidia? Quid Sacrilegia? Quid Templorum profanationes querar? Urbs vero illa toto orbe pulcherrima, domicilium potentissimi Regni clarissimum, quanto in luctu, quanto in squalore jacet *? * jaces. Quid Univeritas illa, illa inclyta Sacrorum studiorum officina, magistra morum, lux veritatis, expultrix hæresum, norma disciplinæ, non dispersa, non pene obruta? Bella quippe * bonis artibus inimica semper fuere, * quidem. quas ocium, & pax nutrire semper consueverunt. O Tellus inclyta tot

Anecdota Tom. I.

G

Chri-

(a) Conclusa intra Parenthesim verba, quæ ore rotundo a Corratio prolata, ejus qui tunc temporis Petri Sedem implebat ad palatium esse minime poterant, eaque fortasse omissa fuere de causa, restitui ex Veneto Codice nunc tandem posse, quin id nobis vertatur in crimen, confidimus.

* *deerat ly* Christianissimorum Regum alumna, quamdiu membra tua pulcherrima *
pulcherri- lacerari, divellique lamentaberis? Quamdiu ingrati orbis auxilia frustra
ma. implorabis? Quod si fortissimi Heroes, illustrissimi Reges tui reviviscent,
orbemque ingratitudinis expostularent; nos quassatam Ecclesiam
toties instauravimus, nos toties nostræ religionis rebelles populos pro-
fligavimus, nos mare transivimus, nos vulnera perpassi, nos sanguinem
nostrum fudimus, ut religionis nostræ fines protenderemus. En ardet Pa-
tria nostra, in qua nati fuimus, ardet bellorum incendiis regni nostri
clarissimum domicilium. Ubi beneficiorum memoria? Ubi pietatis officia?
Quis ferre posset justissimas, gravesque Christianissimorum Regum que-
relas?

* *inquiens.* At video temperandum mihi esse orationi. Cur, inquires? piget di-
cere. Dicam tamen. Audivisti, justissime Imperator, audiverunt item
Patres hi, quanta cum modestia gloriosissimi regni indignas calamitates
deploraverim: nullas tetigi partes, nullas Regum * controversias, nul-
la jura Regni, & tamen vereor ne cui gravis nostra videatur oratio.
Plus dicam, non ab Anglicis metuo, sed a Gallis, non a Laicis, sed
ab Episcopis, quos quidem decebat ab omni factione remotos pacis
auctores esse. Hujusmodi tamen quique sunt, videant ne magis suarum
cupiditatum vitio, quam nostra oratione commoti esse videantur. Nam
* *Quid* profecto si moderatissima verba ferre non possunt, nescio tandem quid *
quid. eorum patientia dignum judicaturi sint. Etenim de me ipso coniecto.
Scio Civitatem illam gloriosissimam, in qua natus sum, Urbemque
Genuensium, graves inter se inimicitias habere, partim veterum cruen-
tissimorum bellorum, partim recentis pugnae memoria. Si quis tamen
mihi Genuenses patientissimos viros magni, excellentisque animi deat
esse, certe * non negaverim. Neque enim ullæ inimicitiae cum virtu-
tibus Virorum * suscipiendæ sunt, mortuorum præcipue, qui omni invi-
dia carere debent. Idcirco si antiquas Gallorum laudes commemoravi,
quod Barbari libenter faciunt, si qui fortasse id ægre ferant, eos Barba-
ris inhumaniores puto.

Sed jam redeo unde abii; ad tria scilicet illa satis, ut puto, diluci-
de superius explicata propter quæ hæc Sancta Synodus convenisse profi-
tetur: quæ utinam essent tam factu facilia, quam sunt necessaria. Ideo
si causas institutionis hujus Sanctæ Synodi necessarias dixi, non minus
hoc vere dictum, quam si ardente proximo pariete vicinis dicerem: si
suarum domorum curam habere velint, necesse esse flammam imminentes
repellere, aut si dicerem gravissimo morbo medicamenta esse necessaria.
Recte quippe mortifera bella, hæresesve, & sævitia Bohemorum teter-
rimo incendio comparaverim, corruptelas vero morum gravissimo mor-
bo. His ergo intenta hæc Sancta Synodus cum Bohemis nil quidem
omisit, quo minus res illa componeretur; in qua re tanto acrius infi-
* *quatr.* stendum putavit, quanto * omnium periculosissima videbatur. Tum etiam
* *honestis-* Patres hi honestissimum * judicabant, si tibi, * Sigismunde, opera Ec-
* *fimi.* clesiae, regale patrimonium restitueretur, qui eo carere maluisti, quam
* *si tua.* aliquid

aliquid contra Ecclesiæ auctoritatem pati. Paci quoque plurimum operæ datum est, nonnullæ etiam saluberrimæ leges promulgatæ, quibus tamen vehementiori spiritu hæc Sancta Synodus interdixisset, ni variis undique, importunisque oppugnationibus, * quæ quidem notissimæ tibi sunt, ha-
* rationibus.
 tenus resistendum fuisset. Satis enim, superque difficile fuit diversis apud Reges, & Principes auctoritatem Ecclesiæ potuisse defendere, declarareque hanc Sanctam Synodum, non conventum malignantium, sed pietatis esse, non nefandam Babylonem, apud quam scelestum aliquod facinus oboriatur, sed Ecclesiæ Catholicæ, imaginem, in qua speramus salutem ipsius Ecclesiæ orituram. Quod quidem fieri minime potuisset, ni Patres hi jam pridem æquo jure judicassent debere Ecclesiæ sese, & quæ ab Ecclesia recepissent. Itaque & legationum onera, & longarum viarum discrimina, etiam impensis propriis, nemo recusavit, pecuniæ quoque nonnunquam, ut exigebat res, viritum collectæ; cum interim Romæ pecuniæ Provinciarum, vectigaliumque Romanæ Ecclesiæ omnes bellorum stipendiis absumantur. Nec * tamen damno Militum præsidia: scite
* non.
 faciunt, si sese armatis muniunt. Scimus Nicolaum Urbem ipsam, cujus portas jam tot annis clausas nemo viderat, cum magna non Militum, sed Latronum manu obsidere, cujus vires in perniciem multarum Civitatum Ecclesiæ, ipsius Ecclesiæ opibus invalere. At o supreme Cæli Rector, atque hominum, pestem illam averte a manibus Urbis, a Templis, ab Aris, a sanctissimo * Sedis Apostolicæ domicilio, ab ipso de-
* sanctissimæ.
 nique populo Romano; qui si ullo tempore in Romanam Curiam peccavit, hac tamen longa præsentium incommodorum patientia, & bene de Ecclesia meritis, & misericordia dignus videri debet. Vides jam, sapientissime Imperator, hanc Sanctam Synodum non immemorem suæ professionis esse, quæ tot impiorum maledictis laceffitur, qui tamen nil quidem confingere didicerunt, quod non per se falsum nullo resellente videatur. Veritas quippe non eget patrocinio, ultro sese offert, modo sint, qui in eam intueri velint. Nam licet illam variæ circum errorum nebulæ sepiant, tamen ut sunt vanissimæ, sapientis obtutus ferre non possunt. Audi ergo quam inepte calumniatores hujus sacri Concilii contumelias jaciunt. Queruntur omnino, si bene collegi, quinque, quibus quasi jaculis confodere student hanc sanctam Synodum.

Dicunt enim primo magnas omnium spes fuisse ab initio hujus Synodi, cæterum utilitatem jam duobus annis nihil adhuc * apparere. Hanc
* deeras ly adhuc.
 itaque partem primum confutabimus, reliquæ deinde suo quæque in loco subiciuntur. An pro nihilo reputabunt tot exactos labores in re Bohemorum? tot studia? tot vigilias? An pro nihilo ducent auctoritatem Ecclesiæ in tantis oppugnationibus fortiter sustinuisse? * Quibus si nihil
deeras integra signata possessio.
 aliud omnino actum fuisset * satis videri debet hætenus incredibili virtute, atque constantia resistisse, totque in unum Sanctos Ecclesiæ Patres, tot illustrissimorum Regum Legatos in hoc loco sanctissimo coegisse. Quod quidem egisse, ut est salutare Ecclesiæ, ita sine horum Patrum maximo, gravissimoque periculo minime actum. Nam si ut in magnis,

periculosisque rebus iustæ plerumque causæ adversos rerum exitus consequuntur, ita in hac nostra, imo Ecclesiæ iustissima causa contigisset. Videbant nimirum Patres hi quæ ipsorum pericula futura essent; sciunt enim unusquisque quam rem gerant *. Illis itaque semper meo iudicio res Romanæ debebunt, qui ab initio hujus sanctæ Synodi periculum Ecclesiæ subire suis periculis voluere. Vides quam stultum sit id obiicere, quod possit in maximam horum præstantissimorum Patrum laudem converti.

Secundo dicunt nimis circa sedem Apostolicam intentos esse hos Patres, cætera minus curare. Scire velim ab his: si quispiam eorum, ut digni essent, omnium membrorum vitio laboraret, prius ne in caput, an fortasse in pedes curam coniiciendam putaret? Si nemo tam delirus, qui non in caput fateatur, cur carpitur hæc Sancta Synodus, si ut ratio, atque ordo poscebat, capitis in primis curam habendam censet, a quo salutem totius corporis necesse est derivari? Nec tamen reliqua membra neglectui esse concedo, cæterum ad illa præcipue intendi, quibus ommissis, status Ecclesiæ constare non potest. Nam quis non videat quamlibet multa egerimus decreta, sanctiones, leges, nequicquam fieri omnia, nisi sedes apostolica exequatur. Ideo mea semper fuit opinio, summam rerum in Romano Pontifice residere, nihilque tam Christianis hominibus expetendum, quam ut boni sint, qui in illa sede collocantur, de qua deiici nequeunt, etiam si pessimi sint, * sine maxima totius Ecclesiæ vexatione.

Tertio loco non usquequaque servari gravitatem, res nimis præcipitari queruntur. O amentiam Hominum inconsiderate loquentium! non pudet * commentas vanitates impurissimo ore proferre? An præcipitatum quisquam duorum annorum patientia? An in ullo violata gravitas, nisi forte orando, obsecrando, postremo monendo, quod & ipsi fecimus, aliosque ut facerent cohortati sumus? Deum deinceps, hominesque testamur nos hanc Ecclesiæ causam pro communi utilitate suscepisse, proque auctoritate ipsius Ecclesiæ conservanda. Non hic privatas opes, non honores, non potentiam quaerimus. De republica agitur, neque ea levis, aut ludicra res est. De ipsa quippe religione disceptatur, cujus patrocinium multis hætenus periculis nobis constat. Sed quid ego hæc tecum, clementissime Imperator, qui tot labores pro conservatione hujus sanctæ Synodi, a qua pendet salus Ecclesiæ, primus omnium suscepisti?

Quarto contendunt non licere Patres juratos esse, quod in Concilio Constantiensi servatum non fuit. Inspiciamus ergo prius cujusmodi sit ipsum jusjurandum, deinde liceat nec ne, facile judicabimus. Quatuor omnino articulis continetur. Jurant sine fraude consulere, itemque nullius consulti propalare, quæ odium aliquod, aut periculum parere possint consulenti. An quisquam hoc inficiari possit recte fieri, quod in omni Senatu bene institutarum Civitatum semper servatum fuit? Quæ enim esset, Consultorum gravitas, quæ plebis in Patres reverentia, aut quis denique esset consilio locus, si metu pænæ futilitas excluderetur?

Ipsam

Ipsū quippe consilii nomen a silentio dictū videtur. Sæpius namque res magnæ, consilio, & taciturnitate quam armis geruntur. Quo in genere laudis Venetorum Senatus (ni amor nostræ Civitatis me fallit) omnes Respublicas, quæ ante fuerunt, mihi quidem excellere videtur. Jurant non recedere inconsulto, aut renitente concilio, quod quidem ut ita fieret ipsa conditio temporis necessarium fecit. Jurant demum parere decretis, quibus absque ullo juramento identidem obligati essent. Nec mirum videri debet si pro eorum conservatione decretorum omnis adhibeatur cura, quorum contemptores in supremam Dei majestatem impiissime peccant. Nam si jura humana, legesque civiles violare scelus est ab ipsis legibus severissime vindicatum, quanto detestabilius Ecclesiæ decreta negligere, quæ spiritu Dei in sacrosanctis Conciliis promulgantur? At honestum est Patres juratos esse, sed non licet, quia in Concilio Constantiensi servatum non fuit. Pugnancia hæc sunt; fateri idem honestum, quod illicitum esse dicamus: nullum quippe illicitum, honestum esse potest. Jam vero petere ab his libet, si concilio Constantiensi collibuisse exigere a Patribus jusjurandum, numquid id facere licuisset? Nihil hic hærendum est, fateri necessitas subigit, quoniam honestum, licuisse. At si licuit Concilio Constantiensi, etiam huic Sanctæ Synodo nimirum licebit; etenim generalium Conciliorum semper fuit, eritque par potestas. Eadem quippe in omnibus Conciliis est Ecclesia, quæ nedum consuetudines, sed ipsas etiam decretorum sanctiones pro temporum, rerumque diversitate immutare potest. Neque enim semper fuere, aut semper erunt, quæ nunc sunt in generalibus Conciliis instituta. Temporibus cedunt tempora, consuetudinibus consuetudines, legibus item leges. Sed & in Concilio Constantiensi, in omnibusque Conciliis Patres, quamvis non jurati quatuor illis articulis nihilominus obligati fuerunt, quorum violatores si non periuri, scelestissimi tamen judicandi; nisi forte dicere velimus: non esse in præbendis consiliis a fraudibus, dolisve, aut in propalatione consultationum a Sociorum periculis abstinendum, nisi prius ad id nos jurejurando obligaverimus; itemque non teneri illis legibus, quibus non * juraverimus obtemperaturos; & hoc pacto * de Latronibus supplicia indigne sumi, qui certe nec leges servare, nec a latrociniiis abstinere juraverunt. At nemo tam delirus, qui hoc dicere velit. Quam multa enim sunt, quæ non jurati observare debemus? Restat ostendere cur Patres non jurati, non possint sine periurio recedere inconsulto, aut renitente concilio. Quid mirati estis? quasi contraria dixerim, posse scilicet quæpiam in ea re pejerare, in qua nullum præstitit jusjurandum. Non sum ita rerum inscius, ut hoc dicere velim. Sed dico, omnes Episcopos ad id jurejurando teneri. Meministis enim. Patres, quid in consecrationibus juret Episcopus; nempe illud in primis: vocatus ad Synodum, ibo. An ut cum primum concilii locum attigerit, possit suo arbitrio discedere, & sic Sacra Concilia ludibrii loco habere, quasi laxandi animi gratia ad Concilia * eundum sit, non quod ulla Episcoporum opera, aut industria desideretur. Non sic profecto,

* nos non
* puto.

* Concilium.

sto, non sic. Nam si iussi veniunt, iniussi redire non debent; eadem quippe vis iuramenti, quæ ire coegit, cogit quoque non recedere inconsulto, aut renitente Concilio. Pervulgata est enim juris sententia: non dicitur venisse, qui non stetit. Quamquam ego in hoc Concilio nemini adhuc scio negatum esse reditum, modo aliquam honestatis causa ratiunculam allegarit. Non est ergo, ut plerisque videtur, ita imperiosum id jurare, quod etiam absque ulla iuratione observare quis debeat.

In quinta parte calumniæ queruntur non haberi honorem Nationibus, ut in Concilio Constantiensi, nempe pro Nationibus deputationes introductas esse. At ego in hoc Sacro Concilio ex omnibus institutis, quæ plurima extant sapienter excogitata, graviterque provisæ, hoc potissimum Dei consilio actum fuisse existimo, quo Nationum dissensiones tollerentur, libertasque Ecclesiastici ordinis servaretur. Scimus enim nonnullas Nationes inter se capitalibus inimicitias, inveteratisque odiis diffidere, multasque ob id in ipso Constantiensi Concilio, ut probe meministi, sapientissime Imperator, rixas, discordiasque extitisse, & multa adeo in rebus agendis impedimenta, cum † in firmandis decretis Nationes non tam opinione, quam odiis dissentirent. Tum quot concertationes, cum alii alis sese præponere studerent? Hic mixtæ omnes Nationes communiquisque quodam societatis vinculo continentur, nam unusquisque † Nationis propriæ oblitus, nil nisi de communi utilitate, commodisque Reipublicæ cogitandum ducit, nulloque Regum, Principumve imperio, ut in Nationibus, subiicitur. Quatuor vero deputationibus omnes commode distributi. Nec vulgus Clericorum admittitur, ut in Nationibus, qui ut ipsi per se nil graviter consulere possunt, ita aliorum recta consilia perturbare; sed graves tantum, doctique viri, qui recte, sapienterque consulere possint. Ipsæ quoque deputationes tres a Patribus professionis hujus Sanctæ Synodi appellatæ, prima ab ipsa religione, fidei vocabulum sumpsit, secunda pacis, tertia reformationis, quarta communis dicta. Utinam ergo Nationum nomen a Sacrosanctis Conciliis diu absit.

Hactenus obrectatoribus respondisse satis sit: Nunc te, Sigismunde, per Deum immortalem oro, per pietatem Sanctæ Matris Ecclesiæ, per Romani Imperii majestatem, ut virtutem tuam explices, nec finas sanctam religionem nostram ullo impiorum scelere contaminari. Vide quid Ecclesiæ debeas, & quid Ecclesia tibi. Utrumque te, ut puto, excitabit. Memento te † eundem esse, qui jam viginti fere annis pulcherrimum illum triumphum de sacro Constantiensi Concilio cum magna gloria reportasti. Potes nunc quoque quam maxime gloriæ tuæ fines protendere. Numquam Ecclesia tuam virtutem magis* respexit, nunquam tuam fidem, ac pietatem magis* imploravit. Hem ut miseris, & luctuosis rebus, quas supra commemoravi, unum addam, quod te imprimis exposcit: nuper in generali conventu hujus Sanctæ Synodi lectæ litteræ, quæ dum legerentur, Patres hi lacrymas non tenuerunt, quibus nunciatum est † Pilsinæ oppidam nobile quidem, & opulentum in magno periculo esse, & jam Procopium furem illum impurissimum, cum magna

† & cum
in firman-
dis.

† quisque.

† tu.

*Signata
verba desi-
derabantur
apud Lab-
be.*

† in Bohe-
mia.

magna Latronum manu portas obsidere. Quis illius archilatronis scelera comminiscens non horrescat? Nam quo se parricidii fax illa belli, scelerum omnium caput non contaminavit? Et adhuc, o Terra, monstrum illud inexprabile sustines, & tu Sol vides? Quæ crux, quod patibulum belluam illam immanissimam, tot facinoribus coopertam, induere condigne posset? Non ille Aris pepercit, non Sacerdotibus, nil pensi habuit Puer an Senex, Mater an Virgo, omnia divina, humanaque igne, cæde, stupro, ruina turbavit. Nec tam ipse sævitia grassatur, quam religionis odio furit. Varia præterea, diversaque tormenta in miserorum suppliciis experitur; ut jam ab impiissimo Latrone mors munus sit, non pœna. Et hic, hic inquam Parricida in hoc, o Patres, Templo, in medio vestrum fuit Legatus Regni Bohemiæ; nec puduit coram Aris, tot templorum everforem loqui. Vidistis diram sacrilegi illuviem, palloremque, tum oculis igneos, truculentos, visu horribiles, quibus unumquemque vestrum ad necem sedens tacitus designabat. Eja igitur, Sigismunde, ne cessa cum hoc Sancto Concilio Patrum, in hoc rerum naufragio, ut adhuc fecisti, Ecclesiæ sacrosanctæ succurrere, nunquam post Constantiensis Concilii tempora † tam pulchram occasionem nactus propagandæ gloriæ tuæ. Nec te moneant sacrilegæ † quorundam voces, qui gloriam tuam labefactare contendunt, nec satis considerant quid majestatem tuam deceat, dum propriam libidinem expleant. Scimus ple-
rosque machinas ad te expugnandum moliri, nonnullos in † insidiis suc-
centuriatos esse, quo magis constantia tua opus est. Possem hic clarius loqui, sed satis est, si hoc unum moneo, ne illis aures patefacias, qui te ab hac sancta Synodo alienum facere student. Nam quid faceres illi, si quis tibi ita suaderet: cave Sigismunde ne promissi memor sis, cave ne inter fas, nefasque quisquam pensi habeas, cave ne quid Ecclesiæ te debere existimes. Nimirum majestatis reum quoquo dignum supplicio judicares. Hæc enim Procopii consilia, non hominis qui ullo pudore segatur. Atqui eodem spectant eorum consilia, qui te ab hac Sancta Synodo alienum facere student? quæ tibi tanto magis pertimescenda, atque eo perniciosiora, quod multis involucris id ipsum impie moliantur. Hos tu abige, repelle, arce, non solum a conspectu tuo, sed a limine quoque tamquam perniciosissimos hostes. Jam in te unum existimare debes omnium spes esse conversas, omnium te oculos intueri. Hanc spem tua nobis pietate jampridem præstitisti, cum hanc Sanctam Synodum ab initio, rebus adhuc exiguis, ingenti favore prosecutus es. Quid igitur? Dubitabimus ut tuæ gloriæ te pœniteat, atque hanc Sanctam Synodum auctam jam deseras, atque ædificium hoc pulcherrimum diruas, ejus tu fundamenta jecisti? Minime quidem. Quid enim aliud hoc esset; quam contra seipsum pugnare? Nam profecto dum cogito, quæ ab initio perpeffa fuerit hæc Sancta Synodus, quantis casibus jactata, quantisque undique periculis laceffita; quod stet Ecclesia, tibi imprimis post Deum, atque huic fortissimo Viro Juliano Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardina-

li (a) attribuendum puto . Vide ergo quantum ambobus Ecclesia debeat. Tu cum primum monitus† instare tempus Sacri Concilii celebrandi, tanquam ad consuetam jam gloriam, primus omnium affuisti, tuaque auctoritate res labantes firmasti, neque etiam dum aberas favores tuos hæc Sancta Synodus usquam sibi abesse sensit. Hic vero dignissimus Cardinalis præsentī haud defuit operæ quominus periculum Ecclesiæ suo periculo subiret, quantoque res difficillima videbatur, tanto acrius insistendum putavit; neque fluctuantibus rebus cessit, aut minus speravit cum undique premeretur. Meminerat enim sapientissimus Vir hanc esse in rebus humanis conditionem, ut ubi boni quid cæptum sit operis, id quanto præstantius tanto magis mortalium morbo, atque adeo cæcitate, oppugnari solere. Contra, mala plerumque ab ipsismet, adjuvari, in quorum calamitatem redundant. Igitur ut prudens Nauta in difficillima tempestate nunquam clavum dimisit, cumque alios semper patientia superaret, tunc etiam seipsum vincebat, ubi maximi cujuspiam laboris, aut periculi species obiectabatur. Hujus itaque Viri virtute, quem omnis ætas celebrabit, nosmetipsi nobis, atque Ecclesiæ redditi, ac restituti sumus, stabilita Ecclesiæ auctoritas, aucta hæc Sancta Synodus, adeo ut a minimis principiis jam pulcherrima facta sit. Sed quid ego hunc Virum natum Ecclesiæ, cui semper res Romanæ debebunt, pluribus prædico, cum hos præsertim omnes suæ virtutis testes habeat Patres, qui utrum eum magis diligant, an admirentur, incertum est. Hi testes laborum, hi vigiliarum, hi summæ integritatis, atque innocentiae, hos consortes habuit gloriosi operis. Denique illud effecit, ut qui hac amplissima dignitate haudquaquam minor apparuit, posse quoque ad majora sufficere omnium opinione videatur. Ergo quid illi pro tantis meritis debeatur, videt Ecclesia, & deberi fatetur. Sed utcumque res ceciderint ab immortali Deo immortalia præmia consequetur.

Age igitur, Sigismunde, perge tu quoque id perseveranter perficere, quod certa, & constanti ratione pulcherrime incoasti. Habes hic, aliorum pace dixerim, sacri Collegii flores, habes lectissimos Episcoporum, habes collectos in omni genere doctrinæ præstantissimos Clericorum, qui tibi erunt socii gloriosi laboris. Nec† vero existimare debes cum hi te orant, te ab alio quoque quam ab Ecclesia rogari, cujus preces tantum apud te† valere debent, quantum tu ipse sæpe professus es, cum pro Ecclesia etiam vitam periculis obiectare, te semper paratum dices†. Religiosa sane magnanimi Imperatoris sententia, & tuo quoque genere digna. At vide quid te orant hi Patres, quibus certum est male omnia perpeti quam aliquid contra Ecclesiæ auctoritatem pati. Rogant primo ut cum hac Synodo, auctoritatem Ecclesiæ sustineas, utque Ecclesiam sacrosanctam ab impiorum scelere defendas, qui eo usque temeritatis processerunt, ut jam audeant (heu sacrilegum nefas) hanc

(a) Atqui is ipse postea, relictis Basileenfibus, Eugenio se adjunxit, & actorum in Florentina Synodo pars magna fuit.

hanc Sanctam Synodum, quæ Catholicæ Ecclesiæ imago est, hæreticam dicere; quo maledicto nihil dici potest sceleratius, aut excogitari. Legimus aliquando errasse Pontifices, Ecclesiam scimus neque unquam errasse, neque errare potuisse, alioquin religionis nostræ instituta penitus vacillarent. Liceat ergo his Sanctis Patribus, quos hic frequentes *cer- *frequenter, liceat compluribus optimis Viris, qui in Concilio vita functi sunt, hæresi nomine carere, ne tu quoque, alique item Reges convenisse cum Hæreticis videamini. Rogant deinde ut quoad potes, cum hac Sancta Synodo miserrima Christianitatis bella componas, quæ ea demum ratione facillime compones, si te nullarum partium feceris. Te igitur postremo, Sigismunde hic ante Aras, in hoc loco sanctissimo deprecor, ut in hac honestissima societate, quam cum hac Sancta Synodo jam pridem inisti, constanti studio perseveres, nihilque in terris, Deo excepto, sine quo Ecclesia esse non potest, venerabilius putes Ecclesia Sacrosancta. Basileæ VI. Idus Octobris.

E J U S D E M

G R E G O R I I C O R R A R I I

Carmina nonnulla ex Mss. Bibliothecæ Classensis Ravennæ.

A D A N T O N I U M R I C C I U M

S C U L P T O R E M

D I S T I C H O N .

MARMOR erant homines inspecta Gorgone: Marmor
Nos sumus, inspecto marmore, Crispe, tuo.

A D T U M U L U M G R E G O R I I X I I . P O N T . M A X .

E P I G R A M M A .

OP TIME Pontificum Cælo dignate, Nepotem (a)
Aspicias ad tumulum, reliquiasque tuas.
Non licuit Puero quondam, dum vita manebat,
Ora, nec aspectus usque videre tuos. (b)
Me tamen esse tui memorem voluere Parentes,
Deque tuo dictus nomine Gregorius.
Salve, Sancte Pater, tuque o fidissima quondam
Curarum requies, hospita Terra vale.

R E -

(a) Pronepos potius Pontificis illius Maximi erat Gregorius noster, quippe qui Patrem habuerat Joannem Corrarium, Gregorii Papæ XII. ex Philippo Fratre, Nepotem.

(b) Puer enim sexennis circiter erat anno 1417, quo e vivis recessit Papa Gregorius.

Anecdota Tom. I.

EPIGRAMMA.

PAUCA quidem meritis tribuit Fortuna maligna
 Parca manu rerum, quas valet ipsa dare.
 At tibi secretos pandit natura recessus,
 Ingeniumque simul nobile larga dedit:
 Et doctas artes, & fidum pectus Amicis,
 Jusque in divitiis non habet illa tuis.
 Perge modo: invitam coges, vincesque merendo;
 Ipsa sibi quamquam mens bona sit pretium.

EJUSDEM CORRARIII IN TURCOS.

O D E. (a)

USQUEQUO gentem pateris profanam,
 Christe, Servorum laceris tuorum
 Carnibus pasci? Miserere Regum
 Rex, miserere.
 Diruunt Urbes pariter, Domosque,
 Polluunt Aras, jugulant Ministros;
 Vasa de sacris pretiosa Templis
 Eripiuntur.
 Virgines fæde violant pudicas
 Debiles morbis perimunt, senesque;
 Fortium nectunt gravibus Virorum
 Colla catenis.
 Cumque nostrorum per eos luamus
 Criminum pœnas, proprio superbi
 Jactitant sese superasse nostram
 Robore Gentem.
 Vindica Gentes igitur fideles.
 Sensimus justum nimis, ac severum
 Hactenus: versa vice nunc benignum
 Experiamur.

HIE.

(a) Num Corrarium reapse Parentem habuerit, uti Classensis indicat Codex, ex quo transcriptam Odem hanc obtinuimus, aut satus potius fuerit Petri Barrocii, inter cujus hucusque inedita Carmina, verbis ipsissimis concepta legitur, dubietate profecto res plena est; nec cuinam sit jure adiudicanda, potior ulla occurrit ratio.

HIERONYMI ALIOTTI ARETINI

ABBATIS S. FLORÆ (a)

Ad eundem Gregorium Corrarium Protonotarium Epistola.

REVERENDO Patri, & Domino Domino Gregorio Corrario Protonotario Apostolico. Baptista Pallavicinus ob humanitatem suam, & peritiam litterarum, tum facilitatem ad omnes, ut fileam de genere, ac nobilitate hominis, est mihi jampridem observantissimus. Is cum venisset Florentiam ostendit mihi Bucolicum Carmen tuum. Placuit id mihi, ac magnopere delectavit; neque vero memini legisse carmen per hæc nostra tempora editum, quod elegantius, aut tersius visum fuerit, & habet præterea nescio quid facile, & illaboratum, ut non confectum, & excultum arte, sed quadam modulatione naturæ, ac veluti concentus Avium videatur profluere. Nec ista dico in laudem tui carminis; neque enim me facio tanti, ut probandi quidpiam, aut improbandi munus arrogem mihi, sed quo significarem placuisse id mihi supra quam credi possit. Ipsius vero carminis laudatio, non a me quidem reposcenda est, sed ab ejusmodi Viris, qui sunt & ipsi laudandi. Displicuit sane quod idem Baptista subiecit, te flammis tradidisse complura ejusmodi Carmina, quod molle, aut lascivum saperent, utpote in ipsa pueritia abs te confecta (b). Potuisses Auctorem suppressere, & subtrahere nomen, vel alteri adscribere jam vita functo; ut & notam effugeres impuritatis, quam Imperiti solent Doctis inurere, si quid eorum legerint dictum molliuscule, & studiosus quisque perciperet ingenii tui uberrimos fructus, quibus si privantur, vel minima ex parte,

(a) De Hieronymo Aliotto Patricio Aretino SS. Floræ, & Lucillæ Abbate Commendatario, postea S. Benedicti Congregationis Cassinensis Alumno, ejusque operibus, legendus, quin plura dicam, Comes Joannes Maria Mazzuchellius, tum generis nobilitate, tum multiplici sua eruditione clarissimus Tomo Primo de Italicis Scriptoribus pagina 497.

(b) Alia omnino de causa, Carmina nonnulla igni tradidisse Corrarium, quam eo quia honestas, pudore in illis relinqueretur desiderandus, jam præmonuit Cl. Pater Joannes ab Augustinis, ex iis Soliloquii verbis: *versiculos nonnunquam meos laudabas* (piissimus nempe Cardinalis Antonius) *cum semper in iis, mihi pudor placuisset*. Cur non opinandum potius ea flammis voluisse consumpta, vel quia ab Adolescentulo elaborata, spongiam, limamque exposcere viderentur; vel quia a Viro, Ecclesiasticæ jam adscripto militiæ Sacra duntaxat, minime autem profana, verecundo licet stilo, putaret esse canenda? Hoc non obscure innuit ad Cæciliam hæc scribens: *non abnuo, quin ultro venientem versum ad rem Ecclesiasticam transferas, sicut eleganter quidam e nostris* & ego ipse: *Gentis humane Pater, & Redemptor, sumpsi ex Carmine Horatii paulum immutato, ut Christum significantius denotarem. Atque usinam hoc exemplo cetera fecissem; sed me in adolescentia secularibus studiis florentem ingens, & infans Poetarum amor invaserat; nullam diem poteram sine Virgilio ducere, versus quotidie plurimos ad ejus exemplar fingebam.*

te, existimare debeant magnam sese ludi litterarii fecisse jacturam; quippe qui delicias tantas amiserint linguæ nostræ. Ego cum neque doctus sim, nec studiosus, fluctibus quibusdam, ac procellis fortunæ actus semper, & avulsus a litteris, hanc tamen indoleo vicem studiosorum, neque existimo gravem illis injuriam fecisse; quam ut emendes precor, & pari commutes officio. Commutabis autem si ea, quæ ignibus dederas, ex Armario memoriæ deprompta renovabis. Oro ascribas me in tuis Servis; nam ipse Doctis omnibus ita sum deditus, atque dicatus, ut eorum Emptitius, meo quodam jure possim appellari. Vale Domine Venerande. Senis 1443.



LAURI QUIRINI
EPISTOLA.

P R Æ F A T I O. ⁶³

CUR productis Gregorii Corrarii Opusculis, junctam nullo medio hanc voluerimus Triumvirum Venetorum Epistolam, paucis accipe Amice Lector. Poggius Florentinus, Reipublicæ litterariæ jam satis notus, libellum, de Nobilitate inscriptum, anno 1440. ediderat, in quo singularum Nationum, quam quæque jactat, generis claritatem expendens, plurima habebat, quæ non nisi ad Gentium injuriam dicta videbantur. Ægre tulere, ex quacumque Gente, plerique, quod veræ, nobilitatis decus sibi, ea scripsitendo, eripuisset; & (ut alios prætereamus) certe non nisi ad Patricii ordinis contumeliam, nec citra veritatis dispendium ab eo dictum, putarunt Veneti: Civitatem nostram factionibus obnoxiam, Procere nostros superbia tumidos, facinorosos postremo quoslibet, facillime nobilitate nostra donari. Calamum nulla mora arripuit Gregorius Corrarius, arripuere, & alii, quos inter Laurus Quirinus (de cujus ætate, studiis, functisque muneribus lato differit calamo P. Joannes ab Augustinis, Operis sui Tom. I.) & pari consensu Franciscus Contarenus, & Nicolaus Barbus Senatores præstantissimi, Virique eo ævo doctissimi, ut Patriæ decus, a putidis vindicatum calumniis in tuto ponerent. Eorum prior, Corrarius scilicet, ad Poggium ipsum Epistolam dedit, in qua etsi pro ingenita animi sui moderatione, ita a convitiis in Adversarium retorquendis, & ab acri verbo penitus abstinuerit, ut insignem ejus modestiam, nequiverit ille non celebrare; attamen tanta rationum vi, & differendi efficacia, ejusdem jacula elusit, ut sibi, quasi Victori, fasces submittere, & palinodiam propemodum canere, ni publici jam juris factus fuisset Libellus, Poggium coegisset. Id saltem obtinuit Gregorius, ut ille, variis adhibitis verborum significationibus, quæ acrius scripserat, emollire curaret, & aliorum infida relatione se fateretur deceptum. Hæc omnia suis ipse verbis Poggius nos edocet, quæ talia sunt: Optarem mi Gregorii amatissime, ut Libellus, quem de Nobilitate composui, antequam a me esset editus, prior in manus tuas pervenisset; nam duo, quæ amicissime admones, facile mutassem arbitrio tuo ... non enim quicquam calumniandi contra amplissimam, atque ornatissimam

tissimam Civitatem a me dictum, cogitatumque fuit, sed quia, quæ a pluribus olim intellexeram vera esse existima- vi sed inter cætera, tua scribendi modestia, atque huma- nitas fuit mihi gratissima, ut plane Epistola tua, tuæ virtu- ti, & suavissimis moribus convenire videatur. Hanc ergo Cor- rarii Epistolam, quam vel periisse, vel latitare dolemus, quæve ex sola Poggii responsione inotescit, cum edere nequeamus, abs- re minime duximus esse, aliam, occasione eadem conscriptam, & circa idem argumentum versantem, exhibere; Epistolam nem- pe a tribus jam memoratis Nobilibus Venetis communi nomine datam Petro Thomasio, quem rogant, obsecranturque ut Floren- tino Historico vices rependat, & nobilitatis causam in tuto col- locet. Hanc ex Manuscripto Codice Conventus nostri S. Nicolai de Tarvisio, summa diligentia transcripsit, & pari humanitate ad nos transmisit, dignissimus Cænobii Prior, & Librorum cu- stos vigilantissimus A. R. P. Lector F. Bonifacius a Turre. Nos postremo non latet, quod Epistolam hanc apologeticam solius Lauri Quirini, factum fuisse, ex eo deduxere nonnulli, quod So- ciorum nomina in aliquibus exemplaribus desiderantur. E contra Franciscum etiam Contarenum, Nicolaum Barbum, aliosque for- tasse operam suam in ea conscribenda, impendisse, pluribus du- cti momentis, & aliorum Codicum testimonio, opinantur alii. Litam sub iudice lubentes relinquimus.



EPI.

E P I S T O L A

C O N T R A P O G G I U M.

*Laurus Quirinus, Franciscus Contarenus, Nicolaus Barbus, & Socii
Petro Thomasio suo Sal. pl. dicunt.*

SUPERIORIBUS diebus, juxta quotidianam nostram consuetudinem, ad Rivum altum profecti eramus, ut in eo loco, ad quem a toto Orbe terrarum omnium Gentium, ac Nationum concursus esse solet, aliqua de studiis literarum, cum doctissimis Viris, qui in eo frequentes adveniant, communicaremus. Ubi cum unusquisque nostrum tunc præcipue, quicquid in omni doctrina novum habebat, in medium afferre contenderet, multis tam græcæ, quam latinæ linguæ Scriptoribus commemoratis, incidimus in eum Poggii libellum, qui de Nobilitate inscribitur. Qua de re tantam mediisfidius plerique eorum, qui aderant, indignationem percepisse videbantur, ut aliis rebus prætermittis, reliquus ille dies a nobis in ea re ita consumeretur, ut nemo nostrum esset, qui non aliqua de Dialogis illis, aut in hanc, aut in illam partem differeret. Atque ut hæc tibi particulatim commemoremus: Græci quidam eruditi, & satis claro loco nati, non mediocriter stomachabantur, nobilitatem suam a Latinis olim summo in honore habitam, parum urbaniter, ac nimium vane a Poggio nunc fuisse descriptam, quodque scelestius esset, Nicolaum Nicolum, qui semper Græcos, tamquam sacra Numina venerari consueverat, mendaciter in eo Dialogo fictum esse (a) nobilitatem Græcam solo famulatu comparari asserentem (b); non se de Latinis hujus præsertim nostri temporis ea meritos esse prædicabant. Neque hoc incognitis quibusdam Viris, sed nobis ipsis, & omnibus eruditis confirmare conabantur, quos omnes non esse nescios affirmabant, quemadmodum Emmanuel Chrysolora, & ejus Nepos Joannes equestris ordinis Vir in Italiam venerint, & Florentiam se contulerint, ubi literas Græcas, quas perditum iri videbant, edocere possent. (c) Romani etiam nonnulli in studiis

(a) Conquerebantur merito, quod Nicolaum Nicolium, quasi ad Græcorum injuriam obloquentem, in suo Dialogo Poggius induxerit; cum constet Civem illum Florentinum sua tempestate doctissimum, auctorem potius fuisse, ut Chrysoloras Græcus ad tradendas Florentinæ disciplinas conduceretur, plurimos Codices nedum latinos, sed & græcos in communem utilitatem magis sumptibus comparasse, plurimamque tandem operam præstitisse, ut Græcæ literæ inter Italos reviviscerent; ut contra Vossium differens Cl. habet Apostolus Zenus.

(b) En ipsissima Poggii verba: *apud Græcos, quicumque ad Imperatoris Aulam vocati, servitio ejus insistant, quamvis abietti generis, ob Principis consuetudinem, ac famularum nobilitatis titulo possunt. Apud nostros vero Principes is mos inolevit, ut Pontifex, Imperator, Reges, Principes privilegio, & litteris faciant nobiles, nulla habita virtutis ratione. Ita illi, quod visu dignum est, usu, & obsequio; isti scriptura, & cetera nobilitatem adipiscuntur.*

(c) Aptissime Emmanuelem Chrysoloram nominatim, Quirinus inducit, quem Græcas litteras Florentinæ tradentem, Poggius ipse Præceptorem habuerat.

Anecdota Tom. I.

I

studiis liberalium artium apprimè docti, se vix a maledictis abstinuerunt, cum suam nobilitatem, quam tamquam aliarum dominam venerari deberet, ita flocci faciat, ut eos pecudes appellare præsumpserit (a). Sed si ille adesse potuisset, se facile declaraturos asseverabant, Romanos non tam pecudes, quam cum opus esset, Lupos fore. Neque Neapolitani quoque rem hanc æquo animo tulerunt, ita enim lamentabantur, ut nobis risum maximum commovissent. Cum præ dolore digladiari vellet putarentur, quod nobilitatem suam, quam cæteris omnibus audeant anteferre, desidia, ignavia, atque inertii otio oscitando, atque sedendo conspicuam fieri sit criminatus (b). Nec ullam causam esse arbitrabantur, quæ Poggium ad scribendum induxisset, nisi quod, ut ipsi dicebant, vix ille infimo loco natus, & ejus Pater omnibus incognitus esset, speraret, eo de ignobilitate libello cum tanta nobilitatis vituperatione, sibi nobilitatem, quam neque Parentes sui, neque ipse consecutus esset facile vendicaturum (c). Qua de re non tantum verbis, quantum verberibus, ac perniciosis vulneribus, si potuissent eum graviter mulctassent, ac percussissent. Germani vero, atque Alemanni utrique vociferari, atque latrare cæperunt, quod se Latrones appellatos esse conspicerent (d) quos gloria belli admodum excelluisse constaret, quæ quidem res, humillimo sæpe cuique nobilitatis principium dedit. Ad horum omnium quoque querelas accesserat, ut Genuenses nonnulli insignes, ac periti Viri, maxime in Poggium incitarentur; ac primo a nobis expositularunt, quisnam esset iste, tam eruditus, tamque probus Vir, qui eos Latrones, & Cacos facere audeat, cum nemo major Latro, nullusque Cacior eo, vel esse, vel haberi possit (e). Imprudenter enim, ut ver-

bis

(a) Agricolas potius, Pecudum, & Armentorum Custodes, nobiles Romanos his verbis despexerat Poggius: *Romani, qui appellantur nobiles, mercaturam ut rem vilem, & abiectam contemnant, cultui agrorum, & rei rustice vacare, Gregis, atque Armentorum curam gerere, re pecuniarum opes querere, questum honestum, & Viro nobili dignum putant; idque eis, qui possunt agere, etiamsi recenti sint familia, hoc lucri genere patet aditus ad nobilitatem.*

(b) Neapolitani (verba sunt Poggii) qui præ cæteris nobilitatem præferant eam in desidia, atque ignavia collocare videntur: nulli enim, præterquam inertii otio intenti sedendo, atque oscitando, ex suis possessionibus vitam degunt, sedentes in Atriis, aut equitando tempus terunt. Etiamsi improbi, absurdique fuerint dummodo priscis domibus orti, se nobiles profitentur. Mercaturam ut rem surpissimam, vilissimamque exhorrent; adeo fastu nobilitatis tumentes, ut quantumvis egenus, atque inops, citius fame interiret, quam Filiam vel opulentissimo mercatori matrimonio collocaret; maximeque furas, & latrocinio, quam honesto questui vacare.

(c) Obicuro vere loco natus erat Poggius, nempe ex Terranova Florentinæ ditioris oppido prope Aretium, quo Majores ejus ex Lanceolina progeniei, convenerant, ut ex Poggii vita, quam summa diligentia, ac pari eruditione edidit Joannes Baptista Recanati Patricius Venetus.

(d) Germani, atque Alemanni (sic Poggius) quibus census patrimonii ad victum superpetit, & his qui procul ab Urbibus, aut qui Castellis, & Oppidulis dominantur, quorum magna pars latrocinio deditur, Nobiles censent. Quibus humanius ingenium natura dedit, verem Principibus, quorum in stula asuescunt cultiori vitæ, rudes tamen, & moribus asperi.

(e) De eis enim sic scribit Poggius: *Negotiationi deduntur omnes, præsertim vero maritime, Nobiles, atque Ignobiles. . . . sunt ex his quidam in Castellis Montanis dispersi, Caci more itineribus infesti, qui Nobiles habentur.*

bis suis utamur, asserit, se primum apud Latinos, de Nobilitate disputasse, & eam inventionem suam esse demonstrare conaretur, quam quidam alius acutius invenit, aptius disposuit, & eloquentius declamavit. An omnes Doctos ita cæcos esse futurum, est arbitratus, ut eos aliquando ista cognituros, ac intellecturos non crediderit? Extant jamdudum Bonacursii de Monte Magno, Oratoris optimi, duæ elegantissimæ in hac re declamationes ad Guidum Antonium Comitem Montisferetri destinatæ (a). Fingit etenim Lucretiam Romanam Virginem præstantissimam, adeo virtute, moribus, genere, opibus, forma insignem fuisse, ut ardentissime præsertim a duobus Romanis Adolescentibus, illustribus forma, & ætate paribus posceretur. Sed cum ipsa Patri, opinionem suam interroganti, respondisset, ut nobiliori potissime daretur, magna populi frequentia res in Senatum deducta est. Ubi alter eorum Juvenum P. Cornelius Scipio se nobiliorem esse contendit, quod genere, divitiis, omnique fortunæ munere præstet; alter Gajus Flaminius humili fortuna, & genere, sed virtute, quæ sola veram nobilitatem afferat, nobiliorem affirmat. A quorum politicissimis, ac nostro judicio immortalitate dignissimis orationibus, hunc omnia furatum esse præclare animadvertimus (b). qui ne posset agnosci, Caci more adversis vestigiis in speluncam, ut ita dicamus, suorum scriptorum, in qua multa etiam alia sunt hujuscemodi furta, abdere conatus est; & ut juxta consuetudinem suam, omnia in peiorem partem verteret, non quemadmodum ille modeste sine ullius injuria rem hanc pertractavit, sed nihil videtur scribere, vel ut melius loquamur, transcribere scivisse, nisi homo iste aliorum scripta, in omnium Populorum injuriam convertisset (c). Caveat ergo, caveat, ne dum Cacos alios facit, ipse magis Cacus existimetur; nam si hos Caci mores prosequi volet, vix nempe effugere poterit, ut non aliquando Herculis clava pœnas luat. Cumque hi omnes, & alii plures sententias suas in medium protulissent, ac proprios, ut ajunt, querimoniæ libellos deposuissent, Veneti nostri admodum mitius id tulisse visi sunt. Non enim rem hanc, tamquam si censores essemus, pertractandam existimabant, sed

(a) Quæ de Nobilitate scripserat, non Guido-Antonio Comiti Montisferetri, sed Carolo de Malatestis, Bonacursium dicasse, testatum in schedis suis reliquit Cl. Apostolus Zenus; id præterea adnotans, quod ex argumenti similitudine, Bonacursii opus, nomen Poggii, quandoque prætulit.

(b) Nec Plagiarium notam inurere, nec ab eo crimine Poggium absolvere, nisi facta utriusque operis collatione jure possemus; hinc laboriosam curam altis ultro committimus.

(c) Perpendat quæso prudens, æquusque Lector, quæ consulto ex Poggi libello in his notis exscripsimus, judicetque, num citra mendacium Alberto Parisio olim scripserit: *nanquam quicquam egi mea sponte, quod merito cuiquam displicere posset, nihil scripsi contra quempiam*; judicet, inquam, num ea quæ de singularum Nationum Nobilibus dixit, fuerint ad captandam benevolentiam accomodata, quam unice in suis lucubrationibus intendisse, testatur, Corrariorum scribens: *cum in scriptis meis studeam gratiam, & benevolentiam querere, non fuisset adeo amens, ut cum ipse favore egeam, voluissem doctissimorum, mihiq; amicissimorum Virorum in me animum provocare, aut aliquid committere, quo mihi jure succensere possent, & si qua in re se lasos existimarent cumulatam vicem reddere.*

sed si sibi daretur esse cum Poggio, libenter ab eo quæsituros aiebant, cur magis describatur Veneta nobilitas ad Cumanum, quam Mediolanensis reticita ad Tarvisinum aliquem? Cur magis infletur, præ tumore nobilitatis, nobilis Venetus, quam cæteri? Quid quod plebem spernant? quod sceleratum ad suam nobilitatem adsciscant (a)? Cur Civitatem factioniosam appellet, quæ mille, & viginti annos sui juris inviolata permanserit, non autem alias subditas jam, & mille quotidie factionibus expositas, atque periculis (b)? Atque ut hæc tibi breviter exponamus, nullius humanitatis, aut bonitatis esse censēbant, quempiam de se, ac suis rectius sentire, ac prædicare, de amicis vero benemeritis pessime, ac inhoneste, & Asellos aureos (c), qua non reperiuntur Civitate, vel deducere: cum in ea præsertim ipse permaneat, in qua eorum, cæterorumque jumentorum copiam maximam habeat. Aderant præterea alii plurimi doctissimi Viri, qui cum antea aliquid se de nobilitate scivisse dicerent, post illius Dialogi lectionem nihil penitus ea de re intelligere fatebantur. Qua de causa illud Laberii, ut est apud Gellium, optime a peritis commendari putabant, quod nimium altercando, veritas amittitur. Etenim præ multitudine rationum, & opinionum, quas Dialogus ille continet, clarius, atque apertius omnibus fuisse judicabant non movere, quam motam, ut ita dicamus, nodis complicatam non solvere, neque explicare quæstionem. Hi etiam aliquantulum suspicari videbantur, ne Poggius rem hanc egisset, & ita maxime in nobilitatem esset invecsus, ut tanquam Romanorum exemplo, Plebs omnis adducta, a Patriciis secederet, ac cum, pro tantæ rei munere, in suum Tribunal eligere. Et quoniam in eo Dialogo de Assyriis quoque fit mentio, visum est nobis eos, qui mercandi gratia Venetias accesserant, ad hunc sermonem nostrum convocare, atque ab illis quærere, cur tam parvi, tamque angusti animi essent, ut tam diuturnum servorum dominatum paterentur (d), qui nempe causam suam ita egregie purgarunt, ut nesciamus, quid in ea re melius, atque elegantius dici potuisset. Minime namque temerario, atque inconsulto id apud eos tamdiu toleratum fuisse demonstrabant, sed ab antiquissimo quodam exemplo ductum, tanquam religiosum quoddam apud eos

(a) Cum de Venetis scripsisset: ipsi per sepe nobilem reddunt ex ignobili, nam qui ob aliquod in eorum Rempublicam insigne facinus admissum, etiamsi scelere aliquo, profuerit Nobilium numero adscribitur: nunc quasi vellet e cæno pedem evellere, Corrarior rescribit; attende queso quomodo ea verba ponantur; non dixi ob insigne scelus, sed facinus, non qui scelere profuerit, sed etiamsi profuerit.

(b) Hic iterum vela cupiens dare retrorsum scribit Corrario: in verbo factionis ... Titum Livium secutus sum ille enim in suis libris factionem tanquam sectam in Civitatibus, & divisionem sententiarum in Republica scribit honesto quidem verbo, cum utrique sententiis dissidentes, voluntate tamen idem sequerentur, scilicet sue Reipublice utilitatem.

(c) Hæc ad ea Poggii verba referenda sunt, quibus de Nobilibus, vel egenis Parentibus procreatis, vel hebetis ingenii ait: at ego mallet me Apuleii Asinum, quam aut talis essem, aut ortus ex eo, cui minus quam Asello sensus, aut prudentie inest.

(d) De iis enim Poggius scripserat: Egyptiis, ac Syris nulla (nobilitas) habetur nisi eorum, qui militie deduntur ... reliquis servorum loco habitis. At hos omnes constare esse Emptorios Servos, qui postmodum Præfecturas Equitum, Provinciayamque sortiti, usque adeo, fortune beneficio, effervunt, ut ex eis potentior, Regnum occupet.

eos manere institutum. Qua de re, maxima porro afficiebantur admiratione, quod neque Poggius, neque nostrum, qui aderant, aliquis optima doctrina, atque scientia præditus, & in tam amplissima religionis nostræ materia versatus, id non præclare animadvertisset. Nam si in antiquissimis historiis compertum haberemus, quemadmodum Joseph in Ægypto Mercatoribus venditus, & a Mancipio, totius illius Regionis Dominus effectus fuerit, non ita reprehendi deberent, quod aliquando tantæ rei exemplo commoti, inviolatum usque in hodiernam diem Decretum observarent, ut nemo nisi ex Mancipiorum genere, Princeps, aut Rex esset, aut aliqua prima officia Civitatis obiret. Quæ omnia cum intellexissemus, in summa quadam expectatione constituti opinabamur, quod unde ad nos hæc devenerat controversia, inde quoque ejus rei definitio afferretur. Sed quoniam nihil usque in præsentiarum in lucem editum est, attenta sapientia Philosophorum, & præstantium hominum summæ Curæ, apud quam hæc agitata fuerunt, neque ab illa doctissima Academia Florentina, quicquam emanavit, neque ab aliis totius orbis Gymnasiis, ad quæ novimus Dialogum pervenisse, satis, superque satis excogitavimus, a quo loco, & homine hujus sententiæ promulgationem expolcere deberemus. Non enim ulterius pati potuimus nos, qui certe & esse, & dici nobiles volumus, quod antiquissimus nobilitatis fundus a Progenitoribus nostris relictus, & jam Familiarum nostrarum peculiaris effectus, in cujus possessione jamdudum mansimus, novam quamdam quæstionem subire incipiat. Hanc ergo rem etiam, atque etiam animo agitantes facile videre videbamur, ut in hoc ipsius quoque Poggii sententiam, atque judicium sequamur. Eum enim, qui causam hanc foret assumpturus, tria potissimum in se habere debere; primo ingenium quoddam acre, quod ille postremo addit; secundo doctrinam, quam primo in loco posuit; tertio, & ultimo eloquentiam, quam secundo loco collocavit. Quibus omnibus rebus cum te, Petre, nobis luce carior, præditum esse non ignoremus, in te oculos mentis nostræ, intuitumque defiximus, quem etiam notitiam Regionum habere, Nobilium naturam scire, sententiarum copiam tenere, rerum omnium usum expertum esse, manifeste comprehendimus. Ad te igitur, tanquam ad eum, quem magis facimus, & quem merito tuo aliis cariores existimamus, potissime confugimus, & nedum magnum, sed in maximum quoque modum obsecramus, ut edisseras, quid de Poggii opere sentias, quod isti adeo injuriosum faciunt; an tanti sit hujus nobilitatis explicatio, tamque difficilis quam antea facilem censebamus, ut tamquam Ænigma insolubile solvi nequeat; & si fieri potest, te in Judicem nostrum ad dirimendam hanc quæstionem, a Poggianis argumentis dubiam magis factam, assumimus, cupimusque ut collocutores illius Dialogi reassumpti cum rationibus suis, in suo aliquo Dialogo apponantur, quo ejus rationibus respondeatur, quæ non fore partes justas opinaberis. Inter cætera vero, magna ex parte, votis nostris respondebis, si per te Lucretiæ Sponsus fuerit adiudicatus; unoque hoc labore, ac uno, ut ferunt, itinere, & illam diu.

diutinam molestiam, & nos expectatione maxima levare statueris. Et quoniam scriptum Poggium plurimi fecimus, de querelis, quas supra exposuimus, neminem absolvere, aut condemnare volumus, sed omnia tuæ censuræ committere decrevimus. Ad quod nempe peragendum majori confidentia sumus adducti, quod scimus, te pro Patria nostra, & nobis quoque, majora opera esse aggressum, & ita, ut non immerito omnes te, de nobis optime meritum, arbitrentur. Ex his enim tui sumus, qui non tantum negotii, sed etiam otii tui spectatores semper esse desideramus, & propter accuratissima tua publica studia medicinæ, & tuorum operum singularia, & præstantia juvamenta, quæ in nos, nostrasque Familias diu, atque quotidie experti fuimus, quid private agas attendere, & tempora ab aliis neglecta, quæ colligis, observare conati sumus. Quo fit ut dubitare nequeamus, quod si nostra corpora tanta diligentia semper curare studeas, quæ ad animi nostri affectionem maximam pertineant, te nullo pacto neglecturum esse: & quod aliis fortasse negares, nobis, nempe Filiis tuis, procul dubio concessurum. (a) Vale decus nostrum.

(a) Num eam reapse in se provinciam susceperit unquam Thomasius Philosophus, & Medicus ætate sua celeberrimus, ut Nobilibus illis in votis erat, nobis ignotum. Hoc unum ex Epistola ipsius Poggii apud Cl. Salvinos Fratres Florentiæ servata, & a Recanato nostro perspecta, didicimus: Poggium datis ad Thomasium litteris, testatum se, non ex adversa in Venetos voluntate, ea acriori stilo scriptitasse, cum imo Venetum Civem fieri, domicilium sibi posterisque suis apud eos parare, & Venetam Historiam, ad id facilius assequendum, conscribere aliquandiu cogitaverit. Quasi his adhibitis excusationibus, ab opere suscipiendo Thomasium abducere, & commotos Venetorum animos sedare, vellet.



LEO-

LEONARDI JUSTINIANI
EPISTOLÆ ALIQUOT
NEC NON ALIORUM AD IPSUM.

EPISTOLAS aliquot Leonardi Justiniani Patricii Veneti, & Protopatriarchæ nostri S. Laurentii Fratris, nonnullasve aliorum ad ipsum, privatis hucusque emancipatas ergastulis, nunc primo educentes, si quidquam de vita, & studiis ejus praloueremur, profecto jam actum a Cl. P. F. Joanne ab Augustinis videremur nonnisi reagere. Is enim tam copiose, accurateque de Justiniano, sæculo XIV. labente nato, & Viris, vel doctissimis, sui ævi certe accensendo, disseruit, tantaque diligentia, quæ ille, vel metrica lege ligata, vel soluta oratione lucubraverat, operis sui Tomo I. recensuit, ut id duntaxat nobis reliquum fuerit, pauca, quæ nondum prodierant, ex iis fontibus attingere, quos Venetorum monumentorum sedulus ipse perscrutator, indigitaverat. Res sane nobis, etsi non abunde, satis attamen pro voto cessit; tres siquidem Leonardi Epistolas, quas in Oratorii Brixienfis Codice asservari indicaverat; unam nempe ad Petrum Thomassium, binas vero ad Krotum Vitalem, a Nobili Veneto Petro Crotta, ejusdem Oratorii Præbitero, in quo morum probitas, & litterarum studium de primatu decertant, Comes Joannes Maria Mazzuchellius, nunquam sine laude memorandus, facillime nobis impetravit. Obtinuimus pariter a Viro humanissimo R. P. F. Bonifacio a Turre, Cænobii nostri Tarvisini Emerito Priore, ac Bibliothecæ Præfecto binas alias, unam scilicet ad Federicum, aliam ad Reginam Cypri, datas Epistolas. Consecuti postremo sumus ex Codicibus Francisci Guarnerii, & Justi Fontanini, in Oppido Forojulienfi S. Danielis servatis exemplaria, amica nobis manu exarrata, epistolarum, quas ad Guarinum, ad Antonium de S. Daniele, & ad Magistrum Ariminensem dederat olim Justinianus. His addere libuit ex codice Guarneriano, Orationem in Leonardi commendationem Utini habitam; ex memorato Brixienfi Codice Epistolam Petri Thomassii; aliam etiam Gasparini Bergomensis (quam inter illas, quas Cl. Joseph Alexander Furrietus collegit, ediditque Romæ 1723. frustra quærivimus) ex codice olim Apostoli Zeni, nunc nostro; binas postremo Guarini Veronensis ex codicibus Veneris, quorum unus in publica D. Marci, alter in hujusce Collegii nostri Bibliotheca custoditur.

74
LEONARDUS JUSTINIANO
SUA VISSIMO PETRO SUO

S. D.

BARBARUS noster hodie tandem literas mihi tuas reddidit, quas a-
bitror tam diu apud se habuisse, aut quod rebus tuis facile care-
re nesciret, aut quod meis, perveteris amicitiae nostrae jure primum ac
suis utitur. Hinc propterea Plutarchum tuum, quem tu mihi jam diu
misisse scribis, in quo praeter tuam insignem liberalitatem, diligentiamque
Librarii, quid laudem, certe non habeo; non quod Plutarchus noster is
sit, cujus nihil non summe laudandum inveniri potest, sed quia nihil,
praeter primos congressus, & eos quidem perleves admodum, mihi se-
cum morari libuit. Nam si publicas, forensesque occupationes meas in-
termiserim, quibus ob amplitudinem tum Magistratum, tum & Urbis
nostrae quotidie perurgear, nondum tamen animum tam diuturnis, tan-
tisque maximarum rerum, ac curarum agitationibus pulsum, composui.
Cessarunt venti, quum Magistratu me abdicavi; caeterum tanta vi exci-
tatos * fluctus, nondum penitus placatos sentio, quos equidem repente
sedare, ego multorum esse non arbitror, sed eorum tantum, qui Ne-
ptuni Tridentem, idest solidam utramque Philosophiam exercere didice-
rint. Nullum est enim in omni vita opus neque difficilius, neque ho-
* quod. mine maximo dignius, quam * aut non moveri, aut turbatum jam ani-
mum, & longe, lateque disiectum colligere facile, & tuto, tranquillo-
que portu locare posse. Quamobrem scite certe, & peregre Maro
noster tum maxime mihi finxisse visus est, quum Neptunum scribit ne-
glectis ventis, quos adeo leviter ille fugarat, totum ad exaequandos flu-
ctus conversum, dixisse, id longe praeter caetera, sibi praestare (a). Sed
quod (ut ad me redeam) quid me ipsum quaeso componam? Quid in
antiqua studia mea revertar? quid ad legendum, aut, quod tu maxime
cupis, ad scribendum me potissimum conferam? Vix ego his rebus men-
* forensi. tem appulero, quum in forenses* iterum occupationes meas, ab his stu-
diis alienas, mihi redeundum erit. Forum, & Curiam me vocant alio.
Bellum jam mihi indictum video. Triginta mihi dierum dantur indu-
ciae. Interim arma expedire licet, quibus tot, tantasque causas in meam
fidem, proximumque susceptas defendam: Quod si satis meae dignitati
consultum fore cupio, certe non mediocri studio opus erit. Quis enim
poterit, nisi qui multum elaborarit, tantam omnium rerum varietatem,
& co-

(a) Illa, his verbis, indicat Virgilii Carmina ex Lib. I. Aeneid. quibus Neptunum
sic alloquentem inducit.

*Tanta ne vos generis tenuit fiducia vestri?
Jam Caelum, terramque meo sine numine, Venti
Miscere, & tantas audetis tollere moles?
Quos ego. Sed motos praestat componere fluctus.*

& copiam, res tam multiplices, & summa inter se varietate disjunctas ornate, graviterque oratione complecti? Nullum est causæ genus, nulla constitutio, nullus locus, nullum denique universæ artis præceptum, in quo, nisi mihi deesse velim, non me versari conveniat. Adde, quod non apud eundem ordinem mihi semper dicendum est; sed pro causarum meritis, ac dignitate, nunc coram ipso Duce, nunc apud XL. Judices, nunc in Senatu, nunc apud ordinem Patricium agere me oportet, quibus in locis oratoris studia varie, prorsusque diffita moveri convenit. (a) Sed id certe me vehementius angit, quod hosce quotidianos labores meos, haud brevi defuturos video. Scis enim & conditiones Magistratus, & occupationes, quæ nunquam desinunt, quia fero desinunt. Non tamen credas velim, me omne tempus, cogitationesque meas his in rebus insumere. Taceo curam rei familiaris, quam Urbis nostræ singularis conditio longe majorem facit; quum omnes pene copiarum nostrarum ex industria prodeant, atque parentur. Epistolas quoque prætereo, quas nisi honestissimorum amicitias longo studio partas deferuerim, crebro me scripsisse oportet. Quid putas quotidianum Amicorum ex Venetiis ad me confluxum, quibuscum, nisi diem persæpe traduxero, non satis ex officio secum actum crediderint? Vides ne, itaque, mi Petre, quam me multa perurgeant. Desine nunc me credere in convertendis Græcis Scriptoribus occupari. Plerique & istic in florentissima Urbe illa Vicentina sunt, qui eadem, qua tu, opinione tenentur, quibus permaxime cuperem has literas sui erroris judices esse, ut me judicent, non torpore, aut ignavia tabescentem, sed publicis, honestissimisque negotiis quotidie pene declamatum tam diu filere. Nihil est, mihi crede, quod tam vehementer exoptem, nihil prorsus quod magis ex animo cupiam, quam me in ocium, & in hæc me nobilia literarum studia colligere. Hoc uno desiderio pene discrucior. Cæterum susceptos labores eo modo absolvendos duxi, ut & Reipublicæ, & meæ dignitati, & eorum commodis, quos honestissimo jure defendo, satis abunde consultum videatur. Non tamen meum tibi in hac re consilium conticescam; me longe malle, si per occupationes meas liceret, arbitrio nostro scribere aliquid, quam in alienis libris interpretandis elaborare. In primisque mandare liceris voluisssem quasdam ex his Orationibus, quas ego tot, tantasque, cum non mediocri forte Audientium (tecum nunc loquor ut mecum) assensu, ac laude peroravi, tentareque si eadem ipsæ scriptæ parem gratiam redolere possent. Qua in parte Ortensium illum nobilissimum Oratorem sibi ipsi succubuisse accepimus. Sed Cicero noster me territat, omnia mea consilia dissipat, ac disturbat; ita enim perfecte, divineque singula orationum genera est amplexus, ut vix quemquam in-

K 2

veni-

(a) Ex his deduxit Pater ab Augustinis Leonardum nostrum ex Triumviris, quos Advocatores communes appellant, fuisse tunc temporis, quorum sane munus est, si-
ve pro Civium tutela, si-ve pro Criminosorum punitione, causam sæpe dicere, nunc
coram Duce, cæterisque Collegium componentibus, nunc apud quadraginta Virorum
Magistratum, nunc in pleno Senatu, nunc apud Patricium ordinem, majus nempe,
ut vocant, Consilium.

veniri posse confidam, qui alienas orationes, vel earum modo exordia, videre sustineat. In hanc me sententiam confirmant plurimæ eloquentissimorum hominum literarum monumentis explicatæ orationes, quas video, non tam vetustate deletas, quam incomparabili illarum splendore obtenebratas, evanuisse. Itaque si aliquando ocium meum, ingeniumque præstitit, alio me vertam ex tuo consilio, in ea potissimum parte versabor, in qua non divinis, sed humanis viribus opus esse intelligam. Tu interim Galienos illos absolvito, ut & tuæ gloriæ, & nostræ valetudinis rationem plurimam habuisse videaris. Barbarus noster bene valet. Marcus Frater tibi plurimam sal. dic. Vale ex Murano (a) 16 Kal. Septembris 1420. q^m raptim.

LEONARDUS JUSTINIANUS

PROCURATOR S. M. SUAVISSIMO

FRATRI KROTO SUO SALUTEM.

RESPONDEBO humanissimis literis tuis, & brevibus reperam, quod proximis diebus abs te petebam. Non Famulum, sed Adolescentem quempiam cupio, qui mecum habitet, & Bernardo Filio ad hæc mercatoria sit adiumento, simulque ipse apud nos bonis moribus, & mercaturæ disciplina instruat. Quales in eo condiciones esse cupiam, inclusa pagina te docebit. Nec dubito in illo tuo frequentissimo ludo unum aliquem, aut plures inventum iri, qui aut omnino, aut proxime ad hanc nobis imaginem propositam accedant, & similes sint, qui- que te hortante & sibi pariter consulere, & mihi satisfacere velit. Tu igitur qui me mirifice semper amasti, inquires sagaciter, & si quos ad hanc rem idoneos, & paratos inveneris, me de omnibus illorum conditionibus accuratissime quamprimum admonebis, simulque ad me mittes aliquid sua manu scriptum, ut de illius litera iudicem. Necessarium enim in primis est ut, aut bene, aut saltem intelligibiliter, & non incompte ad scribendum sit aptus. Quodsi, quem tua ope nactus fuero, quemve bene vivendi, agendique cupidus sit, curabo ut cum tui consilii, suæque ad nos profectionis nunquam pæniteat. Vale dulcissime Frater. Bernardus tuus, ejus manu usus sum (b) in his scribendis, te optat bene valere. Ex Venetiis die VI. Maii 1446.

ALIA

(a) Crassam jam prænotavit, Pater ab Augustinis Nicolai Meucci hallucinationem, qua *Muranum* Castrum esse credidit Lucaniæ, seu Basilicatæ in Regno Neapolitano. Alienigenis tamen condonandus error, at non certe Venetis suadendus, dum proximam, *Muriani* Insulam ad Torcellanam Diæcesim spectantem, oculis quotidie cernunt, & vix manu, pedeque non tangunt.

(b) Studiorum, curarumve nunquam intermissarum fortasse causa, potiusquam annorum, aliquot ante obitum mensibus cæcutire cæperat, inde penitus visum perdidit; quapropter Filii sui Bernardi opera in scribendo utebatur.

ALIA JUSTINIANI

AD EUMDEM EPISTOLA.

Leonardus Justinianus Kroto suo salutem. Superioribus diebus binis ad te literis accersivi Adolescentem illum, quem tu mihi proxime commendasti. Sed neque ipse, neque ulla hominis in scribendo diligentissimi, responsio apparuit usque, & literas tamen utrasque, ut credam tibi fuisse redditas, facit eorum, quibus commendatæ sunt, fides. Verum quoquo se modo res habet, sive illum pœnituit, sive in veniendi sententia perstet: te rogo ut me quamprimum facias certiozem. Si venerit, & is ipse fuerit, quem tute illum futurum spondes, faciam, spero, ut & te suæ rei probe consuluisse, putet; & suæ se vitæ bona jecisse fundamenta non dubitet. Vale ex Murano pridie Kal. Junias.

EJUSDEM JUSTINIANI

AD FEDERICUM EPISTOLA.

Leonardus Justinianus jucundissimo suo Federico salutem (a) Non eram nescius, dum tuam erga me benevolentiam, tuumque judicium animadverterem, quanti meas literas facturus eras. Idcirco, fa-teor, superiori tempore ad te scribere debueram, ut & tuæ voluptati, & meo officio satis factum esset. Sed mihi te propediem, Guarinumque nostrum visere arbitranti, quonam pacto, nescio in hanc usque diem tempus effluxerit. Nunc vero, quando neque ad te venire, neque tecum tacere possum, scribendo curabo, ut diuturnum meum silentium nulli tibi jacturæ fuerit. Quantum enim id tibi gratum futurum sit, cum sæpe antea, tum maxime tuis suavissimis literis, quæ mihi hodie sunt... satis persuasum esse arbitror. Quidnam enim est, quod ad colendam, recolendamque nostram perpetuam amicitiam gratius, jocundius, dulcius afferri queat? cum tu præsertim id ipsum tantopere expetere videaris. Neque ex ea re jocunditas modo, quæ plurimum in amicitia viger, tibi est expectanda, sed tua quoque scribendi exercitatione maximum in dicendo fructum assequeris. Hoc namque unum est, quod te in primis rogo, hortor, atque commoneo, ut quidquid studio, doctrina, industriaque assequi poteris, omne id ad usum velis accommodare; incredibile enim est, quantum cum omnis disciplina, tum maxime dicendi ratio, in qua nunc versaris, exercitatione contineatur. Itaque nostrum inscribendi officium ceu tu prior occupasti, ita etiam accuratior studeas conservare. Et si non te ejus rei utilitas; saltem dignitas nostræ ami-

(a) Quis & undenam fuerit hic *Federicus*, quoque anno hæc ad eum data fuerit ab Justiniano Epistola, cum ex *Tervisino Codice* minime constet, divinare nobis non licet.

amicitiæ moveat. Ego enim is sum, qui vel nemini summa erga te benevolentia cedere arbitrer. Vale, & Genitorem tuum, cujus in me amplissima est auctoritas, pro me, Marcoque tuo, pluribus plurimum salvere jubet.

E P I S T O L A

L E O N A R D I J U S T I N I A N I

AD CYPRI REGINAM. LAUS PICTURÆ.

CUM in Tarvisino Codice, ex quo hocce obtinuimus exemplar numeralis nota quælibet desideretur, incertum proinde est, num ad Carlottam Jacobi Borbonii Filiam data fuerit, quæ anno 1410. Jano Regi Cypri nupsit, gessitque ad annum usque 1432. insignia regia; an potius ad Eleniam Andreæ Paleologi Filiam, Joanni Regi deipsonatam anno 1435, ut habet in Historia Regum Lusignanorum Gibley.

MECUM nuper cogitabam, quid facerem, quod & mei erga Majestatem tuam amoris, ac venerationis pignus redderet, & tuam in me constantem, & perpetuam recordationem servaret. Nihil enim est, quod non illi divino Principi, & pro eo tibi debeam, propter immortalia erga meos, ac me beneficia. Venit igitur in mentem, ut pictam hanc Tabulam tibi dono mittam, quæ vel eo ipso amplissima res judicari poterit, quod tuo designata nomini sit apud Majores nostros, quorum in omni re plurimum viget auctoritas. Vasa, vestes, signa, cæteraque id generis vel idcirco maximi sæpenumero facta video, quod Dianæ, Minervæ, aut tuæ, ex Cypro creatæ, Veneri dicata erant. In ea vero tuæ Majestati demittenda eo promptior, lætior, ac animosior sum, quod principale, ac regium munus visum est. Haud ignoro quantæ diligentæ, honoris, observantiæ, penes Reges, Populos, Nationes habita fuerit Pictura, ut quæ non solum arte, ulu, imitatione, sed etiam mentis viribus, & divino prope ingenio expressa, ipsam ferme rerum omnium parentem naturam æquaverit adeo, ut si quibusdam fictis arte Animantibus vocem addideris, facile cum natura ipsa contendant, quin etiam aliqua ex parte eam superasse dixerim. Quod ne cui mirum esse videatur, naturæ vires, ac potestatem adeo in plerisque rebus circumscriptam esse animadvertimus, ut non nisi Vere flores, Autumno fructus pariat, pictura vero sole sub ardenti nives, & hiberna tempestate Violas, Rosas, Poma, Baccasque, & affatim quidem procreet. Proinde summos, ac eruditissimos quosdam fuisse homines audio, qui ei Poeticam maxima ex parte Sororem adiunxerint. Quid enim aliud picturam, nisi tacens Poema definierunt? Idque ipso Poetarum testimonio comprobari potest. Etenim Pictoribus, atque Poetis quælibet audendi semper fuit æqua potestas, utrumque certe mentis acumine, & divino quodam spiritu excitari, ac duci constat. Quanta ejus dignitas apud Mortales sit, multa extant exempla. Alexander ille Magnus ab Apelle ætatis suæ le-

tiss.

Etissimo potissimum pingi voluit. Quid ita? quoniam ad ipsius gloriam, cujus studiosissimus erat, non parvam ex Apellis arte futuram accessionem intelligebat: cujus non solum animo, & voluntate, sed etiam nutui parere, obsequi, & obsecundare statuit; atque ita statuit, ut nihil tam arduum, tam difficile, tam molestum esse, quod non humile, facile, ac jocundum videretur, modo Apelli more gestum intelligeret. Idque proximo patet exemplo. Alexander pulcherrimam, & egregiam formam natum Virginem, ob ejus singularem corporis admirationem, & muliebris staturæ dignitatem, nudam ab Apelle pingi statuit, ut tam excellentem Feminae, sed mortalis pulchritudinem tæta in sese imago servaret, & artis auxilio immortalitatem contineret. Id cum pararet excellentissimus Artifex, se captum amore sensit. Alexander ei dono dedit gratiosam, formosam, & carissimam Puellam; Rex, & juvenis magnus alioquin, sed major imperio sui, nec minor hac munificentia, quam clarus victoria, quippe se, aliorum victorem, vicit, nec thorum tantum suum, sed etiam affectum donavit Artifici, quem propter pictoriæ artis præstantiam honore colebat, & gratia. Demetrius ille cognomento Poliorcetes clarissimi Pictoris Protogenis opera, summa cum admiratione conspicatus, tanta captus est voluptate, ut cum in obsidione Rhodiorum, quibus erat infensissimus, Protogenis imagines in potestatem rede-gisset, summis habuerit honoribus, & Pictoris nobilissimi, jam mortui, gratia, oppugnationem omiserit, Civitatieque pepercerit. Quid Phidiam, Xeuſim, Cimonem, Aristidem, Nicomachum pictores illustrissimos numerem? quibus ex hac, de qua loquor, arte plurimis ab exteris Regibus, Populisque honos impertitus est. Nunc & apud Romanos huic arti summa laus contigit, adeo ut clarissimæ Gentes cognomen ex ea traxerunt, Fabius, Lepidus, Cornelius, Aëtius, Priscus pictores cognominati. Quidquod a nonnullis etiam volumina edita magnum Auctoribus nomen, & gloriam attulerunt. Eruditissimus Philosophus Vir optimus Manuel Chrysoloras, græci, & latini nominis decus, cum raris admodum mulceri voluptatibus soleret, iis præsertim, quæ petuntur extrinsecus, hac ipsa mirum in modum oblectabatur. Nec enim tractus illos, umbras, ac lineamenta, sed artificis ingenium, & admirabiles mentis vires contemplabatur, quibus spirantia effingi membra, & vivos duci vultus liceret. Ego ita mihi persuasi, nullum generosum vegetum, vel nobile extare ingenium posse, quod non hujus artificii delectatione, illecebris, & amænitate capiatur, trahatur, leniatur. Quorsum tam multa de tabula ista, atque pictura? Ut intelligas, Regina illustrissima, hoc potissimum ad tuam Majestatem munus pertinere, cum apud excellentissimos Reges, Principes, & Philosophos tantæ dignitati, ac venerationi picturam fuisse animadvertas. Suscipe igitur munus meum, quod & mecum in tuam Majestatem amorem testatur, & constantem de me setvet recordationem tuam, quotiens in eo margaritas, monilia, prætiosamque suppellectilem disposueris, & collocaveris, vel, quod felix, faustumque sit, quotiens id in ipso puerperio tibi ante locari contigerit. Vale.

EJUS.

E J U S D E M E P I S T O L A

AD GUARINUM VERONENSEM.

L EONARDUS Justinianus suo Guarino S. P. D. Atque etiam resistas mi Guarine? Ah ne nos per Deum immortalem diutius dedigneris, ne nos excrucies tantis tuis incommodis, atque periculis! Cum Filiis Infantibus, cum Uxore gravida, ut scribis, cum annosa Socru, exul, inops Magnitas rupes barbaras pervagaris? Neque tam mortem fugiens, quam ubi sit quæritans. Num tui te miseret, mi Guarine, tuorumque? Num tu tibi ita neglectus es, oblitus de repente, qui fies, quorumque fies tum Parens, tum Maritus, tum etiam Amicus? Barbari, & Justiniani tui, quorum aut amicitiam inanem omnibus, atque Græcum videri cupis, auctoritatem nullam? quos non speras angulum, aut foramen in quo te recondas, tibi, idest homini amicissimo omnium, atque carissimo posse reperire in ea Urbe, in qua perditissimi, ac exterminatissimi homines minime reiciuntur. Quod si non dico meas, quas tibi redditas fuisse certum non habeo, sed Barbari litteras, quibus tuis respondisti, non accepisses, aliqua fortasse excusandi tibi patebat via. Nunc vero humanissime ab eo & incitatus es, & monitus quo pacto tuto ad nos possis divertere, & Georgi nostri exemplo poteras & nobis satisfacere, & tibi, tuisque, sine hoc, minime te digno, errore plane consulere. At tibi metuendum fuit, etiam nobis pollicentibus, stante edicto, in hanc Urbem pedem inferre. Muranum suavissimum oppidum, etiam pauculos ibi dies te fastidio enecabat. Jam victus, excusatio evanuit omnis. Muranum te fastidio sui jam liberat. Urbs hæc, idest Patria plusquam tua, te excipit, fovet, protegit. Edictum ipsum jam te immunem declarat, cum his tantum, qui ex Verona proficiscuntur ingredi interdictum sit, non his qui ex Tridento, aut Tridenti ripa veniunt, quorum locorum nominis, ita me superi bene ament, sine horrore meminisse non possum, adeo mihi videtur Tridentum barbariem aliquam intonare. Et tu ibi habitas mi Guarine? Tu inter densissimas Terras, tetrasque nubes illas, & caligines tantæ virtutis splendorem obscæcas, nec meminisci pretium Delphinos non capere? Quare te oro, obsecroque, si nunc preces meæ tibi fastidio non sunt, si Urbem hanc, saltem non barbaram, haud dedignaris, ut aliquando promissa persolvas tua, nostro incredibili desiderio satisfacias, nos tui sollicitudine eximas, teque tandem, qui his quibusque sedibus dignus intelligas, reque ipsa declaras. Christophorus solito plus te exoptat, jamque docendo ita defessus mihi prope videtur, ut non socius, nisi fallor, sed successor ei venturus sis. Sed quid pluribus tecum concludo? Te ipsum tibi do quem consulas, satis mihi fuerit dixisse: sic censeo, sic cupio. Tu quanto te tibi visum fuerit, mea consilia, voluntatemque facies. Vale altera pars animi mei, & Bernardo te

do te esse Parentem memineris. Marcus (a) te his periculis ereptum videre cupit. Iterum vale. Ex Venetiis 2 Idus Septembris.

E J U S D E M E P I S T O L A

AD MAGISTRUM ARIMINENSEM,

L EONARDUS Justinianus Venerabili, & Doctissimo Viro Magistro Francisco Ariminensi salutem plurimam dicit. Libenti animo debitum meum tibi persolvere aggrediar, mi Pater suavissime, quemadmodum benemeritos creditores fieri a solet, atque debet, in re præsertim, non minus tibi cara, & grata, quam mihi facili, & jocunda. Petisti enim a me, cum e tuo dulci amplexu novissime invitus, molestoque animo distraherer, ut litteras meas tibi, ex hac Patria mea, scriberem, quæ pro tua in me singulari, & eximia humanitate, benevolentia, caritate, summe expectarentur, & desiderarentur abs te. Accipe igitur munus exiguum, sed a magno certe, & tibi deditissimo animo meo missum. Nihil enim est tam arduum, tamque difficile, quod non mihi & facillimum, & planissimum videretur, modo tuæ voluntati, tuoque desiderio morem gerere, ac tuis in me meritis non vulgaribus gratificari possem. Facit hoc eximia, præstansque virtus tua, ac eruditio illa, & Sacrarum litterarum singularis peritia, quibus ita mihi ornatissimus visus es, ut divinorum præceptorum te, & documentum, & exemplum illustre putem. Taceo reliquos illius Urbis Cives egregios, de quibus conjecturam ex me ipso facio, nam ita me tuis prædicationibus in verbo Dei egregie fovebas, & accendebas, ut præter hæc in maximis illis, & plurimis Præturæ meæ occupationibus, quibus nonnunquam defessus animus requiem appetebat, summa me consolatione afficeret, & mirifice oblectaret (b). Eras profecto, ut ita dicam Portus mihi maxime exoptatus, in quo tanquam de procellis, & fluctibus recipere me videbar, ac tranquillitate cum utilitate maxima frui, quæ mihi gratissima, vel eo maxime videbantur, quod in his summam abs te diligentiam videbam, tum innata tua vigilantia, & perseveranti ad salutem Fidelium assiduitate, & cura, tum erga me ipsum gratia, & amore. Quomodo igitur non ægro animo a te sejunctus esse possim? Equidem dum magis, magisque cogito, non solum desiderium de te, sed etiam amor, & veneratio in te mea firmatur, & augetur. Quare sic tibi persuadeas velim me perpetuo tibi devinctum esse, & non modo litteras, quas sine tua humanissima requisitione sponte mea tibi scripsissem, ut par erat, sed omnem

(a) Hic Marcus, Leonardi ipsius Frater, cujus frequens in his Epistolis mentio, Vir erat tanta sapientia, ac prudentia præditus, ut alter *Cato*, vulgo appellaretur.

(b) Cum nullam aliam Præturam Justinianus gesserit præter Forojuliensem facile ex his verbis deducere erit Magistrum Franciscum Patria Ariminensem, Utinæ, quo Prætores, Locumtenentes dicti, commorari solent, auditorem habuisse Leonardum, sibi quoque amoris vinculo devinxisse.

omnem operam meam, curam, studium, diligentiam in tua, ut dici solet, manu, a me ipso reporta: Vale, & me in D. N. J. C. commissum habe. Ex Venetiis XXVIII. Febrarij 1452. (a)

A L I A J U S T I N I A N I E P I S T O L A.

L EONARDUS Justinianus Antonio de Sancto Daniele Viro præstantissimo (b) S. P. D. Si tardior in respondendo tuis litteris suavissimis tibi visus sum, id causæ fuit, quod putavi tibi coram verbis, non litteris posse responsum dare. Nam ii, qui istinc veniebant, cum eos de te, ut amantium mos est, diligentissime rogarem, aiebant te propediem hic affuturum. Et cum me tuæ litteræ melle dulciorem mihi gustum attulissent, summo desiderio te ipsum expectatum, desideratumque facile judicare potes; quod mihi si superi id dedissent, magna Foro-Julianæ Provinciæ parte frui mihi, ipsi viderer. Eam Civitatem caram relinquere, propter summum amorem, quem in eos omnes, merito suo, conceperam, quantum mihi molestum fuerit, vix dici posset. Te unum vere maxime ex omnibus istis mortalibus, cujus suavissima consuetudo & orando, & disputando, & deambulando tantam mihi voluptatem asferre consueverat, ut nudum, desolatumque, si quando aberas, memet judicarem. Fit autem quod hanc meam molestiam non parum solatur, ut quo mihi gravior nostræ consuetudinis privatio extiterit, eo jocundior invadat animam jocundissima memoria nominis tui, quæ quidem ita frequens est, quantum illius Patriæ recordatio. Nunquam enim mihi in mentem veniunt ii Cives nobilissimi, veniunt autem sæpissime, nec discedunt unquam, quin continuo & in tui memoria animus meus non requiescat. Ita in me inviolabilis quidam amicitiae nostræ habitus est constitutus, quem & acutum ingenium, & summa doctrina, & qui hæc omnia concludunt, humanissimi mores tui, indelebilem in animo meo inciderunt, tanquam in marmore. Venio nunc ad litteras tuas. Gratias tibi ingentes habeo, mi Antoni, qui tantum mihi tribuas, ut meritis fueris litteris tuis me visere, tanquam ego ille essem, qui emendatissimas, ac luculentas litteras tuas corrigere possem. Et præterea (ut litigan-

(a) Nonnisi per errorem annum signari 1452. præmonuit P. ab Augustinis; ex eo quod sexennio ante, die scilicet X. Novembris 1446. diem supremum jam obierat Justinianus. Hinc, si conjecturæ locus adsit, reponendus fortasse erit annus 1434; nam certe paulo postquam Locumtenentis muneri sese abdicaverat eam Epistolam dedisse, ex iis verbis constat: *cum e tuo dulci amplexu novissime invitatus, molestoque animo distaberet*. Præturam vero iniit anno 1432, gessitque de more sexdecim mensium spacio, consequenter declinante 1433. duntaxat complevit; proinde Epistola, quæ data apparet die 28. Februarii, ad annum 1434. referenda erit.

(a) Hanc quoque Epistolam, jam expleta Utinensî Prætura datam fuisse, satis constat; non item constat familia Antonii, cui eam inscripsit. Non una enim tantum, in S. Danielis Oppido, Foro-Julienâ Provinciæ, nobilis Familia commorabatur, unde ex Patria conjectari facile possit, Viri hujus agnomen.

tigantium verbo utar) posito hoc, & non concesso, ego tibi ita lum deditus, ut quidquid a te perfectum esset nullis meis occupationibus, nulla aliena molestia, non jocundum, non suave videri possit. At quod ita de me sentias, nulla me prorsus afficit admiratione; amoris enim tui id signum est, summæque in me benevolentia. Et quod item illi præstantissimi Viri, ita mihi afficiantur, suæ humanitatis, non ullius mei meriti est. Fruar igitur, & beatum me prope putabo hoc erga me tanto amore, & caritate vestra, quibus si aliter referre non potero, gratiam saltem amando, & æternam nominis vestri memoriam retinendo aliqua ex parte satisfaciam. Vale dulcissima mea suavitas, Vir eruditissime.

ORATIO CLARISSIMI VIRI

JOANNIS SPILIMBERGENSIS
IN LEONARDUM JUSTINIANUM.

ANNO 1432. quo Leonardus Justinianus primum accefferat, ut Locumtenentis Generalis Patriæ Foro-Julienfis munus obiret, hanc coram eo orationem habuit Utini, aut Joannes ex insigni oppido Spilimbergi, publicus tunc fortasse humanarum litterarum Magister, ut in Guarneriano Codice enunciat; aut Jacobus quidam Utinensis, cujus nomen in alio Ottoboniano Codice apparet, Justo Fontanino Aneyrano Archiepiscopo teste.

SÆPE, ac diu mecum cogitavi, Sapientissimi, & clarissimi Cives, maxima commoda, egregia ornamenta, quæ non solum Civitas Utinensis, verum hæc universa Patria sit consecuta, postquam Rectorem, Gubernatoremque nostrum suscepimus, illustrissimum illum, & pene divinum Venetorum Senatui. Quod ex eo maxime natum esse scio, quia pro summa ipsius in nos caritate, semper eos Prætores nobis designare curavit, a quibus jus magnopere colitur, diligenter observatur. Præclare quidem, ut solebat, dixisse Platonem legimus: beatas fore Respublicas si a studiosis, vel sapientiæ fautoribus gubernentur; quod cum sit, boni Viri, ab iniquis hominibus minime pessundantur, neque ex pauperum sanguine quis se locupletari permittitur, manet æquitas integerrima, unicuique, ut sacratissimæ loquuntur leges, jus redditur. Quas ob res, Magnifice Prætor, difficile dictu esset quantum Populus Utinensis hodierno die adventu tuo congratuletur. Neque injuria; auditam enim, perspectamque habet incredibilem animi tui sapientiam, quæ mihi in præsentia collaudanda est, non pro suorum meritorum magnitudine, quæ excellens ingenium, aut magnum quemdam Poetam, efflagitat. Ex multis, ac pene infinitis solum pauca degustare mens est, ut ea quæ notissima sunt nobis doceri potius, quam commemorare velle videar. Vos itaque Patres optimi oro, ut mihi de Prætoris vestri gloria, virtute, studio exposituro, benignas, sicut cepistis, aures vestras accomodetis.

L. 2

Natus

Natus est æquissimus hic Præses noster ex Venetiis, Urbe longe antiqua, & nobili, quæ profecto:

Virgil. Ecloga Prima.

Tantum alias inter, caput extulit, Urbes

Quantum lenta solent inter viburna Cupressi

Quid de illustri Familia sua dicam, quæ adeo nobilis, & insignibus Viris clara in sua Civitate habetur, ut nihil ei deficere videatur; quin inter cæteras omnes opibus, & magnificentia plurimum floreat? Quare & genere, & Patria jure quidem, ac merito, Leonarde Justiniane, gloriari potes; sine quibus Temistocles ille Atheniensis, subtilis judicii, & summæ industriæ Vir, claritatem se nunquam adepturum putabat. Magnificarem præterea opes, quæ tibi plurimæ ex honestissimo patrimonio sunt; laudarem, & magnis in cælum laudibus tollerem honestissimam liberalitatem tuam, splendide equidem, & minime perparce in omnes habitam, nisi propositi nostri ratio, non laudanda omnia, sed memoranda, sumpsisset. Est item in te, ornatissime Vir magna, in conservandis amicitiiis diligentia, non minor in evitandis odiis cura. Quos virtutem possidere intelligis, eos veneraris, eos amas, eos denique omni auxilio, consilio, caritateque prosequeris; quo factum est ut tum amicitias plurimas, tum Viri boni nomen sis consecutus. Taceo quali a natura donatus fueris dignitate, præsertim cum illa ita nobis ante oculos sita sit ut res declaratione non egeat. Videmus enim omnes quam liberalem formam, quam egregiam corporis dotem, natura parens, tibi præstiterit? adeo ut nullius membri maculam patiaris, aut detrimentum. Qua ex re unicuique perfacile, planum esse potest, quam modeste, quamque ingenue vitam tuam, per omnem ætatem, duxeris. Mihi hæc, quæ modo enumeravimus, Patres colendissimi, permagna videntur; verum quæ sequuntur multo majora. Quis profecto est tam audax, tamque sui fidens, modo compos mentis, qui eximias Leonardi virtutes suis verbis ornare, posse præsumat? Aurato lapillo mihi sane hunc diem, ut olim Traicia Gens factitare consueverat, numerarem, si laudatissima officia tua, mediocri saltem oratione, perstringere possem. Verum cum id quod possumus, non quod optamus, ut ajunt, nobis concessum sit, dabis veniam, Prætor eloquentissime, si animi tui ornamenta exili, ac tenui oratione commemorabo. Tuam in primis in regendis Magistratibus justiciam, quam hoc anno huic Patriæ constanter administraturus es, admiror, prædico, & quibus possum ad Sidera fero, præconiis. Quam enim hujus, de qua loquor, virtutis, officium in te clarum, atque excellens sit, testis est tua amplissima Venetiarum Civitas, quæ singularem mentis tuæ bonitatem considerans, te oratorem publicum summo studio creare curavit. Et recte fane, sciebat equidem tanti Imperii Majestas, facile esse a Justinianis justiciam observari. Quantum vero gratiæ, quantumque tui desiderii cum veneratione apud omnes reliqueris, operæ pretium est a Conterraneis tuis audire. Omnes benigne audiebas, honestum, non utile persuadere elaborabas, res agendas magna cum maturitate aggrediebare. Ubi vero semel incæperas incredibilem perseverantiam adhibe-

bas,

bas. Facilitate tanta fuisti, ut licet in summo dignitatis gradu constitutus esses, infimus ut par esse viderere. Finis non erit, si ea omnia singulatim pronunciare voluero, quæ ate, veldicta prudenter, vel administrata acute sunt. Cæterum ut, Leonarde Vir doctissime, hisce pauculis contentus sis, patere obsecro, me dulcissimam illam tuam in Parentes pietatem, caritatem in Patriam, fortitudinem in adversa consulto præterire; tantus est enim earum laudum cumulus, ut initio dixi, & repetens iterum, iterumque monebo, ut non solum meam, sed etiam copiosi oratoris eloquentiam anteire videatur. Sed quid ago? Finem orationi meæ imponam, & ea quæ, sicut stellæ quædam, in Prætoris nostro relucet, missa faciam? Fas non esse opinor. Redeam ergo, sed ea lege, ut quam brevissime potero solum pauca de doctrina tua pertingam. Nam cum ego divina studia animo, & memoria colligam, non video, qua ratione prisca illis oratoribus, quos tantopere admiramur æquando facile non venias. Veteres olim, & præclari oratores satis suæ gloriæ fecisse judicabant, si oratorium munus adæpti fuissent. Demostenem illum Græcæ linguæ principem, dicendi facultate delectatum, Philosophiam contempsisse legitur. Fecit idem Hilocrates, ut Marci Tullii .. latini eloquii decus refert. Te vero hac ætate oratorem optimum, & Philosophum eximium, doctissimi homines appellant. Franciscus Barbarus Græcæ, & Latinæ linguæ peritissimus, cujus memoriam semper cum laude, & gloria hæc nostra tempora usurpabunt, te ea dicendi gravitate, & diligentia præditum esse testatur, ut nullum tamen verbum ex ore tuo decidere, affirmare non dubitet. Petrum de Monte subtilem plane Philosophum, & universi juris eruditissimum Virum, Philosophiæ doctrinam te mirifice tenere, sæpenumero magnificis verbis dixisse, memini. Sed quid plura? Quantum in utraque re, de qua sermonem habeo, elegantissimis satis exemplo, & testimonio omnibus esse potest, luculenta illa, & magnifica oratio tua, in qua Caroli Zeni laudes adeo graviter, & copiose scripsisti, ut nihil certe gravius, & copiosius scribi potuisset. Felicem olim ille Alexander Magnus, Achillem arbitratus est, cui laudum suarum, Homerum tam egregium Præconem habere contigisset, quod merito, atque optimo jure in ipsum Carolum Zenum dici potest; magnifica ejus facinora a tam optimo, tamque laudato oratore ornata, & celebrata fuerint. Quæ cum ita sint; Vir litteratissime, memorabili huic virtuti tuæ quidem & summa cum ratione illud Virgilianum polliceri possumus.

Dum juga montis Aper, fluvios dum Piscis amabit

Dumque Thymo pascentur Apes, dum rore Cicada

Semper bonos, nomenque tuum, laudesque manebunt

Huc dicendi, æquissime Prætor finem faciam; si illud postremo adiecero, quod vehementer populus iste a me dici desiderat; majores, juniores, & universam denique Civitatem, ex hoc adventu tuo permaximam capere jocunditatem, cognosce, & se tuæ fidei, humanitatisque, omnes hi amplissimi Cives, accurate, suppliciter commendant.

EPI.

AD LEONARDUM JUSTINIANUM.

PETRUS Thomafius Cl. Viro Leonardo Justiniano S. P. D. Plutarchi libros, quos e Græcia mecum devexi, Gregorius Comes a me tuo nomine postulavit. Eos itaque tibi transmittō, & eo lubentius quod illis in præsentiarum, per occupationes meas, non licet mihi uti, quosque tibi non dubitavi fore percarissimos. Audio enim inter cæteros Grajos, Plutarchum a te amplecti, & in convertendis ejus operibus occupari (a): quare nedum liberaliter, sed etiam diligentissime agi & tecum, & cum Plutarcho mihi visum est, si apud te hospitatus, pro libitu tuo, fuerit. Ille tibi gloriam adiiciet, tu sibi tenebram adimes obductam per ætatem ignavem. Auctor enim est, de nobis, deque omni posteritate optime meritus, ut in lucem redeat, qui vetustatis, & literarum præstantium tantam lucem restituit. Actum meo judicio erat de Historiis, & hujusmodi literarum clarissimis monumentis, nisi horum, pene extinctam memoriam revocasset. Vale. Clarissimum Virum Marcum Germanum tuum salvere jube. Communi Patri nostro D. Fran. Cor. Committ. Johannem, & Andream meo nomine amplectere.

(a) Cimonis, Luculli, & Photionis vitas ex Plutarcho Græco in latinum convertit Justinianus, duasque priores Henrico Lusignano, non quidem Gallie, ut credidit Gaddius, sed Cypri potius Principi, inscriptas voluit. Pauca ut id evincamus Prozmii verba transcribere placuit ex Codice, olim Apostoli Zeni, nunc nostro. *Exemplis non indiges, cui paternum, nativumque genus innumerabiles prope Reges, fortissimisque Imperatores ediderit, quorum splendore, ac gloria Lusignana domus, Regias inter familias, illustrissima judicatur Quis Jacobi Patris tui fortitudinem, ac magnificentiam, quis denique Jani Fratris tui prudentiam, justitiam, clementiam, Herculeum robur, ceteraque regia ornamenta, verbis amplecti poteris? quorum imperiis, ac auspiciis opulentissima Cyprus, & justissime, & fortissime gubernata est.* Hic autem Henricus, Jani Regis Frater titulo Principis Galilee insignitus erat, & anno 1411, cum Ugone Archiepiscopo Fratre suo Italiam versus enavigavit; ut habet Giblet. Unde facile fuit Gaddio ex abbreviato, sive Amanuensis oscitantia, mendoso Codice, legere *Principi Gallie* pro *Principi Galilee*; & opportunum pariter esse potuit Leonardo nostro Justiniano, Vitas a se interpretatas, dicto Principi nuncupare.

G A S P A R I N I B A R Z I Z I I

B E R G O M E N S I S

E P I S T O L A

*Clarissimo, ac Patricio Viro Leonardo Justiniano, summa
observatione colendo. Venetiis.*

CUM te multo superiori tempore, multum ob celebritatem, ob eam-
que facilitatem, qua me, Xprofero Parmensi doctissimo Viro intercedente, perhumanissime suscepisti, novissime perlecta Cimonis, & Luculli facundissima interpretatione tua, eo magis in amorem tuum exarsi. Quare copiosorem quam fama, eloquentiam tuam, novi, quæ adeo antiquissimam illam suavitatem, ac elegantiam sapit, ut omnino non videam cur inter priscos eloquentiæ Principes, nomen tuum non commendari queat. Huic enim facundiæ tuæ non deest, quod omnem perfectum reddit oratorem: sapientia quippe, & sanctimonia morum, & vitæ integritate, & multarum rerum usu, prætereaque nobilium doctrinarum cognitione hanc ita decorasti, ut neminem istac ætatis oratorum concedere, multis perfacile antecellere judicaris. Populum Venetum, qui diu, lateque Mari, ac Terra dominatus est, in æternumque, Deo volente, dominabitur, si hujuscemodi Virorum copia floreret, nunquam primatum, nullo quovis in genere laudis, concessurum putarem. Homo vere Patricius, non per ignaviam, ac ignaves voluptates, quod plerique solent opulentissimorum, vitam agens, sed optimarum Artium studiis deditus, & omni virtutum genere, cum famosioribus illustrissimis Viris decertans, publicis, privatisque negotiis accommodatissimus, domesticis, exterisque Gentibus perutilis, nemini insolens, omnibus comis. Vah nunc demum: inter eas, quibus ab adolescentia hætenus calamitates contritus fui, non me pænitus felicitatis expertem autumo, qui priscam illam facundiam, multis jam sæculis obsoletam, per te, cæterosque præstantissimos Viros, quotidie magis renascentem cernam; qui tui, tam præcellentis Viri, familiaritatem, & benevolentiam natus sim, & eam ipsam nullo ex me in te præcedente officio, sed ea duntaxat, qua semper in omnes te fuisse ajunt, humanitate. Quas ob res adeo tibi, Leonarde Patricie, affectus sum, tantumque tibi debere confiteor, ut me ipsum nunquam de te mihi satisfacturum esse confidam, nilque magis a Diis immortalibus inpræsentiarum optarem, quam ut tuæ dignitati, ac virtuti gratissimum aliquid perficere possem; quod si quando, facultas, & tempus dabitur, argumentis rerum comprobabis. Interea vero, postquam aliud tibi jam in præsentem nequeo, id tibi vera fide polliceor, quod a me summa semper cum observatione veneraberis, laudesque tuas,
quibus

quibus imparem me Præconem fateor, quoad ingenioli mei facultas patietur, in omnem vitam divulgabuntur. Vale, & me tuum perpetuo habe. Responſionem tuam, ſi hac me dignum putas, ingenti cum deſiderio expecto, quam acceptam, levi ſervandam Cupreſſo, diligenter curabo. Iterum vale.

G U A R I N I V E R O N E N S I S
A D J U S T I N I A N U M
E P I S T O L A.

GUARINUS Veronenſis Claro Viro Leonardo Juſtiniano Veneto S. P. D.
Si vales bene eſt, ego quidem valeo. Dicere non poſſum quanto deſiderio Cimonem (*) ipſum expectarim *, quantaque advenientem voluptate, amplexus ſim, vel ut hoſpitem, vel ut familiarem; non minori certe, quam Evander Eneam; quippe ille bellum, & domeſticos luſtus, Cimon vero virtutis exemplum, & clari hominis imitationem * nobis comparet. Ejus proſecto expectationem vicit adventus, adventum admiratio: tanto ſiquidem verborum ornatu, & tam ſuavis diſtionis ordine contextus eſt, ut licet invitum Lectorem alliciat. Ejusmodi ſeſe offert oratio, ut non interpretata, ſed perſuaviſſimam quamdam ejus dulcedinem, nunc a te primum inventa, & magna cum dignitate expolita cenſeatur. Eam ab iis, qui de hiſce rebus optime judicant ſic probari, ſic laudari, ſic extolli ſentio, ut vetuſtatem ipſam mirum in modum & ſapere, & referre dicant. Summa cum ratione, & prudentiſſimo abſ te conſilio factitatum eſt, cum genere clarum, patria clariorem, virtute clariffimum hominem latine vertendum delegiſti, ut orationis opes, & tuæ ſplendorem eloquentiæ bene, ac digne collocares. Memoriam commendatum * eſt nobiliſſimum Sculptorem Phidiam, nonniſi circa divina corpora, & excellentiſſimas perſonas, verſari voluiſſe; indignum enim, ut arbitror, duxit ſingularem ingenii, & artis præſtantiam infimis intermori rebus. Ego illuſtriſſimum hominem, ſeu potius divinum jam Manuclem maxima efferri lætitia opinor, cum e Beatorum ſedibus, & altiſſima Cælorum arce nobiliſſimos Cives, & Conterraneos ſuos, Univerſam Italiam tanto cum honore peragrarè * viderit *; quos tua, & cæterorum præſtantium, & doctiſſimorum hominum opera, cura, & induſtria, & utriuſque linguæ commercia nobiſcum eſſe, & tam familiares habere ſermones, effecerunt; quique tam diuturna * cum noſtris egerè ſilentia *, nunc demum in conſuetudine revocantur, diſputant, commonefaciunt, & ad virtutis imitationem invitant. Pro quibus immortalibus beneficiis ſempiternas laudes, & gratia vobis quidem Italia, vos
autem

(*) Cimonis, nempe, Vitam Græco idiomate a Plutarcho conſcriptam, & recens ab Juſtiniano, latino redditam.

autem Manuelli & habetis, & agitis, quoniam eum pro sua caritate, benevolentia, liberalitate Græcarum litterarum ad Nostrates reportandarum Principem, Auctorem, Præceptoremque agnoscitis, atque testamini. (a) Quæ cum ita sint, non te quidem hortor, Leonarde suavissime, sed quibus possum precibus currentem adiuro, ut huic incumbas studio, quod tam egregia te corona & donat, & pollicetur, & eo majori cum gratia, si comitem Lucullum addideris, ut quos morum, & rerum gestarum similitudo ferme conjunxit, benignum interpretationis officium ne disjungat. (b) Facis præterea tu, & Givæ tui, qui doctrina liberaliter instituti estis, ut cum vestra inclita & vere terrarum regina Venetia reliquis Civitatibus iustitia, fortitudine, sapientia, fortuna, rebus gestis aut æquetur, aut antecellat, ne sit in hac tam honesta, tam utili, tam laudatissima parte, posterior. Vale, & valeant qui te valere desiderant.

ALIA GUARINI EPISTOLA ~

DE JUSTINIANI ORATIONE.

GUARENUS Veronensis Clarissimo Equestris ordinis Viro Alberto de Sala. Luculentam illam Justiniani nostri orationem, in Caroli funere habitam, tibi missurum me jampridem pollicitus sum (c); quod cum hæcenus factum non sit, alius utique miraretur, imò acrioribus verbis inculcasset, scio. Tu autem pro tua humanitate, modestia, & singulari in me benevolentia, fideque, mittendi tarditatem optimam in partem accipies*. Satis habebis, ut si non constituto tempore, res saltem promissæ* appareant omnes, & solo dierum spacio fides elapsa sit. Ecce autem orationem ipsam, in qua tibi reddenda, grande scilicet æs alienum, quod tecum contraxeram, persolvere mihi videor. De ea vero quid sentias, nihil interrogo; etenim antea subtile, ac prudentissimum iudicium tuum accepi, cum in consertissimo doctorum hominum consensu, & clarissimorum Virorum frequentia ipsi* actioni præsens interfuisses. Qui non affuere, ut spectare dicentem, & vivam simul orantis vocem haurire potuerint, multa equidem inter legendum laudaturi* potuerunt. mihi

* accipias.
* re promissa.

* ipsius.

* potuerunt.

(a) Ex his fortasse verbis, aliisque arguit *Faroldus* in Annalibus Venetis, Justinianum, Emanuele Chrysolora docente, græcas litteras percepisse; cujus tamen sententia iis non aridet, qui solidioribus ducti momentis, ab ipso Guarino Veronense eas didicisse contendunt.

(b) Hoc etiam præstitit Justinianus, & post interpretatam Cimonis vitam, aliam etiam Luculli, ex eodem Plutarcho, latinitati donavit; quinimò & tertiam, Phocionis scilicet, quam nonnulli Lapo Florentino perperam adscribere; de qua videndus Cl. Apostolus Zenus, qui oculari, fideque dignissimo adhibito teste, eam vindicat Justiniano.

(c) Hanc in funere Caroli Zeni Orationem, publici sæpius juris jam factam, habuerat Justinianus anno 1418. ætatis suæ, ut supputant, circiter trigésimo, coram Duce, Senatuque in Ecclesia S. Mariæ, ut vocant, de Cælestia, in qua militis illius invictissimi cineres sepulchro condebantur.

Anecdota Tom. I.

M

mihi videntur. Mirabilem in primis locorum excogitationem, quos ex infinito pene dicendorum acervo, quadam, ut sic dicam, frugalissima
 * quæ. brevitate decerpfit; tum pulcherrimum rerum ordinem, quem * summa
 ratione, ac diligentia accuratissimus homo composuit. Primo enim ejus,
 * qui com- quem commendabat *, defunctæ * vitæ cursum lectoris oculis, quasi
 mendaba- necessariam collaudandi summam, & adumbratum materiæ corpus, subie-
 tur. cit; deinde ingenium, tum virtutes *, postremo gloriam ut continuos
 * defun- gradus, & connexam inter se catenam collocavit. Commendabitur præ-
 cti. terea * generosa sententiarum ubertas, & copia, nec minus lecta, cum
 * virtu- verborum suavitate, majestas. Erunt nonnulli, qui Caroli mortem bea-
 tem. tam, fortunatam dicant *, non solum quia vita illustris antecessit, ve-
 * postea. rum etiam quia probatissimi * Laudatoris, in liberalibus artibus, ac
 * dicent. omni litterarum genere & usu, & doctrina instructissimi præconium in-
 * probatis- venit. Nam Illustrissimus homo, Vir optimus, ac sapientissimus Philo-
 simam. sophus Manuel Chrysoloras, quodam in loco scribit: is verus * lauda-
 * vere. tor est, qui rerum, quas laudaturus est, gnarus, & exercitatione peri-
 tus est; quod præstantissimum illum Macedoniæ Regem, & vere ma-
 gnæ, Alexandrum maximi in primis fecisse constat, idque haud dis-
 * terræ. simulanter tulisse. Nam cum in invadenda Asia in Sigeum Trojæ * pro-
 montorium venisset ad Achillis tumulum constitutus, ut erat laudis, &
 gloriæ cupidus, suspirans: o Fortunate, inquit, Adolescens, qui tuæ
 virtutis Præconem, Homerum invenisti. Hæc, & his similia, ab iis præ-
 dicari posse intelligo, quibus ut Leonardum referentem audirent, nequa-
 quam obtingit; quæ primaria, atque insignia naturæ, aut artis munera es-
 se confiteor. At nos, qui eum præsentem intueri, agentem spectare,
 dicentem audire potuimus, quanta huic præclaræ orationi deesse senti-
 mus! Vidimus quam prompta illi memoria verborum ordinem submini-
 stravit, * nunquam hæsitavit * nihil exciderit, nullo interim loco super-
 * hæsitavit. vacuum silentium egerit, ne ulla quidem sillaba * hominem retardarit;
 vit. adeo ut non tam memoriæ commendata referre, quam scripta lætare
 * ullam videretur. Quod cum per se magnum sit, longe majus censebitur, si
 sillabam. spectatissimus Civium conspectus, eruditissimorum hominum cætus, fre-
 quentissima populi multitudo ante oculos ponatur, quorum amplitudo,
 * in. judicium, atque fastidium, non mediocres persæpe oratores ex * ipso di-
 cendi cursu deturbarunt. Quid compositus gestus? Quid cygnea illa vox,
 & Sirenium vere concentus? Ex ejus profecto lingua, ut de Nestore
 Homerus, ait dulciorem melle fluentem orationem sensimus. Quam fle-
 * flexibili- xilis! quam firma! Concinnæ respirationes, promptæ distinctiones, non
 lis. præcipientes, moderatæ non lentæ, concisæ non destitutæ. Quanta pro re-
 bus varietas! remissa, intenta, acris, duleis, & ut summatim dicam,
 præ ratione rerum, ac animorum habitu, conformatum, ut ajunt, erat
 organum. Hæc, cæteraque id genus tantum, ut scis, præferunt momen-
 ti, ut quævis oratio, hisce actionis viribus, & dicentis asseveratione de-
 situta, languescat. Quo fit ut multæ Veterum illorum scripta, nihil
 inter legendum oblectent, quæ dum pronuntiabantur maximum in mo-
 dum

91

dum Auditores superiori ætate demulserant. Q. Hortensius hac ipsa, de qua loquor, pronuntiatione plus quam eloquentia consecutus traditur; quocirca secundus post Ciceronem habitus, summopere cum oraret placuisse dictum * est, sua vero cum postmodum legerentur non itidem. * dictus. Non iniuria igitur Demostenes, cum quid in arte dicendi summum esset interrogaretur, pronuntiationi palmam tribuit, eidemque primas, atque secundas partes, donec ab eo queri desierit. Quæ cum ita sint, quis huic funebri laudationi *, vel excellentes quasdam ornamentorum rationes * actioni. deesse dubitaverit, ita ut eloquentissima oratio, pene invito, judicanda sit? Cæterum ne de eloquentia loquens, loquax tuæ sapientiæ videar, finem facio. Vale ex Venetiis XII. Kal. Jul. MCCCCXVIII.



AUGUSTINI VALERII
S. R. E. C A R D I N A L I S,
ET E P I S C O P I V E R O N E N S I S
O P U S C U L A.

THE
JOURNAL OF THE
ROYAL ANTHROPOLOGICAL INSTITUTE
OF GREAT BRITAIN AND IRELAND
VOLUME 32
PART 1
1902

P R Æ F A T I O.²⁵

DUM aliquot Augustini Valerii S. R. E. Cardinalis, & Episcopi Veronensis, Opuscula publici nunc juris facimus, quæ ex cartaceo Codice, olim Jacobi Contareni, nunc Ducalis Bibliothecæ, transcripsimus, Joanne Antonio Zannetti ejusdem custode, Viro sane eruditione multiplici, & singulari comitate prædito, facultatem nobis faciente; scimus, fatemurque id nos, hoc agentes, præstare, quod ne ab aliquo præstaretur, vivens ipse & voce, & scripto prohibuerat. Plurima quidem & Adolefcens, & ætate provec̃ta, & Foro addictus, & Ecclesiastica adscriptus militiæ, qualibet sibi data occasione, aut occurrente argumento, otii penitus impatiens, & exercendi ingenii percupidus conscripserat, quæ: in duobus magnis Voluminibus apud Episcopum Successorem reperiebantur, testis Joanne Ventura in ejus vita, quæ luci paucis ab hinc annis donata, inter Opuscula Calogeriana videri poterit. Paucissima tamen (ait ille) eo vivente, tanquam utilia, & ut Amicis obsequeretur, edita sunt, cætera tantum abest ut imprimantur, ut ipse vivens prohibuerit; sive ex sola sibi ingenua modestia id egerit, sive quod ipsius judicio, nonnulla cum luto aliquo fluentia, spongiam exposcerent, aut severiorem limam desiderarent. Quam oretenus pronunciaverat, adhibito etiam calamo innovavit edendarum suarum lucubrationum prohibitionem; in suo enim: De cautione adhibenda in edendis libris: opusculo, quod Patavinis typis anno 1719. consignavit Vir literaria Reipublica notissimus, de eaque optime meritus Joannes Antonius Vulpinus, hæc habet Valerius. Hæc quasi tecum loquar commemoro; (Silvium Antonianum alloquitur, cui Opus inscripsit) ut qua occasione singulos meos libros scripserim, narrem, & ut me cautum in edendis lucubrationibus meis fuisse, ostendam; & hanc ipsam cautionem servandam esse ab illis, in quorum manibus mea scripta pervenerint, hac mea, ad amicissimum hominem, scriptio-
ne, quam illis intelligo tecum esse communem, quodammodo jubeam. Hinc si Auctoris præcepto obedientes prorsus esse voluissimus, ut cæca nimis religione alii fuere, hæc quæ juvenili ætate composuit ille, primaque fuere ingenioli sui experimenta, divulg-

divulgari non oporteret. At cum ex his etiam illustrari res Venetae non minimum possint, plurimumque ad Auctoris vitam adornandam conferre valeant; apparet siquidem in iis morum ipsius impuberis adhuc, singularis honestas; prudentia, in viridi etiam aetate, matura; in Patriam, Civesque amor praecipuus, omnes tandem, verbo dicam, quae Christianum, nobilemque Virum decent, virtutes, studia, doctesque; crimen duximus si eas, aut delitescere adhuc, aut perire tandem permetteremus. Horum in calce, Opusculum damus Italica lingua a Valerio exarratum, ex Codice apud Raymundum Bembum Patricium Venetum olim servato, quod singulari Amici favore obtinuimus. De hac vero longiori Epistola, seu Libello potius, nullo, ut fatetur, studio, imo praecipiti pene adhibito calamo, pro ea, qua Aloysio Contareno familiaritate utebatur, conscripto, audiendus est ipse in praecitato: De Cautione adhibenda Tractatu, dum ait: Eadem lingua Italica scripsi librum de conscribenda Historia ad Aloysium Contarenum, cui munus conscribendarum historiarum Venetarum fuerat traditum scripsi Italica lingua, cum regulas, quas Bembus, & alii Italicae linguae observatores, tradiderant, non recte perceperim, vix mediocri etiam studium in politis Etruscae linguae Scriptoribus adhibuerim. Crediderim in phrasi mea latinissimos reperiri quamplurimos, miror, quod tibi &c. Alia utinam Valerii Opera, a supra memoratis Ventura, & Vulpio recensita, quae vigesimum supra centenarium excedunt numerum, tandem prodirent; ut nonnullis doctrina, & dignitate, aetate nostro conspicuis Viris in votis esse deprehendimus; id profecto in maximum tum Patriae nostrae, tum Ecclesiastici catus, cui nomen dederat, decus cederet, plurimumque utilitatis, tam quoad studia, quam quoad mores, inde quisquam percipere posset.

AUGUSTINI VALERII

AD PETRUM FRANCISCUM CONTARENUM

EPISTOLA.

SERVATO annorum ordine, quo hæc Valerii Opuscula, quæ in lucem nunc prodeunt, lucubrata fuere, primum sibi vindicat locum Oratio in funere Marci Antonii Trivisani Venetorum Ducis, qui e vivis abierat pridie Kal. Junii 1554, quo vigesimum quartum ætatis suæ annum vix Augustinus noster exceßerat, die natus 7. Aprilis 1530. Nuncupatoriam tamen hanc Epistolam, qua Petri Francisci Contareni, erga quem singulari existerat animo, judicium exposcit, duximus præmittendam.

SUPERIORIBUS diebus, cum essem Ruri admodum ociosus, ut ex mea pristina scribendi exercitatione aliquem fructum caperem, Marcum Antonium Trivisanum, innocentissimum Virum, atque optimum Principem (a) laudavi; quæ laudatio, cum mihi nulla ratione probari possit, nisi tibi, cui summa omnia ego tribuo, aliqua ex parte probetur, dedi operam diligenter ut describeretur. Nunc vero te, pro tua singulari erga omnes humanitate, vehementer etiam, atque etiam rogo, ut cum aliquid otii tibi, per eos, quos summa tua cum laude geris, Magistratus (b) dabitur eam diligenter ut legas, deque iis, quæ te offendunt, me libere admoneas. Incredibile enim est, quam mihi jucundum sit discere, præsertim a te, quem vehementer amo, & quem in nobilissima hac Urbe natum existimo ad omnes Cives, in omni disciplinæ genere, erudiendos. Usus sum, ut videbis, in eo Principe laudando, incredibili quadam brevitate, easque tantum virtutes attigi, e quibus reliquæ omnes manant, & quibus eum, inter homines hujus memoriz, præstitisse omnes consentiunt; nempe religionem erga Christum Dei Filium, & vitæ integritatem, ac innocentiam. Dicanda tibi erat jure optimo mea hæc Oratio; tum quoniam de hujusmodi re, nemo te melius, potest judicare, tum maxime ut eas laudes, quæ tibi cum illo Principe fuerunt communes, expressas legeres. Vale Vir innocentissime, & me, ut facis, ama. Venetiis Idib. Augusti 1554.


IN

(a) Amplioribus adhuc verbis Trivisanum Ducem passim Veneti Historici celebrant, quos inter, Andreas Maurocenus Hist. Ven. lib. VII. eum dicit: *Civem sanctitate, atque innocentia, miraque in pauperes liberalitate, ac religione conspicuum.*

(b) Amplissimum in Republica Censoris munus eo tempore Contarenius agebat, ut de eo, designato jam Patriarcha, differens Senator præstantissimus, & Venetæ Ecclesiæ illustrator egregius, nos edocet Flaminius Cornelius. Summa insuper apud omnes sibi existimationem comparasse, Magistratum illum dum gereret, pluribus exponit Valerius ipse, in funebri Oratione, quam immediate subiicimus.

Anecdota Tom. I.

N



IN FUNERE MARCI ANTONII TRIVISANI
 V E N E T O R U M D U C I S
 O R A T I O
 A U G U S T I N I V A L E R I I .

FUNEREM hanc, tresve alias Orationes a Valerio, duodevigesimalium ætatis annum agente, scriptas, afferit Vir de Literaria Republica optime meritis Jo. Antonius Vulpius, seriem Operum ejus contexens; in eam, ut puto, ductus sententiam, ex sequentibus Valerii ipsius verbis, in Libello: *De cautione adhibenda Or.* Cum ausum aliquot post annos Lazarus Bonamicus, quo præceptore eram ulus, ex hac vita migrasset, annum ætatis mee decimum octavum agens, Orationem scripsi in ejus funere. Deinde post plura, addit; *Et in Petri Landi, Marci Antonii Trivisani, & Francisci Donati Venetorum Principum obitu, funebres Orationes etiam conscripsi, exercendi ingenii, & acuendi filii causa.* At pace dixerim Viri illius alloquin doctissimi, a vero hoc sentiens abscedit. Certo enim certius est, tum ex Valerii Vita, per Joannem Venturam conscripta, tum ex Epitaphio ad Tumulum ejus appposito, tum ex aliis, Augustinum Valerium anno 1530. natum fuisse, consequenter decimum octavum ætatis ejus annum fuisse Christi 1548, quo indubitanter orationem in funere nec Marci Antonii Trivisani, nec Prædecessoris Ducis Francisci Donati, elucubrare poterat; siquidem Donatus nonnisi quinquennio post vita decessit, X. nempe Kal. Junii 1553. Trivisanus autem, qui Ducalem Sedem, eo decedente, vacuam implevit, sexennio post e vivis abiit, pridie, scilicet, Kal. Junii 1554. Hinc ea verba: *annum ætatis mee decimum octavum agens Or.* ad solam Lazari Bonamici in funere Orationem, sunt referenda, minime vero ad alias, de quibus, nonnisi pluribus in Bonamici commendationem interjectis, loquitur Valerius. Addere quinimo liceat, nec illam quidem in obitu Bonamici conscribere potuisse anno ætatis suæ XVIII, si ille, ut scribit Papadopulus, anno dumtaxat 1552. viam fuisset universæ carnis ingressus; sed anno suæ ætatis vigesimo secundo eam habuisset; vel quadriennium vitæ Bonamici detrahendum est, ut Valerii verba consistent.

VETEREM, Patres, in Marci Antonii Trivisani clarissimi Principis, funere celebrando, florentissimæ hujus Reipublicæ consuetudinem servastis pompa funeris, nobilissimo vestro concursu, omnibus demum iis honoribus, quibus optimum Principem, optimi Cives, ornare solent, hunc ipsum ornavistis. Reliquum est, ut ipse, qui more Majorum, apud vos, & in tanta hominum celebritate dicere jussus sum (a), qua ratione pure, & innocenter totum suæ vitæ cursum confecerit, paucis admodum verbis exponam. Quæ quidem expositio, omnibus, qui hic adsunt, ad bene, beateque in hac brevi lucis usura, vivendum, & ad æternitatem consequendam, egregium ac plane singulare exemplum propona-

(a) Quisnam ex his Valerii verbis, non in eam lubens sententiam abeat, quod ille ex Senatus Consulto, defuncti Ducis laudes, ut solet, publice dixerit? Quod tamen distat a vero; Bernardinus enim Lauretanus, teste Andrea Mauroceno *Hist. Ven. lib. VII.* laudationis, ea die munus obiit. Hoc ne in dubium ullaatenus revocetur, prohibent ipsius Valerii verba ex opusculo sæpe citato: *De cautione adhibenda*, quæ hæc sunt: *Nullam harum Orationum habere sum ausus, quia me impeditum lingua esse cognoveram, & non audebam prodire, & loqui in tanta frequentia hominum.* Exercitii ergo dumtaxat causa, Ruri agens Valerius, orti illius impatiens, ut ipse, in præmissa Epistola satis innuit, Orationem hanc elucubravat.

ponatur. Non exordiar, Patres, unde plerique omnes, qui aliquem Principem laudant, exordiantur, a laudibus hujus Urbis. Puder enim me, ita me Dii ament, qui in hac Urbe natus, & educatus sum, apud vos præfextim, qui in hac Republica, summa cum vestra laude versamini, plura de hujus Reipublicæ laudibus dicere. Admirantur omnes, qui semel huc veniunt, amplitudinem, & pulchritudinem hujus Urbis, ferunt in cælum maximis laudibus, exteræ Nationes, vestram, Patres, sapientiam, & moderationem; commemorant sæpe Scriptores hujus memoriz, diuturnitatem, & felicitatem hujus Imperii. Quare stultissimi etiam hominis sit, ea, de quibus multi copiose scripserunt, & quæ fortasse nemo, quantumvis eloquens, ne cogitatione quidem complecti potest, in tanta temporis angustia velle dicere. Et quamquam locus fortasse postulat, & vos, Patres, qui jucunda vestrorum Civium memoria delectamini, magnopere optatis, ut Trivisanæ Gentis, Dominici in primis, hujus Principis Patris, virtutes, & in hanc Rempublicam merita, commemorem; tamen nullo modo id committendum esse arbitror, ut occupatus in istorum, qui sua laudatione non caruerunt, laudibus repetendis, defraudem hunc ipsam debita laude, & multa prætermittam, quæ multos, qui audiunt, ad honestatem sunt excitatura. Magnum est profecto, & mea quidem sententia, vehementer expetendum in florentissimæ Civitatis nobilissima Familia, ab eo fuisse procreatum, qui inter omnes, omni virtutum genere, excelluerit, qui Patriam semper ornaverit, qui pro ejus salute sæpe mortis periculum adierit, qui denique plura in ipsam unus, quam reliqui omnes, qui sua ætate vixerunt, beneficia contulerit (a). Magna hæc est existimanda hæreditas, amplissimum sane patrimonium, sed multo majus, quod mihi de hoc Principe verissime est dicendum, multoque id admirabilius, sic esse hunc natum, ut cum primum in hanc lucem venerit, nobilitatem, divitias, famam, honores, gloriam, humana demum omnia esse contemnenda intellexerit, sicque semper vixisse, ut in hoc uno maxime laboraverit, ut Deum Opt. Max. omnesque Cælites pie, & religiose coleret, & omnibus mortalibus, quantum maxime posset, prodesset. Ad hoc natum est, Patres, præclarum hoc animal Homo, & in hac mundi sede est collocatum, nempe ut illius, primum, rerum omnium Auctoris, & Principis Dei sapientiam, potentiam, & bonitatem, admi-

N 2

retur,

(a) Quibus, laudabiliter perfunctis muneribus, optime de Republica mererit Dominicus Trivisanus singillatim referunt, præ aliis, Petrus Bembus, & Paulus Paruta; plures siquidem, difficilesque, quas subiit Legationes recensent, ad Hispaniæ Regem, ad Carolum VIII. Ludovicum XII. & Franciscum I. Reges Galliæ; semel etiam, & iterum ad Julium Papam II; longiora quoque, eaque periculis plena, quæ Senatui obsequens, suscepit itinera ad Bajazetem Turcarum Imperatorem, ad Soldanum Egypti, ad Cypri, & Cretæ tutanda Regna, Supremus designatus, Classis Præfectus, quo tempore Turcæ Rhodum invasere; Officia tandem, tum Sapientis, ut vocant, Consilii; tum Prætoris, quod primus Cremonæ gessit; tum Tutoris Nestoris Faventis Domini adhuc impuberis, cui Senatu mandante, per annum adstitit, ac Faventinis, singulari iustitia, ac prudentia, jus dixit. Patavina insuper Prætura functum fuisse, ex Procuratorum serie, per Senatorem amplissimum Flaminium Cornelium contexta, didicimus.

retur, & amēt, tum ut in juvandis hominibus, illum ipsum Deum, cujus infinitæ liberalitatis nihil est in toto terrarum orbe, quod non sit particeps, quoad ejus fieri potest, imitetur. Sed mirabile quidem est, quanto in errore versemur, & quam pauci sint, qui hanc præclaram vivendi rationem, aut probent, aut sequantur. Sunt qui summo studio, incredibili diligentia, labore prope infinito studeant sibi parare divitias, quibus non fruuntur ipsi, & abutuntur hæredes. Inserviunt alii honoribus, quos cum multi consequi soleant, qui nullo in honore habendi sunt, & pauci, sine multorum invidia sint consecuti, nescio cur tantopere quærantur. Tertium est genus hominum, qui cum totos se voluptatibus dederint, pecudum, non hominum, vitam agunt. Attendite, quæso, omnes dum hujus innocentissimi Viri vitam ante oculos vobis propono; audietis enim, quantum a communibus (ut ita dicam) vitiis longissime abfuerit. Adolescens, voluptatum illecebris, quibus capitur maxime infirma illa ætas, nunquam est captus; eam solam maximam cepit in tota sua vita voluptatem, quæ temperantiam, & innocentiam consequitur (a). Amplificanda esset hæc laus, quæ maxima semper est habita, his præsertim corruptis temporibus, & in tanta morum perversitate, sed majora sunt ad quæ propero. Divitem se fore putavit, si paucis esset contentus, nihilque vehementer optaret. Quare, quamvis ipsi oblatæ sint variae occasiones augendi patrimonii, de nulla re alia minus fuit sollicitus. Quot Virgines honestissimas liberaliter collocasse, quot homines ære alieno in carcerem oppressos liberasse, quot miseros omni calamitatum genere afflictos, quasi in vitam revocasse, audivimus? Quidquid ex Creta Insula, cui præfuit, quicquid ex Cypro, quicquid ex Urbanis magistratibus emolumentum cepit, id totum sanctissimus, & sapientissimus hic Vir, pauperibus distribuit (b). Quid dicam de ejus incredibili in quærendis honoribus moderatione? Nullam in petitione unquam adhibuit diligentiam, nihil est tamen tam amplum in hac Civitate, quod non sit facile consecutus (c), & medius fidius illud est verissimum, quod scribit Plato: iis Civibus, qui neque ambitione, neque avaritia animum contaminaverunt suum, hos, qui tanto studio, tantaque diligentia quærantur honores, non esse magnopere expetendos. Imo, mea quidem sententia, ut quisque est optimus, ita facillime onus administrandæ, Reipublicæ, modo id sine communi incommodo fieri possit, relinquit cæteris, & hanc popularem gloriam negligit. Hoc loco, Patres, singulos, quos facile est adeptus, & sua non modo cum laude, verumetiam cum hujus Reipublicæ gloria, gessit Magistra-

(a) Quinimo jejuniis, Cilicio, aliisque afflictationibus carnem suam perpetuo edomasse, incidenter refert Daniel Bartolus in Vita S. Ignatii lib. 1.

(b) Edes ipsius commune Egenorum domicilium extitisse, testis est idem Bartolus, qui & subdit tam effusa Pauperibus largitate de facultatibus suis ministrasse, ut ad extremam pene inopiam facile fuisset redactus, ni Nepotes Patricii Marcelli, Domi receptum, ipsius, suarumque rerum curam deinceps egissent.

(c) Plures inter quos gessit Magistratus, etiam in excelsum Decemvirum Collegium cooptatum fuisse Trivisanum, asserit Joannes Baptista Gyraldus, Ducis Ferrariæ a Secretis, in Oratione, quam Venetiis habuit 14. Kal. Julii 1553.

gistratus, non est necesse commemorare; præsertim vero, cum nemo sit, qui nesciat, quantam ex Cyprio Insula recte administrata, laudem retulerit, quanta & quam præclara tum ibi, tum in Creta justitiæ, & erga Christum Deum pietatis, reliquerit documenta (a). Hortandi potius estis, Vos hoc tempore nobilissimi Adollescentes, & per D. O. M. obtestandi, ne conteratis omne tempus in salutationibus, ne abutamini ocio, & tranquillitate hujus Reipublicæ, nitamini bonitate, qua nihil est tam gratum, nihil tam populare, & demum, ut hujus innocentissimi Principis, in petendis honoribus moderationem, imitemini. Taceo, Patres, divini hujus hominis incredibilem patientiam, taceo singularem humanitatem; pietatem erga Christum Dei Filium, qua unus inter omnes Christianos, præstitisse videtur, nullo modo possum præterire. Nam si iis, quemadmodum docent Theologi, fundamentis Christiana pietas maxime nititur; primum ut Auctorem nostræ salutis tota mente amemus, & castissimo cultu veneremur; tum ut cognita humana imbecillitate, & infirmitate, diffidamus nostris viribus, contemnamus humanarum rerum sapientiam, in divina bonitate nostras omnes spes collocemus; postremo, ut in hoc brevi vitæ curriculo, veluti Peregrini, de nulla re solliciti, tanquam in diem viventes, quicquid boni in nobis est, ad communem hominum usum conferamus; si iis, inquam, nititur fundamentis christiana religio, quibus profecto nititur, certe hic Vir, in nobilissimam hanc Civitatem, ut omnibus esset, non fictæ, aut simulatæ, sed veræ, & sinceræ religionis exemplum, e cælo delapsus esse videtur. Scitis vos, Patres, nemo ignorat, quantam tum privatus, tum Princeps in colendo Deo, & in servandis divinis præceptis adhibuerit observantiam. Nullus dies præterit, (quoad vixit) quo non longissima præcatione Opificem illum hujus mundi, & omnium Mortalium clementissimum Patrem, pro sua, pro omnium, pro hujus in primis Reipublicæ salute, vehementer oraverit. Non dicam, quanta diligentia, quotidie interfuerit Sacris, quam libenter confiteretur peccata sua, quanta cum voluptate cælesti illo, & divino pane, multo frequentius quam reliqui, vesceretur. Sunt enim hæc omnibus notiora, quam ut a me commemorari debeant. Commemoranda est, secundo loco, incredibilis hujus Viri sapientia, quam præstulit in cognoscendâ humana infirmitate, & in contemnendis omnibus honoribus. Quæ quidem in re, multa omittam, ne sim longior; illud tantum in medium afferam, quod fuit in ore omnium, & quod nemo unquam Sapiens non admirabitur. Nam, cum superiori anno in demortui Francisci Donati clarissimi Principis, locum, hunc ipsum universa hæc Civitas, vos præsertim, quibus cura creandi Principis commissa erat, creare maxime velletis, & cum sæpe vestris suffragiis, præclaram hanc vestram, erga ipsum, voluntatem ostendissetis; rogavit, optimus Vir, vos sæpe ne onus tam grave ipsi iniungeretis: esse alios, quibus, cum eloquentia, & usu multarum rerum præstent, amplissimus ille honor debebatur. Difficile nimirum putabat imperare

(a) Ita ut, Bartolo teste loco qui supra. *Sanctus* passim inibi nuncuparetur.

perare cæteris, & præesse huic Reipublicæ, in qua multi versantur Cives omni Principatu dignissimi; se nunquam de gloria, de honoribus, nunquam de fama cogitavisse, dedisse semper iis studiis operam, quibus, non apud homines auctoritatem, sed apud Deum gratiam consequeretur; contempsisse se semper sapientiam hujus mundi, & eloquentiam, in divinis tantum legibus observandis omne studium, & diligentiam posuisse, cognoscebat. Quare agebat vobis gratias, quod de ipso tam honorifice sentiretis, & vos obsecrabat, ut unumquemque alium potius, quam ipsum ad illum gradum eveheretis (a). O Virum longe omnium, quos hæc nostra ætas tulerit, optimum & sapientissimum! Quæ enim, & quanta hæc est sapientia, seipsum cognoscere! Quæ & quam prædicanda bonitas, communem utilitatem propriis commodis, tantisque honoribus anteferre! Quanta & quam singularis modestia sibi nihil tribuere! quæ demum divina virtus, insitam omnibus, imperandi, cupiditatem evellere, & pene humanitatem extirpare! Sed, ut in cæteris omnibus, ita in hac potissimum re, non possum non magnopere laudare vestram tum sapientiam, tum justitiam. Hunc ipsum, vos, etsi sæpe recusaverat, tamen quod innocentia, justitia, vitæ integritate, & sanctimonia inter omnes excellere cognoscebatis, Principem vestrum creastis. Dominicus Trivisanus, clarissimus hujus Principis Pater, quod ingenio, eloquentia, usu multarum rerum, omnes, qui unquam in hac Republica floruerunt, longo intervallo superavit; quod pro hujus Reipublicæ libertate, & gloria sæpe pugnavit; quoniam demum hanc Patriam ornavit sanctissimis legibus, omnes honores in hac Republica est facile adeptus, & dignus est habitus qui Procurator diceretur (b). Marcus Antonius Filius, quod inter omnes hujus memoriæ homines, iis omnibus virtutibus, quæ in Christiano homine laudantur, præstitit, quod seipsum, & insitas animi affectiones semper vicit; denique quia homo divinam in terris naturam videbatur acquisivisse, iisdem fere omnibus, quibus Pater, honoribus functus est, & Princeps præterea, quod Pater (etsi propter ejus summa in Rempublicam merita, Principatu dignissimus habebatur) nunquam concessum est, cum divino consilio, tum vestro judicio, est declaratus; & certe eo die, & paternarum virtutum quarum hæres erat, & suæ innocentiae, majus, quod in hac vita posset, præmium retulit. Nam quid potest esse tam magnum, quid tam amplum? Quæ porro ulla excogitari tanta dignitas, quæ tanta auctoritas? Quod tantum denique, & tam nobile Regnum, ut sit cum hujus Principatus majestate conferendum? in quo nimirum, unus in nobilissima Urbe, in florentissima Republica, multis præest Principibus, non hæreditate, non vi, non imperitæ multitudinis libidine, sed virtute, ele-

ctio-

(a) Imo in Ducali jam sede collocatum, de abdicanda dignitate, & regulari Claustro petendo serio cogitasse, Auctor est idem Bartolus, quod & præstitisset, ni Laurentius Massa, & Antonius Milledonne, qui ei a secretis erant, ipsum a proposito revocassent.

(b) Die nempe 3. Augusti 1503. prout Basilicam D. Marci illustrans signat, nunquam sine laude memorandus Flaminius Coraelius.

atione, & selectissimorum Virorum judicio, ad tantum evehctus Imperium. Vixit Princeps annum, Patres, & sic vixit, ut omnes virtutes, quæ in Christiano Principe requiruntur, in eo maxime eluxerint: Incredibilis humanitas in excipiendis omnibus, patientia in audiendis afflictorum querelis, severitas in puniendis sceleratis hominibus, constantia in servandis legibus, eximia demum magnificentia in publicis sumptibus. Nam quid de ejus, in suo munere obeundo, diligentia dicam? quæ certe ab ipso tanta est adhibita, ut a nullo unquam Principe, major. Nunquam per totum illud tempus Collegia, nunquam Senatus, nunquam Curia, nunquam Comitia Principem desiderarunt. Spontanea quædam lassitudo, proximis diebus indicaverat levem quamdam morbi causam; rogaverunt eum optimi Senatores, ne tantam in Republica administranda diligentiam adhiberet, ut valetudinem negligeret. Respondere consueverat: se multum, ac diu vixisse, de protrahenda vita non esse Christiani hominis cogitare, id esse in Dei optimi manu, cavendum sibi hoc esse maxime, ne per ejus absentiam, & negligentiam aliquod detrimentum Respublica caperet. Paucos post dies mors subita consecuta est. (a) At Dii immortales! quæ mors, & quo in loco! Equidem ego arbitror, incredibili quadam conjunctione, atque amore conjunctum, & copulatum esse cum anima corpus, & idcirco tam horribilem videri plerisque, tam formidandam, tam fugiendam corporis separationem. Verum qui sic moritur, quemadmodum hic mortuus est, ut vel se non sentiat mori, vel cum aliqua naturæ voluptate moriatur, is mihi non mori, sed miserriam mortem, cum tranquillissima vita videtur commutare. Nam quid aliud summus nos homines, nisi fumus, & umbra? vel potius, quid est in hac vita, cur tantopere diutissime vivere optemus? Sed de his plura non sunt dicenda. At quo in loco supremam diem obiit innocentissimus Princeps? Ante Aras, Patres, eo tempore, quo pro hujus Reipublicæ dignitate, & felicitate Deum Opt. Max. supplicabat, præsentibus vobis, & ejus vitæ, quantum fieri posset, opem ferentibus,

(a) Quoad annum, diemque emortualem Trivisani Ducis, lapis fortasse offensivus esse poterit Monumentum in Templo S. Francisci a Vineâ positum, quod sic habet: *Mar. Ant. Trivisanus P. integer. vite, & paterna virtute, ac gloria semper clarus. Omnibus honoribus egregie perfunctus, a Patribus, invito ipsius genio Princeps cooptatus. Cum annum Remp. sancte gubernasset. Religionis amantiss. Dum sacris in Imaginum Aula interesset, nulla ægritudine flexis ante Aras genibus in gremio Patrum moriens, migravit in Cælum Beatiss. MDLV. 1. Octobris.* Ex his facile in eam ducetur sententiam Lector, quod Kal. Octob. 1555. e vivis abierit; cum constans sit Andreæ Mauroneni, aliorumque Scriptorum opinio, eum die potius 31. Maii 1554. obiisse. Profecto ne ab hac recedamus sententia, nos retinet Valerii omni exceptione major, auctoritas, qui hanc funebrem Orationem a die usque 13. Augusti 1554. trasmiserat, subieceratque Petri Francisci Contareni criterio. Hinc præclari Ducis obitus ad Kal. Octobris sequentis anni differri nequit, quin viventi tunc, iisque diebus scribenti Valerio, fides detrahatur. Quod ne fiat, dicendum potius per notam eam numeralem, non mortis diem, sed si divinare fas est, positi potius monumenti, sive subtus posite Januæ, in cujus superliminari, separatim a præcitatis verbis, insculpta fuit, constructionem designari. Eo vel magis, quod in proximo sepulchrali lapide annus reapse 1554. legitur, non autem 1555.

bus, Senatoribus amplissimis (a). O mortem omni vita (meo quidem iudicio) magis exoptendam! quam nullus dolor, nullus timor, nulla sollicitudo animi, sed incredibilis pœnitentia, maximum vitæ fastidium, humilis ad Deum precatio, præcessit; cui interfuerunt lumina Reipublicæ, quam lugent omnes boni. Quamobrem, Patres, nos qui eum vehementer amavimus, non modo non dolere, sed magnopere lætari debemus, quod tanta tranquillitate, ex hoc corporis carcere, in cælestem illam domum evolaverit. Vixit diu, & beate, si quem alium beate vixisse credimus, nempe carus Deo, gratus vobis omnibus, Princeps hujus Reipublicæ, sine ulla ambitione, sine invidia, abhorrens a voluptatibus, sine ulla demum animi perturbatione. Nunc in Cælis vitam degit beatam, & immortalem, & illum Cæli, & Terræ Architectum, & Gubernatorem, quem vivens semper est veneratus, Deum, sine ulla intermissione pro quiete, pro tranquillitate, pro pace, pro libertate, pro amplitudine hujus Reipublicæ orat, & ut spero (nihil enim est, quod a divina bonitate, & clementia non impetrent pii homines) impetrabit, ut honestissimo hoc ocio, & jucundissima hac libertate in perpetuum hæc Respublica perfruatur. Verum enimvero, ad vos pertinet, Patres, abiectio omni mœnore, in altero deligendo Principe, omne studium, & diligentiam ponere. Eximie sunt, & varie vestræ laudes, sed hæc est præcipua, quod virtuti omnia semper tribuere soliti estis, & in dandis honoribus incredibilem fervatis justitiam. Reliquum esset, ut ad vos, tanti Principis Nepotes, & Hæredes, orationem converterem; quod facerem libenter, nisi cognoscerem vos, pro vestra prudentia, nullius horatione ad domesticas virtutes imitandas, neque in tanto, & tam justo dolore ulla consolatione indigere. Magnam reliquit vobis sanctissimus Princeps, hæreditatem: benevolentiam totius Civitatis, quam quidem (ut credo) vestro studio, ac diligentia, non modo conservabitis dum viveatis, verum & augebitis. Dixi.

(a) Laudabilem hujus Principis vitam, & preciosam, ut pie creditur, in conspectu Domini, mortem, uno ore concelebrant Venetarum rerum Scriptores. Unus audiendus Maurocenus lib. 7. dicens: Post annum quo Marcus Antonius Trivisanus Principatum gesserat, pridie Kal. Junias cum de morte, summo mane, una cum Patribus in interiori Aula Sacello Sacris interesset, ex humanis repente excessit; creditumque est assidue vigiliis, ac jejniis confectus, atque attenuatus seniles artus, cum regere non posset, animam pietatis, ac religionis studiis aliam in divinarum Mysteriorum celebratione efflavisse.

AD

VENETÆ URBIS PATRIARCHAM

AUGUSTINI VALERII

GRATULATIO.

DUÆ sunt potissimum causæ, quamobrem boni omnes incredibilem lætitiâ ceperint, quod tu, homo longe omnium, quos nostra hæc ætas tulerit, optimus, & sapientissimus, hujus Urbis Patriarcha sis factus. (a) Altera est, quoniam hoc præclaro, quod de te factum est, judicio, plane intelligunt, in hac optima Republica, virtutis locum esse, & illis, qui pure, & innocenter vivunt, parata esse amplissima præmia, & constituta. Nam quamquam iis omnibus prædiis, quibus interdum in hac libera Civitate boni etiam Cives niti consueverunt, maxime abundares, nulla tamen alia ratione magis, quam innocentia, omnium Civium benevolentiam tibi conciliaisti; qua quidem una parvo tempore, tantam es apud omnes, auctoritatem consecutus, ut maximos Magistratus facile sis adeptus; & nuper amplissimus hic honor, quo nescio, an ullum ampliorem consequi, in hac vita, potuisses, ultro a cuncto Senatu tibi sit delatus. Quæ res, non solum ad tuam summam laudem pertinet (quis enim nisi tu, qui plane divinus homo es tantos honores contemnere, vel in his quærendis tantam moderationem adhibere potuisset?) verum etiam ad Senatus amplissimi gloriam immortalē, qui te, hominem sanctissimum, quasi id muneris recusantem, multis, qui id summo studio, & incredibili diligentia petebant, anteposuerit. Altera est causa, eaque multo potior, quod cognoscant, neminem ad hunc altissimum gradum evēchi potuisse, qui christianis rebus providere, & omnium Venetorum salutē, te melius, posset consulere. Etenim cum duæ res, in illis, qui divinis rebus præsumt, maxime requirantur; primum humanarum, divinarumque rerum cognitio, ut infirmos homines aliqua in re semper dubitantes, confirmare, perverfos vero, qui a vera religione deflexissent, argumentis convincere, & demum ut totam Christianam Rempublicam sanctissimis possint temperare institutis, & legibus; deinde sanctimonia, atque innocentia, qua quidem tacite omnes Christianos ad honestatem adhortentur, atque incendunt; nihil enim potest esse turpius, homini in altissimo dignitatis gradu constituto, quam alios sæpe ad virtutem, & ad pietatem impellere, quam ipse negligat. Hæ duæ res certe ita in te sunt, ut, inter inno-

cen-

(a) Hæc ei, nondum Ecclesiasticæ militiæ adscripto, sed Censoris munus in Republica agenti, delata per Senatum dignitas fuit die 21. Augusti 1554. paucis admodum diebus elapsis, ex quo Valerius præmissam Orationem in Trivisani Ducis funere, judicio ejus subiecerat. Corrigendus hinc Ughellius, dum ait, Venetis datum fuisse Patriarcham Contarenum die 27. Augusti 1555.

centissimos sapientissimum, inter sapientissimos Virum innocentissimum, merito te omnes possint appellare. Ac, ut divinum tuum ingenium, quod nemo, qui tecum semel locutus sit, non est admiratus, omittam; quæ tam excellens in ullo Philosopho, pulcherrimarum, & abditarum rerum cognitio (a), quæ tanta & tam præclara in ullo Medico totius humani corporis, & omnium medicamentorum peritia; quæ tam admirabilis in ullo Theologo divinarum rerum scientia; quod tantum denique in ullo Dialectico, qui hac ætate vivat, in disputando acumen, quod tam acre iudicium, ut sit cum illa tua multiplici omnium rerum cognitione, & cum præclara tua disputandi ratione, acerrimoque iudicio conferendum? Sic enim tu, de omnibus rebus, loqui soles, ut eæ, non a Veteribus Scriptoribus acceptæ, sed per te vel inventæ, vel divinitus tibi esse inspiratæ videantur. Ita vero disputas, ut cum nihil videaris nescire, & omnes eos, quibuscum disputas, aliquid semper doceas, nihil te tamen scire profitearis. Taceo singularem tuam Mathematicarum disciplinarum scientiam, taceo Historiarum tum antiquarum, tum hujus in primis Civitatis, perfectam cognitionem; non enim est necesse hoc tempore omnia dicere, neque est enim mihi propositum varias, atque illustres tuas virtutes commemorare: erit fortasse commodior, de his dicendis, locus. At tuam summam integritatem, & vitæ sanctimoniam, quis non summopere prædicet, atque admiretur? Et profecto si quis, qua ratione pure, & innocenter, usque ad hanc ætatem, vixeris, diligenter secum consideret, is te cælestem quemdam hominem, ut esses in hac nobilissima Civitate omnium virtutum exemplar, a Deo Opt. Max. in lucem editum esse, intelliget. Recordantur senes, idque sæpe commemorant, quam pie, quam religiose, usque a puero, illum rerum omnium Auctorem, ac Principem Deum veneratus sis, & colueris; quantam erga Parentes pietatem, quantam erga Pauperes charitatem, quantam demum erga omnes humanitatem semper præstiteris. Nam quid est, quod de tua incredibili erga hanc Rempublicam benevolentia, plura dicam? Præsertim vero cum nemo ignoret, te ipsius dignitatem, & commoda, tuæ dignitati, & commodis semper antetulisse. Ita defendisti tu, sæpe summa tum constantia, tum eloquentia, jura hujus Civitatis, ut multorum Civium odia, quemadmodum bonum Virum decet, non extimesceres. Verum patientiam tuam in audiendis omnibus, temperantiam in aspernandis voluptatibus, quibus verbis in Cælum feram? Sic patuit ad te semper omnibus aditus, ut unusquisque tecum de suis rebus, quandiu vellet, loqui posset. Ab omnibus vero voluptatibus ita semper abhorruisti, ut nullam in tota vita tua senseris voluptatem, nisi quæ virtutem consequitur. (b) Quæ cum ita sint, merito ex summo tuo hoc honore, mirificam voluptatem omnes sentiunt. Quid enim

tam

(a) Sane in Philosophicis versatus abunde, Aristotelis libros de Physico auditu Commentariis suis illustravit.

(b) Communi, constantique traditione fuisse receptum, quod ille Virginitatis decus illibatum ad obitum usque servaverit, refert, in Patriarcharum contexenda serie, Cl. Flaminii Cornelius.

tam præclarum, quid tam sanctum, quid tam plane divinum, quod a te, homine sanctissimo, & sapientissimo, & cogitari, & institui posse, salutis suæ causa, non confidant? Ego autem, qui te summopere amo, & colo, & qui nihil libentius audio, quam verissimas tuas laudes, tibi duabus de causis, gratulandum esse existimavi; tum quod ad tantam gloriam perveneris, ut omnium invidiam, quo nihil est in hac vita tam expetendum, virtute superaveris; tum quod tibi oblata sit occasio, qua nulla certe illustrior tibi dari poterat, qua posses de Genere humano, & præsertim de hac nobilissima Civitate, in qua natus, & educatus es, benemereri. Optabile est sane ab omnibus amari, & coli, & unum esse in præstantissima totius orbis terrarum Republica, quem admirentur omnes, cui omnia tribuant, quem sibi anteponant, quem amplissimis honoribus dignum putent, in cujus demum sententia, veluti in oraculo, acquiescant. Hæc nisi summis virtutibus, nemo consequi potest. Sed adhuc est, meo quidem iudicio, christiano homini optabilius, posse consilio, labore, atque industria mortales, præsertim Christianos, pro quorum salute, & commodis nihil est tam arduum, atque difficile, quod recusare debeamus, aliqua ratione juvare. Princeps hujus Civitatis potest ille quidem consilio, & auctoritate singulis, & universis Civibus prodesse, & salutaribus legibus hanc Patriam instituere. Est ille gradus amplissimus; nam unus præest multis Principibus, non vi, non hæreditate, non imperitæ multitudinis libidine, ut plerisque in locis fit, sed virtute, meritis in Rempublicam, & iudicio optimorum Civium, ad summum illum honorem evehitur. Sed tuus iste, ad quem ascendisti, gradus, mihi crede, est longe amplissimus. Princeps nihil solus statuit, ea refert ad Senatum summa cum auctoritate, quæ ad libertatem, & dignitatem Reipublicæ conservandam pertinere arbitratur. Tibi vero uni curæ est illud, quo nihil debet esse mortalibus antiquius, nempe ut rite, in hac Civitate colatur omnipotens ille Deus, & honeste, & christiane vivatur; quo munere, quid potest esse in hac vita majus? Gratulor igitur etiam, atque etiam in præsentī ista tua summa dignitate, non solum tibi, verum etiam omnibus tum Civibus, tum Inquilinis, qui hanc Urbem incolunt. Tibi quidem: quoniam intelligo, præterquam conferes beneficia in omnes Christianos, quo nihil tam optasti, & sanctissimis institutis moderaberis Christianam religionem, es etiam, non solum apud homines, verum etiam in Cælis gloriam consecuturus. Omnibus autem merito gratulor, quoniam animadverto pulcherrimam hanc Civitatem Deo Opt. Max. esse carissimam, quandoquidem te, hominem sanctissimum, ut eam in Christiana pietate institueres, & vitæ sanctimonia ad honestatem excitarēs, delegerit. Optandus est bonus Princeps, & ut sapientes Viri crediderunt, est donum divinum; parit enim suo labore, atque industria, iis qui sub ejus imperio vivunt, ocium, & tranquillitatem, quibus rebus, in hac vita, nihil potest esse jucundius. At multo vehementius a Deo Opt. Max. summis precibus petendum est, ut Ministrum suæ voluntatis, & Sacrarum Literarum fidelem Interpretem, habeamus.

beamus. Cum enim errorum plena sint omnia, homines imperiti, & imbecilli admonendi, instituendi, confirmandi sæpe sumus, & demum sæpissime ostendenda nobis est via, qua ad cælestem illam vitam aliquando possimus pervenire. Es tu quidem ex multis delectus nobilissimæ hujus Civitatis, Dei Minister, & Patriarcha, argumentum certissimum ejus, erga hanc Rempublicam, benevolentia. Pertinet modo ad unumquemque Virum bonum, illum ipsum Deum suppliciter orare, ut nos, te divino homine in terris frui vellit quamdiutissime; quod equidem, pro sua bonitate, nobis esse concessurum, facile spero.

IN OBITU PETRI FRANGISGI CONTARENI

PATRIARCHÆ VENETIARUM

ORATIO

AUGUSTINI VALERII

AD ALOYSIUM CONTARENUM

PETRUS FRANCISCUS CONTARENUS PATRIARCHA.

HUNC, prout in codice reperimus, titulum servare placuit, quem consulto adhibitum fuisse novimus, a Valerio, in suo: *De Cautione adhibenda* &c. libello, hæc habente; Ipse ad imitationem illius libelli *Xenophontis*, qui inscribitur *Agefistlaus*, libellum conscripsit, cujus titulus fuit: *Petrus Franciscus Contarenus Patriarcha*. Orationem vero hanc funebrem eo libentius edimus, quod ex ea, & præcedente Gratulatoria, illustrari maxime poterit, piissimi Præfulis Contareni vita, de qua aut fluere omnino, aut perfunctorie tantum dixere Nostrates.

TURPE est omnibus Venetis, qui aliquantulum scribendi exercitatione delectantur Petri Francisci Contareni Patriarchæ, quem mortuum, universa Civitas luget (a) virtutes silentio præterire; præsertim cum iis, ad honestam, & christianam vitam, omnes homines magnopere incendi, & inflammari possint. Mihi autem id esset turpissimum,

(a) Ad Superos, ut pie creditur, evolavit Petrus Franciscus Contarenus Venetiarum Patriarcha in ipsa Nativitatis Dominicæ Nocte anni 1555, decimo sexto sui Præfulatus expleto vix mense; ut nos edocet Senator præstantissimus Flaminius Cornelius; cujus testimonio, nefas ducimus, non acquiescere; probe enim novimus ex ipsis publicis Cancellariæ Ducalis Regeftis, in quibus electionum hujuscemodi anni, diesque signantur, nec non Eligentium exactissime numerantur suffragia, sua decerpisse. Hinc Valerii verba, ex sæpe memorato: *De cautione adhibenda* libello: cum vero in Patriarchatu duos annos vix absoluisse, obiit optimus, & doctissimus Vir &c. minime de duobus completis annis sunt accipienda. Hoc idem ex Præcessoris obitu, & Successoris inauguratione firmatur: Fr. enim Hieronymus Quirinus Ordinis Nostræ, qui moriens, Patriarchalem Sedem Contareno implendam concessit, nonnisi die 19. Augusti 1554. e vivis abiit; Vincentius vero Diedus Contareni Successor, die 24. Januarii 1556. fuit electus: quæ omnia ruerent si Contarenus, die, ut alibi notavimus 31. Augusti 1554. designatus, integrum in præfulatu biennium transégisset.

simum, nam & ille sanctissimus Vir, ut omnes sciunt, me mirifice dilexit, & illum ego, usque a puero, vehementer colui. (a) Quod si levandi animi causa, vel ut amicorum voluntatibus obsequer, non minimos labores suscipere consuevi; quanto nunc alacrius, & studio, & diligentia majore, in sapientissimi hominis, cujus etiam in me præclara extiterunt beneficia, virtutibus enumerandis, mihi est elaborandum, ut Patriæ meæ, & omnibus Mortalibus, innocentissimæ, atque optimæ vitæ exemplar, quod intueantur, & imitentur, proponam? Quare quamvis varias, & illustres illius Viri, quem admirati omnes sumus, virtutes, mecum ipse considerans, plane intelligo eas esse ejusmodi, ut a nemine possint explicari; tamen ad communem omnium utilitatem, de iis aliquid esse scribendum, judicavi; quod etiam libentius facio, quoniam, ut spero, de eo Viro scribens, & summam ipsius constantiam, & animi fortitudinem commemorans, levabo, aliqua ex parte, incredibilem dolorem, quo, ex ejus morte, conficior. Nulla ego certe utar amplificatione, virtutes tantum narrabo optimi Viri, quas ipse novi, & ex quibus Civitas nostra, & Respublica Christiana fructus cepit amplissimos. Laudantur ii homines in primis, qui multarum rerum scientiam tenent; etenim quo difficilius est abditarum rerum causas cognoscere, eo est præclarius, & magis in hac vita expetendum. Quid moror? Uno verbo ut omnia comprehendam: Petrus Franciscus Contarenus in omni disciplinarum genere præstitit, & ita præstitit, ut cum de aliqua re disputaret, illi tantum operam dedisse videretur. Et quoniam perspectum erat sapientissimo homini, fere omnia in Philosophia esse incerta, & difficile esse, in tanta rerum obscuritate, verum a falso dignoscere, iccirco interrogabat semper, quasi naturam rerum nesciret, ex aliis sententiam eliciebat, quasi semper vellet discere, perraro affirmabat, nimirum sapienter judicans, propter humani ingenii infirmitatem, perpauca res, dum in hoc corporis carcere Mortales sumus, studio a nobis percipi posse. Fuit in eo, summa cognitio disciplinarum Mathematicarum, Herbarum observatio incredibilis, Juris Civilis, & Legum, quæ a Majoribus nostris institutæ sunt, admirabilis memoria, & demum Sacrarum literarum, ad quas, Vir sapientissimus, omnia sua studia referebat, perfecta sapientia. Aliquis merito dubitaret, nisi universa Respublica nostra, & singuli, qui in hoc nobilissimo Gymnasio bonas artes docent, idem testarentur, & prædicarent, utrum a me hæc vere dicantur, an potius amore quodam singulari, ut plerumque homines, adolescentes in primis, decipi solent, & ipse decipiar. Quis enim facile posset credere, hac tempestate, hoc est in tanta perturbatione linguarum, & in tanta penuria doctorum hominum, unum extitisse hominem

(a) Cum nempe annum ætatis sextumdecimum agens Valerius Patavium venit, Patruo suo Bernardo Naugerio Civitatis illius Præturam gerente; tunc enim Petrus Franciscus Contarenus, qui inibi, cæteris abdicatis curis, sibi duntaxat, & studiis vacans degebat, Augustinum, præter cæteros, clarissimis testimoniis suis sæpe orabat, ejusque jam præconceptam existimationem augebat, teste Joanne Ventura in vita ipsius Valerii.

nem, qui in singulis disciplinis, quarum una ornamentum unicuique solet, & splendorem asserere, omnium facile Princeps fuerit? Id certe conditionem humanam videtur superare. Plato admonet, ut qua in re cupimus excellere, ei a primis annis operam demus, & fieri non posse existimat, ut qui ad multas res animum intenderit, in una magnopere præstet. Qui artem Rethoricam, qui Dialecticam, qui facultatem medicam, qui jus Civile docent, summo in honore, jure optimo, habentur. Verum, Dii immortales, quibus laudibus esset Vir ille celebrandus, qui & summam omnium rerum doctrinam est consecutus, & libentissime omnes, qui ab eo aliquid peterent, in singulis Artibus instituit? Quod si quis optat, ut certe optare debet, hunc Virum imitari, is intelligat, præterquamquod a natura habuit ingenium plane divinum, iudicium, longe omnium, quos ego noverim, præstantissimum, memoriam rerum, & verborum plane infinitam; eum a Puerio omnes voluptates ita contempsisse, ut nullam, nisi quæ ex studiis optimarum Artium capitur, unquam senserit. Et profecto nemo debet dubitare, voluptatem esse escam malorum, & præclaris ingeniis impedimento, quo minus ad gloriam perveniant, esse consuevisse; quam si quis a primis annis discit contemnere, is ad rerum cognitionem, & ad tranquillam, & beatam vitam aditum sibi facit facillimum. Ac ille quidem beatus, & principi Deo carissimus haberi debet, qui adolescens, generis humani infirmitatem, instabilitatem fragilium, & caducarum rerum novit, & admirandam suimet naturam, quam summus Deus procreavit, perspexit; qua cognitione, cum esset præditus, non solum voluptates, quas & Bestiæ maximas sentiunt, verum etiam divitias, honores, robur corporis neglexit, & illud ipsum tantum in sua vita cogitavit, ut cum Imago quædam Dei esset in terris, ipsius etiam, quatenus natura humana patitur, fieret quassimillimus. Pater ille, & omnium rerum procreator Deus, omnia novit, ipse est fons omnis cognitionis, idem tuetur, & administrat omnia, ejus essentiam cogitare, nedum verbis explicare, nemo unquam potuit. Admirandi hujus officij, nimirum hominis, quæ faciens summo est delectatus, duas virtutes esse voluit; alteram quidem in cognoscendis tot rebus, quas clementissimus ille Pater, ad usum nostrum, genuit; alteram in recte vivendo, & in conferrendis in Patriam, & in singulos, & universos homines, beneficiis est posita. His inter omnes, hic Vir excellere sibi proposuit; quod cum sibi proposuisset, ita est consecutus, ut nemo, multis ab hinc annis, propius ad divinam naturam, vivens accessisse videatur. Cernitur tanquam in speculo in Philosophia, in ea præsertim, quæ essentiam rerum naturalium contemplatur, summa Dei potentia, infinita sapientia, & prædicanda erga humanum Genus clementia. Quamobrem in hac, Adolescens, versari voluit, non quemadmodum plerique faciunt, ut laudem aucuparetur, non ut oblectaret tantum animum, sed ut, natura duce, & quasi magistra, cognosceret Deum esse, qui rerum omnium procuracionem haberet, qui nos animis immortalibus, & divinis ornavit, qui demum Viros bonos,

tan-

ranquam Filios, diligit, malos debitis pœnis tandem aliquando afficit; mundum habuisse initium, animos nostros esse æternos, Deum gerere providentiam rerum omnium, ita aliquando, me præsentem, audientibus multis, solebat probare, ut nemo esset, qui ei assentiri non cogeretur. Qui de re aliqua proposita acute potest, ex Aristotelis sententia, in utramque partem disputare, is summus Vir, misero horum temporum Fato, existimatur, & nihil sibi non arrogat. Disceant minuti, & ambiciosi Philosophi a summo Philosopho, modestiam dignam Philosopho. Ille Platonem, Aristotelem, Xenophontem, Galenum, Plutarcum, & gravissimos Auctores studiosissime legerat, locosque omnes in Philosophia memoriæ tenebat; illorum etiam libros, qui inculti, sine ulla elegantia, philosophati sunt, diligenter evoluerat; nihil tamen, quamvis res omnes comprehensas animo haberet, sibi tribui volebat; studebat hoc unum, ut falsas, de rebus maximis, sententias ex animis hominum evelleret, ad honestatem tum verbis, tum maxime vitæ exemplo, unumquemque adhortaretur. Qua in re, quam vitæ rationem sit secutus, quoniam omnibus id utile futurum arbitror, dicere libet. Puer omnes voluptates, ut antea dixi, negligere cepit; divitias, quamquam eis abundabat, contemnere; hos qui tanto studio quærentur honores, nihili facere, uni virtuti sibi esse invigilandum, & multarum rerum scientiam sibi esse comparandam, judicavit. Quare nobilissimus, & ditissimus Vir, cum omnibus, tanquam cum Fratribus, vixit, cuique ad se aditum parere semper voluit, singulos disputantes, mira cum voluptate, audiebat, tacite, si fieri posset, sine ulla arrogantia admonebat; hoc unum fere semper concludens, multa affirmari ab ambitiosis hominibus, quæ sunt dubia, fugiendam ostentationem, omnia nostra studia, ad cognitionem de Deo, & de Christo ipsius Filio esse referenda. Hæc quæ dico, verissima esse sciunt omnes, qui in hac Urbe nati sunt; ego autem id possum testari, qui sæpissime, magna mea cum utilitate, & voluptate, Sanctissimi illius Viri sermonibus interfui. Nonnulli contemplationem earum rerum, quæ in natura sunt, vel contemnendam, vel saltem non magnificandam esse judicant, eosque homines, qui illa cognitione delectantur, parum utiles, ineptos, & nulla virtute præditos, dicunt; a quibus hominibus valde dissentio. Ego enim summam, & perfectam prudentiam esse existimo, hunc mundum, in quo nihil est diuturnum, & omnia, quæ in ipso sunt, pulcherrimarum, & abditarum rerum studio, & contemplatione despiciere, omne studium, & curam in rerum causis perquirendis collocare. Temperantia, ut mihi videtur, nulla potest major in homine cadere, quam si quis omnes voluptates negligat. Summam autem esse fortitudinem, quis negaverit, omnes animi affectiones moderari, & assidue aliquod naturæ opus contemplantem, valetudinem negligere, quotidie aliquid novi cognoscendo, summi Dei similem fieri. Nam quid est, quod de Justitia dicam? quæ certe in hoc maxime est posita, ut quæ in nobis sunt nobiliores partes, ignobilioribus imperent, & unaquæque pars rectissime munus suum obeat. His vir.

virtutibus maximis, quas Philosophi assequuntur, & illis etiam, quibus unusquisque Vir bonus est præditus, Petrus Franciscus Contarenus ornatus, sine ulla ambitione, usque ad quadragesimum quartum annum, gratus æqualibus, jucundus Senioribus, omnibus admirabilis, vixit. Quod si quis, Sanctissimum Virum, ut parum amantem Patriam accuset, quod antea ad Rempublicam non accesserit, is certe injustissimam suscipit accusationem. Nam conclusum est a Sapientissimis Viris, a Platone præsertim, non esse aliqua diligentia petendos Magistratus, ne avari, aut ambitiosi esse videamur. Præterea multos, etsi ad Rempublicam non accesserunt, profuisse illis Civitatibus, in quibus nati sunt, accepimus. Jam vero difficillimum esse, Sapientes Viri, putaverunt, seipsum cognoscere; ideo præcepto, quod Deo est tributum, unusquisque admonetur, ut se noscat; nimirum ut perspecta sui divina natura, contemnat, quæ sunt contemnenda, exspectat, & quærat, quæ expetenda, & quærenda sunt. Ille Vir superavit difficultatem, & novit seipsum, si quem alium in hac vita seipsum novisse credimus. Nam cum intelligeret se ad Dei imaginem esse effectum, tanquam Civem hujus mundi, ad eumque administrandum, & ad ipsius Architectum agnoscendum, & colendum, omnes corporis voluptates, imperfectas illas motiones, quas ut umbra corpus, mæror sæpe consequitur, sprevit, atque contempsit. Et cum animadverteret Adolescens paucis, minimisque naturam, si nostrarum actionum moderatrix, & Regina ratio præsit, esse contentam, ideo quamvis amplissimum haberet patrimonium, nulla unquam in re ad ostentationem, vel ad splendorem, divitiis est usus. Æquissimo animo tulit omnia, quæ ipsi acciderunt, nunquam iratus est visus, in sublevandis afflictis hominibus magnam vim pecuniæ consumpsit, profuit omnibus consilio, & auctoritate; singulari demum, erga summum Deum fuit pietate. Nempe noverat maximis, & innumerabilibus perturbationibus agitari hominem, dum hac luce fruitur, sæpissime errare, indigere aliorum ope, tum in iis, quæ ad tuendam vitam, tum in iis, quæ ad disciplinam requiruntur, & nostros omnes errores ferre clementissimum Patrem Deum. Quæ omnia cum secum consideraret: cur, Sapientissimus ille Vir dicere consuevit, obliti sapientiæ Dei, & instabilitatis rerum humanarum, moleste ferimus quicquam, quod eveniat? Cur irascimur? cur non ferimus opem laborantibus, non erudimus rudes, & demum cur castissimo quodam cultu Principem illum, & omnium patrem Deum, qui tot, & tam illustria, singulis diebus, in nos confert beneficia, non veneramur, & colimus? His studiis, cum innocentissimus Vir deditus esset, multos annos Reipublicæ onus reliquit cæteris Civibus; qua de re laudari, meo judicio, debuit. Nam si Socrates, Plato, Isocrates, & multi alii tum ex Græcis, tum e Romanis hominibus laudantur, etsi nunquam Rempublicam attigerunt, hanc ob causam, quod in rebus præclaris cognoscendis versati sint, cur non laudari debet is, qui non ut apud omnes famam consequeretur, disciplinis operam dedit, sed ut perspecta admirabili natu-

natura tum magni, tum parvi mundi, Dei ipsius, & Christi Filii præcepta, ad beatitudinem nostram nobis tradita, cognosceret, & quæ ipse cognovisset, alios doceret? Quod magis ipsi, quam illis, quos nominavi, meo iudicio, licuit, quod in longe omnium optima Republica, in qua æquissimis legibus omnia decernuntur, & permulti boni Cives sunt, se esse natum intelligebat, & suum studium in rebus divinis, non ostentandi ingenii causa, excogitatis, ponebat. Verum cum humanarum, & divinarum fere omnium rerum cognitionem esset consecutus, & illum universa Civitas, ut hominem, longe omnium optimum, & sapientissimum agnosceret, & prædicaret, cum quadragesimum quintum annum, honestam admodum, & jucundam, hoc est christianam vitam agentem, rogare cæperunt, ne Reipublicæ deesset, proderet etiam Patriæ, ut profuit omnibus, id optari a singulis Civibus, & a summa sua sapientia postulari. Quod consilium sapientissime est secutus, & ita est secutus, ut in petendis Magistratibus nullam unquam sibi adhibendam esse diligentiam, statuerit. Civis, amicis id postulanti, operam suam optimæ Reipublicæ Patriæ suæ, recusare non debebat, & quoniam non debebat, non potuit. Ita autem petere, vel ambire, ut plerique faciunt, ut in consequendis Magistratibus beatitudinem collocare videantur, nec Philosophi, hoc est illius, qui se noscat, nec Christiani, nec etiam boni Civis esse arbitrabatur. Itaque nec optans, nec petens Advocator totius Reipublicæ, hoc est legum Custos est declaratus; quo in amplissimo Magistratu ita se gessit, ut integritatis, quæ maxime requiritur, prudentiæ, justitiæ, moderationis, patientiæ illustre exemplum reliquerit. Hæc notissima sunt omnibus, & illius Magistratus Scribæ semper prædicant. Neque certe vim in dicendo, prætermittere possum, quæ tanta in eo Viro fuit, ut fere nunquam dixerit, quin persuaserit. Ea quæ ad confirmandam causam, quam tractabat, inveniri poterant, facillime inveniebat, & ita tractabat, ut non Accusator, aut ingenii Ostentator, sed Defensor justitiæ, propulsator injuriarum, & Pater Reipublicæ ab omnibus haberetur. Quibus rebus est factum, ut primo anno, quo ad Rempublicam accessit, summam auctoritatem sit adeptus. Imitentur homines, qui nihil aliud cogitant, quam ut Magistratus in nostra Republica consequantur, hominis moderationem, virtuti dent operam; nihil est tam amplum, quod non sint facillime consecuturi. Illi etiam confiteantur se vehementer errare, qui existimant homines, qui contemplationi multarum rerum longo tempore se dederint, ad administrandas Civitates esse ineptos. Nam & illud Virum, omne tempus suum in studiis literarum consumpsisse scimus, nunquam esse peregrinatum, & cum primum Rempublicam attigit, summam prudentiam ostendisse, & magnam auctoritatem esse consecutum. Eo ipso anno (a) quo administrare cæpit Rempublicam, a

Sena-

(a) Cum extra dubietatis aleam jam positum sit Contarenum naturæ debitum persolvissè anno expirante 1555, & sexagenarium obiissè, dicat infra Valerius, fit inde ut anno 1405. natus fuerit. Quo posito: Ipsum quadragesimum quintum ætatis suæ

Senatu ex multis est delectus, qui cum duobus aliis sapientissimis Viris hujus Gymnasii curam haberet; quo in munere summam ipsius doctrinam, atque admirabilem prudentiam, & diligentiam noverunt omnes. Origo, & fons miserabilis cujusdam incitiae, quae cum imprudentia saepissime conjungitur, est Graecae, Latinaeque linguae ignorantia, & contemptus. Quod cum sapientissimus Vir cognosceret, & Viros optimis disciplinis, graecisque, latinisque literis praeditos, maximis stipendiis augeret, honoribusque maximis afficeret, evenit, ut multi post ipsius Magistratum optimis disciplinis, contemptis barbaris Scriptoribus, se totos tradiderint. Tantum optimarum artium studiis, & humano Generi, Vir unus, qui sapientia, & auctoritate excellat potest prodesse (a). Sed cum tantam auctoritatem, in optima Republica, paucorum annorum spacio, esset consecutus, quantam multo tempore, paucissimi, aut nullus consequi soleat, Urbis nostrae Patriarcha est, magno consensu totius Civitatis, declaratus. Munus illud amplissimum, & praeclarissimum, ne in re Christi administranda, subterfugeret, laborem non esse recusandum, tantam dignitatem minime avide esse appetendam, multis de causis judicavit. Quare Amicis, me praesente, ita dicebat: Si a Deo esset, & si Christianae Reipublicae id esset profuturum, ut crearetur Patriarcha, orare Deum Opt. Max. ut crearetur; Sin minus, declararetur alius; de se ipso, nolle judicare; se libentissime in hac ultima aetatis suae parte, Reipublicae servire, Patriarcham; quem judicaret utilem Reipublicae Christianae, deligeret Senatus; se cum gradum nec optare, nec recusare. Quae in re sapientius statuere non poterat; si enim homo innocentissimus, in Sacris Literis maxime versatus, recusasset munus divinum, & institutum a Deo, esset in ipso Sene, pietas erga Deum, & studium juvandi Mortales desideratum; ambire illum locum, quo nullus est in Republica nostra illustrior, summa ipsius modestia, & humanarum omnium rerum contemptus, minime patiebantur. Verum Senatus, ut eam, quae omnibus notissima est, in consultationibus, sapientiam, in creando etiam Patriarcha, hoc est in deligendo ex omnibus Civibus Veneris, hominem, qui Rempublicam Christianam temperaret legibus sanctissimis, & quem unum omnes possent imitari, ostenderet, Petrum Franciscum Contarenum delegerunt; quod quidem

annum agentem Rempublicam administrare cepisse, dixerat supra; eo ipso, quo Rempublicam administrare cepit, anno, Gymnasii Patavini Triumviris connumeratum fuisse, hic scribit; consequenter id, anno Christi 1540; aetatis Petri Francisci quadragesimo quinto, evenisset. At in Triumvirali Codice, si Papadopolo fides, nonnisi ad annum 1551. Contarenus cum Laurentio Priolo reponitur, & 1552. cum Marino Caballi, Dominico Bolano, & Dominico Mauroceno; unde fluere sponte videretur, non eo ipso anno, quo Advocator Rempublicam gerere cepit, hoc ei fuisse munus concredutum, sed post decennium, & ultra; aut non quadragesimo quinto aetatis suae anno, sed quinquagesimo circiter sexto, ad Magistratus gerendos ascitum fuisse. Nodum alii dissolvant.

(a) Hanc optimarum Artium in Patavino Lyceo instaurationem, cujus Auctor fuit Contarenus, in maximum ejusdem decus cedere, praenotavit, de Veneta Literatura differens Marcus Fuscarenus Divi Marci Procurator, sua non minus omnigena eruditione, quam Toga clarissimus.

quidem iudicium. universa Civitas, Summus Pontifex, & omnes magnopere probaverunt. Magnus est Principis, qui in nostra Republica creatur, splendor, amplissimus est ille locus, sed & majorem splendorem, & multo illustriorem esse in Veneto Patriarcha, quoniam ea curat, quæ ad beatitudinem consequendam pertinent, & Dei Minister est in terris, posset merito aliquis existimare. Animadvertant omnes, an quidquam ex iis, quæ maxime in iis, qui Christianæ Reipublicæ præsent, requiruntur, illi Viro defuerit. Summa in illo Viro erat humanarum, & divinarum rerum scientia, incredibile studium docendi, ita ut eo die maximam voluptatem caperet, quo multum disputasset, & aliqua in re, quemquam instituisset. Requiritur in eo, qui rebus divinis præsit, & non immerito, his præsertim temporibus, quibus errorum plena sunt omnia, magna cognitio omnium scientiarum, & in primis Sacrarum Literarum, quibus nostra salus nititur; idque tum ad confutandas multorum falsas sententias, tum maxime ad bonos Viros instituendos; sed si cum hac multiplici rerum cognitione non sint conjunctæ, virtutes, Prudentia, Justitia, Fortitudo, Temperantia, Contemptus honoris, Mansuetudo, & Liberalitas; ea doctrina parum, aut nihil prodest Christianis. Intelligant, & imitentur, quoad possunt, omnes, præstantissimi Viri, virtutes. Non solum divina esse humanis præferenda cognovit, sed ipsa tantum divina, hac ultima ætate cognoscere, & cogitare videbatur. Oblitus sui etiam corporis, nihil curans, sic vivebat tanquam esset evoluturus in Cælum. Hæc vera, & perfectissima sapientia existimari debet, cum qua divinum ingenium, perfecta ratio, cautio admirabilis conjunguntur. Omnes vero corporis voluptates, non solum repressit, verum etiam evulsit, atque extirpavit; cujus rei testimonium fuit, quod Laureæ coronæ, ut signum Castitatis perpetuæ, hoc est nobilissimæ Victoriæ, quam a voluptatibus, domesticis inimicis, retulit, Sanctissimus Vir sexagenarius est decoratus. Enimvero hæc virtus per raro in hominem cadit, & munus divinum, quo Pater, & Princeps Deus, eos, quos caros habet, ornare solet, existimatur. Hanc summam virtutem, multæ antecedant, multæ consequantur necesse est. Regina nostrarum actionum Ratio in primis, ut semper imperet; sensuum, quæ ad cor sunt, multæ viæ, tanquam fenestræ omnium cupiditatum, claudantur; quod quidem ita in hac vita est difficile, ut perpauca ad hanc virtutem perveniant, & qui perveniunt præcipuo amore a Deo Opt. Max. diligere, non immerito, omnes statuunt. Qui hac divina virtute est præditus, nihil optat, quod se optasse pœniteat; hunc mundum, & quæ in eo sunt, nihili facit; secundum Deum rationem sequitur, & ideo Verecundus, Modestus, Abstinens, Moderatus, Parcus, Sobrius est; quibus virtutibus beate vivit, & apud omnes, illud ipsum negligens, in summo est honore. Laudatus est Socrates, quod eadem semper facie fuerit. Laudatus Alexander, quod a Captiva abstinuerit. Eandem ob causam Scipionem in Cælum tulerunt Scriptores. Nos quibus verbis laudare deberemus hunc Virum? Ille minime nobilis, &

pauper abstinuit ab ira; hic nobilissimus, omnibus bonis affluens, & in summa potestate constitutus, nihil unquam fecit, aut dixit, iratus. Alexander, & Scipio, quod jure Gentium vetabatur, a pulcherrimis Feminis abstinerunt, hic ab omnibus, & nullam in sua vita hujusmodi voluptatem sensit. Illo Xenophontis libello, Agesilaus Dux in animis hominum vivit, & quoad studia literarum vigeant, illius nomen erit illustre. Fuit in illo Duce animus quidem excelsus, multa gessit pro Patria, sed rerum, quas gesserat satis amplum præmium erat adeptus, famam, & gloriam, qua maxime ducebatur. Hic Vir, qui seipsum, & infinitas omnes affectiones superavit, qui nihil videtur ignorasse, qui Patriam, & omnes homines ad Christianam pietatem, & oratione, & exemplo hortatus est, qui ex virtute vivens, nullum virtutis fructum, præter virtutem, quæsit, qui demum exemplar, quod omnes imitentur, nobis erat propositum, nonne esset dignior, qui a Platone, a Xenophonte, vel a Cicerone laudaretur? Quamquam, ut ego existimo, ne illi quidem, quos nominavi, etsi in illis divinum ingenium fuit, divinas, quæ in illo homine fuerunt virtutes, oratione consequi potuissent. Ego autem, non ut laudarem illum hominem, qui a nemine laudari potest, & quem magis decebat silentio colere, hæc scribo; sed potius, ut ad ipsius imitationem se conferant omnes, & tu, alterum in Familia tua exemplum domesticum te habere intelligas, quo nocte, disque ad virtutem exciteris. (a) Verum quæ major in homine potest esse Fortitudo, quam affectiones omnes evellere, vel corpus etiam ipsum prorsus negligens, contemplando summum Deum, & Opificem Mundi, animum quasi a corpore sejungere? Hac virtute cum excelleret; & magnanimitatem, cum nihil nisi altum, & cæleste cogitaret; securitatem, jucundissime vivens; magnificentiam, distribuens magnam vim pecuniæ Pauperibus; constantiam, omnes casus humanos, & magnam imbecillitatem corporis, non solum æquo animo, sed etiam libenter ferens, omnibus ostendit; quæ omnia ita sunt nota omnibus, ut pluribus verbis uti, supervacaneum sit. Hoc unum, quod ad summam ipsius animi magnitudinem ostendendam pertinet, tacere non possum; quod superioribus mensibus, cum gravissimo morbo laboraret, & omnes Medici de ipsius vita desperarent, ille ipse semivivus cum Medicis de morbi, quo afficiebatur, causis ita disputabat, quasi id nihil ad se pertineret. Nimirum hanc, quam appellamus vitam, esse mortem noverat, tunc animos nostros vivere, cum ex hoc corporis carcere egrediuntur; tamen vivens se mortalibus prodesse sentiebat, & ideo in jussu Domini, hoc est negligentia sua, aut Medicorum, sibi ex hac vitæ custodia minime exeundum esse judicabat. Mortales, vitio quoddam naturæ horrent mortem, & ideo, cum vel levi morbo laborant, abiiciunt statim

(a) Gasparem Contarenum Cardinalem hæc dicens indigitat, cujus Nepos ex Fratre erat Aloysius, quem Valerius alloquitur, & de quo in Libello de Cautione adhibenda hæc habet: *Aloysius Contarenus, qui Gasparis Cardinalis Fratris filius fuerat, sex annis minor me erat, modestissimis moribus præditus, & discendi flagrans cupiditate &c.*

tim animum. Ille, veluti Christianus Socrates, ridens, ex hac vita discedebat, & tunc etiam causas rerum indagabat, & Galeni Medici rationes acute in medium afferebat. Quas res ego mecum cogitans, divinum hunc hominem, cum ipsi fere nihil cum reliquis hominibus fuerit commune, fuisse percipio. Justitiam autem, quæ est mater, & Regina omnium virtutum, tantam in illo Viro fuisse omnes cognoverunt, quanta nisi in eum, cujus cogitationes omnes dirigeret Deus, & quem carissimum haberet, cadere nulla ratione possit. Ab hac virtute sejungi non possunt, Religio erga Deum, Pietas in Patriam, & in Parentes, Innocentia, Integritas vitæ, Humanitas erga omnes, studium demum in amicitiiis colendis. Verum enimvero, cum pietate Christiana inter cæteros præstaret, & sanctissime, more Majorum, Deum coleret, divina præcepta omnia, diligentius quam cæteri omnes, servaret, cum illo, quo erat gradu constitutus, intellexisset multos homines, malis moribus præditos, & multis vitiis inquinatos, Sacra facere, & summum Dei erga nos beneficium celebrare quotidie, providit huic errori, & jussit, ut quicumque vota religionis solvisset, aut aliquo vitio esset insignis, ab illo munere sanctissimo, & plane divino abstineret. Quod quidem optimum, & sanctissimum Decretum, apud imperitos, & rudes homines nonnullos, Sanctissimo Viro creavit invidiam, & ideo clementissimus longe omnium, qui sua ætate vixerunt, Vir, aliquando nimis durus, aliquando severus, aliquando inexorabilis a nonnullis est appellatus. Summa fuit Clementia, cavere, ne homines minime Deo grati, quotidie illud agerent, quod sibi perniciem erat allaturum. Non fuit duri, sed pii hominis, non severi, sed justī, non inexorabilis, sed fortis, summum studium, & diligentiam, nulla alius habitæ ratione, ponere, ut rite ille totius Mundi Opifex Deus, in longe omnium optima, & maxime Christiana Republica, coleretur. Quam unam rem, cum solam cogitaret, & eam esset aggressus, divino consilio in Cælum est evocatus; & certe eo redire hominem Deo carissimum, unde ad usum hominum venerat, par erat. Sexaginta annos castissime, & integerrime vivens, documenta satis multa attulerat ad bene, beateque vivendum. Admirari, & imitari possunt Adolescentes illa, quæ in ipso fuit adolescente, modestiam, continentiam, & optimarum artium incredibile studium. Imitari possunt, qui media ætate sunt constituti, in eo ætate profecta contemptum honoris, divitiarum, animi tranquillitatem. Nam in hoc Sene, quid non fuit plane divinum? Quid non imitatione, & admiratione dignissimum? Summa cognitio, auctoritas incredibilis, admirabilis patientia, & humanarum rerum omnium contemptus. Nati sunt aliquando nonnulli Viri docti, sed in iis desiderata est vitæ integritas. Contra, non est difficile invenire homines innocentes, qui nulla doctrina sint instructi. Porro eruditum Virum appellare solemus, qui unam linguam noverit, qui in aliqua arte aliquandiu versatus sit; cujus rei illud est testimonium, quod a nonnullis sejunctæ sunt Artes. Hic Vir, qui omnes
lin.

linguas, quibus res præclaras Sapientes Viri tradiderunt, & rectissime novit, & in omnibus artibus excelluit, & qui castissime vivens, viventis, cujusdam Dei potius, quam hominis vitam egit in terris, quibus laudibus esset celebrandus? Ego quidem, quamquam Sanctissimo, & Sapientissimo illi Viro, summa omnia debeo, tamen ob hanc causam, ut ipsi, quas possem gratias referrem, ad scribendum non sum impulsus; ille enim, certe scio, summum Deum intuens, caducas omnes res, ut vivens consueverat, contemnit. Sed ideo hæc scripsi, ut quemadmodum antea a me dictum est, inflammarem omnes ad virtutem, hujus hominis exemplo; quod quidem me consecuturum spero. Tu autem cogitans, quanta virtus in Patruo tuo Cardinale fuerit, quanta in hoc, de quo scripsi, Patriarcha, qui in eadem, qua tu, natus est Familia, contendere debes ad omnem virtutem, & ad gloriam, & dare operam, ut reliquæ tuæ vitæ partes cum Adolescentia, consentiant, ut nobilissimæ Familiae, tu etiam ornamentum, & splendorem afferas.

AUGUSTINI VALERII

AD LAURENTIUM BERNARDUM.

FUNEARI præcedenti Orationi hanc, nullo medio, subiecimus Epistolam ad Juvenem Laurentium Bernardum Patricium Venerum datam, eo quod paulo post Contareni Patriarchæ obitum, ineunte scilicet anno Christi 1556, ætatis Valerii vigesimo quinto, scriptam fuisse deprehendimus, ex sequentibus ipsius verbis in suo Libello; de Cautione adhibenda, dicentis: *Quoniam quo tempore ipse ex hac vita decessit* (Petrus nempe Franciscus Contarenius) *erat annus petitionis meæ, absolveram enim vigesimum quintum annum, quo tempore mihi licebat petere, ut in minorum Præconsultorum numerum a Senatu deligerer, profecto non audebam petere &c.* Deinde narrare pergit Patriarcham recens defunctum sibi in somnis apparuisse, & ut Magistratum peteret, multis suavisse.

QUONIAM ita vis, ad te scribam, quæ, mea sententia, potissimum requirantur in Adolescente, qui hunc, quem ego nuper, Amicorum opera, & liberalitate hujus Reipublicæ, sum adeptus, Magistratum, sibi proposuerit petere. Qui hunc locum sunt adepti: *Sapientes ordinum* a Majoribus nostris sunt appellati; nos si volumus, eos appellemus, vel minoris Ordinis Consultores, vel juniores Præconsultores. Fuit institutus hic Magistratus a priscis Venetis, Viris optimis, & sapientissimis, ut Adolescentes etiam, ad administrandam Rempublicam erudirentur, & ut a Senioribus præclaram administrandæ Reipublicæ rationem discerent. Et quoniam hæc Respublica navigationibus, & mercatura maxime crevit, iccirco Majores nostri, nullum locum prætermiserunt, quo ad studium rei Navalis, singulos Cives excitarent. Et hanc ob causam, curam totius maritimæ oræ, omnia, quæ ad extruendam Classem, quæ ad Navale (quo nullum est in toto orbe terrarum admirabilius) pertinent, junioribus Consultoribus mandaverunt. Maritima Urbs divinitus, ad conservandam libertatem Italici, condita, navalis disci-

disciplinæ studia coluit, atque in iis potissimum versari juventutem voluit. Superioribus annis, ad oram continentem necessario animum adiecit, quo primum tempore, Consultores militiæ (qui appellati sunt Continentis Sapientes) creari ceperant. Qua ex re, perspicui, meo iudicio, facile potest, fuisse prius institutum Magistratum Consultorum ordinem, quam Continentis. Jam vero considerandum est diligenter, cur evenerit, ut cum in iis, qui hunc Magistratum petunt, rei navalis cognitio, & magnus usus, qui acquiritur peregrinationibus, requiratur, plerumque Adolescentes, qui ne Navem quidem unquam conscenderunt, cum consequi sint soliti? id evenit, ut opinor, quoniam existimant Patres non esse difficile homini præclaro ingenio prædito, & aliqua doctrina exculito, rerum usum sibi comparare. Præterea, cum a Senibus Respublica rectissime administratur, eos Adolescentes esse admittendos ad Rempublicam, qui ardeant sciendi desiderio, qui modestia præsent, & ex quibus aliquem Respublica fructum possit capere, Reipublicæ utile judicaverunt; & ideo, ut ego quidem existimo, modestia requiritur maxime in eo, qui ad hunc locum pervenit. Audiendi sunt Seniores diligenter, nec solum audiendi, sed etiam omnia, quæ dicunt sunt diligenter admittenda, ipsorum sententiis, temere non est adversandum; consilium enim, & auctoritas, est Senectutis, robur, & confidentia, Adolescentiæ. Mihi crede: qui in hoc Magistratu laudem sibi proposuit comparare, & Reipublicæ, cui omnia debemus, prodesse, omnes honores contemnat, nihil minus querat quam gloriam, diligentissime singula verba Senatorum audiat, & mandet memoriæ, perpauca, & ea quidem admodum considerate, loquatur, necesse est. Quæ in re, meo iudicio, nonnulli vehementer errant, qui contendendo de omnibus rebus, se summam gloriam sperant consequi. Hujus ætatis est discere, observare quæ legeris, aut videris, usu confirmare, instituta Reipublicæ commendare memoriæ. Verum quoniam & a nobis, hoc in loco constitutis, aliquod commodum Respublica flagitat, nostrum est modeste, & paucis admodum verbis sententiam nostram Patribus exponere. Quod si alicujus rei, ex qua usus aliquis ad Rempublicam possit pervenire, Auctores aliquando erimus, id meo iudicio, vitandæ invidiæ causa, est celandum, & tribuendum est Patrum sapientiæ, a quibus (nisi nosmetipsos nimium amamus) nihil prætermitti, quod a nobis inveniri possit, cognoscemus. Cara debet esse omnibus Respublica, mihi certe, & omnibus Viris bonis, & vita etiam ipsa, est carior. Libere, nulla alicujus rei habita ratione, quicquid ad ipsius dignitatem pertinere existimamus, in medium est afferendum. Sed meminisse debemus, sacram rem esse consilium, & nihil præclarior, quam posse salutare omnibus, Patriæ præsertim, afferre consilium. Ut aliquis id possit, ingenium præclarum, iudicium acerrimum, usus in primis multarum rerum, quem parit ætas, requiruntur. Una, vel duabus Concionibus, (a) nonnulli Lestissimi Adolescentes, magnam

(a) Hæc quæ Valerius hoc loco, quæ de aliis Juvenibus intelligenda scripsit, ad ipsum

magnam laudem sunt adepti. Favent omnes adolescentiæ, & si aliquod maturum, & senile consilium proferre aliquando possunt, trahunt omnes in sui admirationem. Laudatur in adolescente, Eloquentia; præclara illa facultas semper in Republica est dominata, sed in hac optima Republica, in qua, qui insinuare se volunt in animos Senatorum, qui flectere animos ad iram, ad misericordiam, vel ad timorem, qui crebris utuntur translationibus, qui demum in perorando summam diligentiam ponunt, contemnuntur. Diffimulandum est hoc studium, breviter, & graviter, quantum ætas fert, de rebus, quæ in deliberationem cadunt, disputandum est, quod facere nemo poterit, nisi sit aliquantulum in bonis artibus versatus. Cognoscenda est lingua latina, & versandum est in Historia, quæ complexa est res Majorum nostrorum. Neque tamen ausim negare, fieri non posse, ut sine ulla literarum cognitione, hunc Magistratum, pari sua cum laude, & cum Reipublicæ usu, aliquis possit gerere; sed profecto literarum cognitio affert multum commodi, & ornamenti. Ego, benignitate hujus Reipublicæ, pro qua maximos labores suscipere, & magnæ pericula adire pulcherrimum semper putabo, & Amicorum opera, quibus me abundare intelligo, cum primum mihi licuit, hunc locum in Republica nostra honestissimum sum consecutus. Audivisti quæ requirantur, nosti quam multa mihi desint, reliquum est ut cogites, quantum Patriæ me, Amicis (inter quos nulli certe cessisti) merito debeam. Dabo operam tamen ut studio, diligentia, & sedulitate incredibili, id assequar, ut Patres liberalitatis in me suæ, nunquam pæniteat. Sin minus, propter ingenii tenuitatem, nullum usum rerum, & tarditatem, vel ut rectius dicam, difficultatem, in dicendo, meam (a) nec proponere aliquam sententiam utilem huic Reipublicæ, nec eam facultate dicendi, defendere potero, id tamen faciam, ut leges hujus Reipublicæ servando, Patrum voluntatibus parendo, alios ad virtutem excitando, Viri boni, me non indignissimum fuisse tanta liberalitate, existiment. Tu Laurenti optime, quem ego semper judicavi natum ad res præclaras, debes (ut facis) summo studio contendere, ut ea omnia assequaris, quæ a me antea dicta sunt. Cum Puer adhuc, Salochii, optimis disciplinis dares operam, specimen, me præsentem, edidisti ingenii, & memoriæ tuæ, & multos, qui te audierunt, in tui admirationem traxisti. Postea vero, cupiditate discendi multas res, & cognoscendi varios mores hominum, cum Joanne Capello Legato, Viro clarissimo, & excellenti ingenio prædito, in Galliam es profectus. Nunc autem, cum pergas versari in liberalibus artibus, minime dubium est, quin hunc ipsum, in Republica locum, quem ego sum adeptus, tu in nobi-

ipsum potius esse referenda constat ex sæpe memorato de Causione adhibenda Libello, in quo expresse dicit: *Cum Sapiens Ordinum essem, eo in munere diligentiam maximam adhibens, in Senatu etiam his loqui sum ausus, & non infeliciter.*

(a) Laborabat tantum (verba sunt Joannis Venturæ, Valerii vitam scribentis) linguae hesitatione, quod cum Juventutis suæ tempore a publicis actionibus memoriter raro recitandis, retardasse est credendum; sed naturæ culpam, progressu temporis; mirifica temperavit arte, & adeo, ut sæpissime soletis esse illi existimationis.

nobilissima Familia ortus, multis adiutus affinitatibus, ingenio, usu rerum, & liberalium Artium cognitione sis facillime consecuturus. Et quoniam id non solum spero, verumetiam certo scio, non possum non satisfacere tuæ voluntati, & tibi non communicare præclara quædam præcepta, quæ a Bernardo Naugerio Avunculo meo (a) nuper per literas, mihi sunt tradita. Iis utor, & utar quoad hoc fungar Magistratu; tu, si placebit, ea adhibebis. In primis, ubi eris consecutus hunc Magistratum, totum te tradas, Reipublicæ, relictis omnibus rebus domesticis, oportebit: nam qui pluribus rebus animum intendit, in nulla re potest mediocriter excellere. Atqui dicat aliquis: ergo omnino relinquenda sunt studia doctrinæ? Hoc consilium nec probo, nec ausim aliis dare. Hac in re admonebat Avunculus meus, ut iis studiis veresceremur, qui usum afferunt administrationi Reipublicæ; nimirum legemur Philosophorum libros de Republica, Historias antiquorum, & nostri temporis, Patriæ instituta commentaremur, & scriberemus etiam aliquid, quod ab eo munere, quod nobis est delatum, non est disjunctum. Alterum est documentum, ut in Senatu, in Collegiis, & in rebus, quæ ad Rempublicam pertinent, primi adsumus, & nunquam nos a Patribus expectari patiamur. Cedendum esse semper auctoritati seniorum, & remittendum etiam aliquando, aliquid de suo jure, hac ætate, præclari judicii esse existimat. Sed hoc unum mihi in primis præcepit: ne privatas causas defendendas susciperem, quando negotia publica gerenda sunt, ne auderem privatorum, vel justissimas causas proponere, nemini adularer, contra quascunque res, ostentandi ingenii causa, non contenderem, eorum, qui a Secretis sunt benevolentiam, humanitate quadam, mihi conciliarem. Quod autem ad conciones pertinet; nunquam sententiam defenderem, quam non proposuerim Patribus, & maxime utilem Reipublicæ non existimaverim; libere, & modeste, neminem unquam mordens, modice etiam unumquemque, si opus sit, laudans, sententiam dicerem, utilitatem publicam, non famam ingenii, & eloquentiam, semper haberem ante oculos positam. Præterea admonuit, ut dum recitarentur Literæ, quæ singulis diebus ad Senatum perferuntur, attente, & diligenter audirem, & quibus Literis respondendum esse judicaret, vel ego id proponerem, vel recorderar senioribus, ut ipsi proponerent. Si ineptias aliquando audirem, eas, iussit, ne denotarem, id enim conciliat mirabiliter animos, & nihil potest esse unicuique molestius, quam irrideri. Hæc omnia, optime Laurenti, velim mandes memoriæ; nam cum ad hunc honorem, tibi etiam ista ætate debitum, perveneris, tibi commodum afferent maximum. Cum hac de re in Templo D. Paulo dicato, proximis diebus loqueremur, & quævisisses a me sententiam meam, non potui tibi non satisfacere. Hoc Opusculum, quod est inscriptum, eo ipso die, quo Bernardi Zani Filiam,

(a) Matrem siquidem Augustinus Valerius habuit Luciam Naugeriam, ipsius Bernardi Sororem.

liam, uterque nostrum ad Sacrum Baptisma protulit, sit testimonium singularis meæ, erga te voluntatis: in quo cum multa sint prætermissa, velim mihi ignoscas; etenim publicis occupationibus ita impediior, ut vel mediocrem diligentiam, in optimarum Artium studiis, adhibere non possim.

LEGATIONIS BERNARDI NAUGERII

AD PAULUM IV.

COMMENTARIUS

AUGUSTINI VALERII.

CUM natura comparatum sit, ut nemo, sine aliqua voluptate, possit diu, & commode vivere, Sapientissimi Viri, qui omnes voluptates, quæ ab honestate sejunctæ sunt, contempserunt, his duabus rebus, ex quibus sane incredibilis voluptas percipitur, sunt delectati: studiis literarum, & peregrinationibus. Et quamquam nihil est, ut ego arbitrator, quod sit in hac vita quærendum, nisi ut Christiani vivamus, hoc est ut prosumus omnibus, & de nulla re solliciti, de æternitate perpetuo cogitemus; tamen & humanæ imbecillitati, atque infirmitati condonandum est aliquid, & aliqua ratione enitendum est, ut honestam, & jucundam agamus vitam, & alios homines, qui nobis natu minores sunt, instituamus. Has ob causas & studiis optimarum Artium dandam esse operam existimo, & multas Regiones esse perlustrandas. Nam, ut omittam usus maximos, quos afferunt Reipublicæ cum homines docti, tum maxime ii, qui mores multorum, & instituta animadverterunt, certe ex Philosophia, ex Historia, ex Poesi, & ex reliquis omnibus liberalibus artibus tantam voluptatem homines sentiunt, quantam nemo, nisi qui eam degustavit, credere posset. Multas vero Regiones videre, diversos mores hominum, varias Civitates, vestigia antiquitatis animadvertere, Dii boni! quam suave est, quam jucundum, quam dulce! Quare optime, & suavissime Marine, prudenter fecimus, qui cum nobilissima hac legatione ad Paulum IV. Pont. Max., tu cum Hieronymo Grimano Patre tuo, ego cum Bernardo Naugerio Avunculo meo, Romam profecti sumus. Nam & Roma ipsa, Urbs longe omnium, quæ unquam fuerunt, nobilissima, nos ad suscipiendum iter debuit excitare, & studio videndi multas Civitates, & cognoscendi permultos illustres Viros, adolescentes profecto incendi, & inflammari debuimus. Quare quantum ad me attinet, ut spero, me nunquam hujus itineris pænitebit; nam & multa animadverti, quorum recordatio, dum vivam, mihi erit jucundissima, & multorum amicitiam mihi adiunxi; inter quas nulla mihi est suavior, nulla gratior, nulla honorificentior, quam tua. Etc.

Etenim, ut nemo, qui te semel viderit, te præcipuo quodam amore non diligit, ita amari abs te suavissimum, maxime expetendum, & testimonium non mediocris virtutis, existimo. Ac ut nunquam ea, quæ acciderunt in hoc itinere (acciderunt enim multa mihi jucundissima) e memoria possint excidere, ad me pertinere existimavi, qui hac scribendi exercitatione sum, usque a Puero, vehementer delectatus, totius itineris Commentarium quemdam scribere, & simul commentari quantam ipse, & omnes, qui discendi studio, Patria discedunt, possint utilitatem capere (a). Et quamquam tu certe, ob præclarum tuum ingenium, & incredibilem quamdam, quam adhibuisti diligentiam, multo plura, & multo diligentius, quam ego observasti, & ipse a te, eum, quem scripsisti Commentarium, postulare deberem, tamen quæ ego observavi, volui pro meo erga te singulari amore, ut tu primus legeres, hac conditione, ut si quædam, quæ observatione tu digna judicasti, me non observasse cognoveris, vel quædam perperam observasse, de his me admoneas. Etenim jucundissimum mihi est, & semper erit, aliquid discere, & nihil mihi potest esse molestius, quam falsa pro veris affirmari. Itaque, ut scis, secundo die Septembris, qui Lunæ dies erat, Sacris peractis, Maurocenus, Grimanus, & Naugerius Legati Navem conscenderunt, Clodiamque hora vigesima, satis prospera navigatione venerunt. Nos eo die, quod fuit indicium summæ cujusdam benevolentiae, & conjunctionis inter Patrem tuum, & Avunculum meum, Pellestrinæ (b) pransi sumus. Unum diem Clodiæ, Venti nos remorati sunt. Die autem quarto, cum jam advesperasceret, in portum Ravennæ delati sumus; & cum nullo modo in illam Civitatem ingredi potuissemus, incommode totam ferme illam noctem insomnem duximus. Quo in loco, Patris tui Viri gravissimi, & Avunculi mei prudentissimi hominis moderationem, & leporem sum admiratus. Die quinto hora decimaquinta Ariminum navigavimus, & ad D. Nicolai Ædem, quæ est apud Portum illius Civitatis, non incommode divertimus. Audivi a quodam Cive illud, quod fuit etiam traditum monumentis literarum, invenisse nomen eam Civitatem ab Arimino Torrente (c). Vidi antiquissimum Pontem mira arte extructum, in quo erat scriptum literis quibusdam, quæ vix per-

(a) Hoc annum ætatis agens vigesimum quintum, priusquam inter Præconsultores recenseri peteret a Senatu, præstitit Valerius, ut ex iis constat, quæ in suo De Causione adhibenda libello habet: *absolveram enim XXV. annum, quo tempore mihi licebat petere, ut in minorum Præconsultorum numerum a Senatu diligeretur redieram paucos ante menses Roma (declinante nempe anno 1555.) ubi fueram cum Legatis ... Illius legationis Itinerarium inscripsi; cum in Patriam redissem legendum tradidi quamplurimis &c.*

(b) De hac Veneti litoris portione, cui tale inditum nomen, quæve a Portu Mathemauci ad usque Portum Clodiæ, ut Veneti peroptime norunt, sese portendit, videri poterunt, quæ nos abunde diximus in Historiola Pellestrinæ, quam italico sermone, publici juris anno 1745. Venetis typis jam fecimus.

(c) Ni forte potius e contra, ut Clementinio Histor. Ariminensis lib. 1. cum aliis placet, Torrens ipse, qui hodiernum *Maricula* vulgo *Marecchia* appellatur a proxima ubi Civitate *Arimini* nomen obtinuerit.

percipi poterant, elogium in honorem Octavii. (a) Recordatus sum, cum illic essem, quanti fecerit Pompejus, qui magnus est dictus, illius Civitatis commoditatem, & opportunitatem cum inter conditiones pacis, a Cæsare potissimum requireret, ut Arimino decederet. Vidi Templum quoddam satis amplum, maxima vi pecuniæ, a Malatestis ædificatum, in quo erat Statua quædam in D. Sigismundi, qui fuit unus ex illorum Familia, honorem erecta (b). Sexta die Pisaurum, Grimanus, Dandulus, quem Arimini offendimus, & Naugerus venerunt, quibus Guidobaldus Urbini Dux, sub ejus ditione est illa Civitas, pro sua humanitate, & pro vetere sua erga Rempublicam nostram (cujus etiam erga ipsum, & Patrem suum extant præclaræ cujusdam voluntatis testimonia) benevolentia, obviam, cum magno comitatu, processit; (c) atque cum Legatis potiore locum humanissime cederet, & omnibus honoribus, eos prosequeretur, in ipsius ædes, magnificas sane, & eleganter exornatas, & Legatos, & omnes, qui cum illis erant, excepit. Qua in re hospitalitatem, & liberalitatem optimi Principis non possum non laudare, & ob dignitatem, & splendorem nostræ Reipublicæ, cujus Legatis a Principibus, & omnibus Gentibus honor habetur, non magnopere latari. Pisaurum visa mihi est Civitas non admodum magna, sed certe multitudine Mortalium, qui eam habitant, portum, & Maris opportunitatem, abundantiam omnium rerum, quæ ad vitam sunt necessariæ, ac demum justitia optimi Principis, cui paret, existimari debet beatissima. Vidimus Armamentarium illius Principis in quo multa sunt præclara armorum genera, & pulcherrimæ clarissimorum, & præstantissimorum Virorum imagines. Octavo die ejusdem mensis statim a prandio, Pisauro discessimus, & venimus ad Forum Sempronii, quæ parva Civitas est, sub radicibus montis ædificata. Nono die, qui erat dies solis, ad Cantianum oppidum, illius, quem paulo ante nominavi, Urbinatis Ducis, pransi sumus; quo die singulare, & omni memoria, atque

(a) Quod ex integro refert Cæsar. Clementinius in Ariminensi Historia libro primo, pagina III.

(b) Quoque jubente, sumptusque ministrante, prima permagnifici illius Templi locata fuere fundamenta, ut ex apposita inscriptione constat: *Sigismundus Pandolfus Malatesta, Pandolfi filius V. fecit anno gratiæ MLD.* Sane si longior ei fuisset vita comes, aut quod morte prohibente nequivit ipse perficere, hæredes ipsius pari magnificentia opus illud ad complementum perduxissent, vel insignioribus, nedum Urbis illius, verum & Provinciæ ædificiis, primatum jure contenderet.

(c) Pater namque ejus Franciscus Maria Feltrius Urbini Dux, XV. annorum spacio, strenuam bello, ac pace Reipublicæ navaverat operam, summus militiæ terrestriis designatus Præfectus, annuo quinque millium aureorum ei constituto honorario; cumque ampliorem Senatus gratiam promeruisset, omnesque in eo imperatoriæ cumulatæ viderentur virtutes, semel & iterum suprema Imperatoris exercitus ei collata dignitas fuit, quæ terrestrium copiarum deferri possunt Supremis Ducibus, ei tributa decora; Ædes, decem aureorum millibus coemptæ, dono concessæ, tandemque post obitum, dum Parentalia ære publico solemniter celebrarentur Venetiis, funebri fuit a Laurentio Contareno, Juvene certe ad eloquentiam nato, Oratione laudatus. Ipse pariter Guidobaldus per annos quinque saltem supra viginti, Reipublicæ stipendio militiam gesserat, & terrestrium Copiarum anno 1546. institutus Præfectus, Imperatorium Vexillum, ingenti populorum plausu, Venetiis a Principe acceperat, illudque munus anno duntaxat legationi huic præcedente, ultro abdicaverat.

atque admiratione dignissimum humanæ industriæ exemplum observavi. Nam ductum illum, quo Julius Cæsar, Vir acerrimo judicio, primus exercitum traduxit, vidi; & reipsa cognovi, nihil esse tam difficile, nihil tam arduum in rebus humanis, quod præstantes Viri gloriæ studio, non aggrediantur, & non perficiant. Die decimo, hora decima octava, venimus Sugillum (a), & cum Dandulo Legato aliquot horis fuimus. Die undecimo, cum ad Nuceriam, oppidum (b) subiectum Pont. Max. pransi essemus, Fulgineum venimus, & habuimus iter difficillimum, quod est per Vallem, quæ dicitur Topina, in qua decem sunt transitus, cujusdam Torrentis. Quidam Civis, Fulgineam dici, quasi fulgentem Civitatem, existimabat. Mihi mirabiliter placuit illa Civitas (c) Hortum quemdam, & angustam Domum vidi, in qua se abdidit optimus fenex quidam, quem judicavi amænissimum omnium locorum, quos viderim, & mirifice sum delectatus cum loci amœnitate, tum maxime optimi illius Viri, moderatione, & animi tranquillitate. Ea in Civitate optime condiuntur Sacchara, & omnia id genus. Die undecimo Spoletum venimus, qua in Civitate animadverti Arcem, quæ expugnari difficillime potest. Hac prohibuisse Hannibalem, quo minus Romam, cum exercitu, transiret, Majores suos, ii, qui nunc sunt gloriantur (d). In illius Civitatis Foro, fons quidam est, ex quo scater aqua purissima, & admodum limpida, & cernuntur quidam aquarum ductus admirabiles. Die duodecimo, cum difficile, & periculosum etiam, ut nonnullis ex nostris videbatur, habuissimus iter, Interamna * venimus, quo loco cum aliquantulum cibi sumeremus, discessimus, & Narniam profecti sumus. Ea in Civitate Reipublicæ nomine, Ferrariæ Cardinalem, Legati salutarerunt (e) qui præferebat præclarum ingenium, & animi celsitudinem quamdam. Humaniter ab ipso Pater tuus, & Avunculus meus (alii enim Legati non aderant) fuerunt accepti. Narniam, accepimus, traxisse nomen a Nare flumine, quod cum Tyberi, flumine nobilissimo, quinque millibus passuum procul conjungitur. Sita est ea Civitas sub monte, & Arce quadam defenditur. Veltigia magnificentissimi cujusdam Pontis observavimus, qui certe fuit immensæ magnitudinis, quæ ut videremus, tantum ambulando laborem suscepimus, ut aliquando nos studii nostri, & cupiditatis cognoscendarum antiquitatum,

* Vulgo
Terni.

(a) Sugillum Oppidum ad Nucerinam Diæcesim spectans.

(b) Seu parvam potius Umbriæ Civitatem, Episcopali Sede donatam a Fulgino decem circiter miliaribus distantem.

(c) Exigua quidem est Civitas hæc, Umbriæ fere media, at Nundinis frequens, mercaturaque celebris, earum præsertim rerum, quæ ex Saccharo, in varii generis efformantur bellaria.

(d) Præclari hujus facinoris testem adhibent Livium Lib. 22. Capite 9. dicentem: *Hannibal rectè itinere per Umbriam usque ad Spoletum venit, inde quum perpopulato Agro Urbem oppugnare adortus esset, cum magna cede suorum repulsus, conjectans, ex unius Colonie, haud nimis prospere tentate, quanta moles Romane Urbis esset, in Agrum Picenum avertit iter.*

(e) Hippolytus II. Cardinalis Atestinus is erat, Alphonsi I. Ducis Ferrariæ filius, qui Ferrariensem administrandam Ecclesiam ab anno 1550. obtinuerat, quive decennio circiter ante, Pauli III. Pontificis-jussu, Legatus ad Venetos fuerat, quasurus ut cum eo Pontifice, & Francisco Galliarum Rege, sedus inirent.

p  nituerit. (a) Illius casus libenter recordor, & libere ut dicam, maximo precio me emisse arbitror cognitionem illius vestigii. Tertiodecimo die ejusdem Mensis ad Borghettum oppidum venimus, quo in loco inhumaniter, & valde incommode fuimus excepti. C  navimus apud Vajorum oppidum. Die quartodecimo ejusdem mensis ad castrum novum, quod est in potestate Collonenfium, fuimus; quo in loco usque ad sextumdecimum diem hujus Mensis, mansimus. Mult   sunt utilitates, quas ex itinere potuimus percipere, nam, pr  terquamquod homines de his Civitatibus, quas vidimus, loquentes non admirabimur, quod quidem & vehementer optandum, cognovimus nobis perpetuo Deo Opt. Max. gratias esse agendas, quod Agrorum fertilitate, locorum am  nit  tate, & Fluminum commoditate, inter reliquas omnes, illa particula Italiz, qu   Veneto Imperio paret, maxime excellit. Quod quidem cum animo nostro considerantes, virtuti semper invigilandum esse cognoscemus, ut non degeneres priscorum Venetorum filii, & tanta h  reditate, quam Majores nostri, nobis reliquerunt, indigni esse videamur. Ad decimum autem septimum, qui erat dies Martis, Franciscus Contarenus, Carolus Maurocenus Procurator, Hieronymus Grimanus, Matth  us Dandulus Eques, & Bernardus Naugerius Legati Romam venerunt, quibus sextus Legatus Dominicus Maurocenus Eques, & maximus numerus Nobilium hominum obviam venit. Erant sex hii, quos nominavi, Senatores amplissimi, eadem fere veste, qua Venetiis, more Majorum, Senatores uti consueverunt, vestiti, & singuli profecto, cum propter gravitatem   tatis, tum propter vestimentorum majestatem, Principes videbantur. Eos antecedeabant viginti nobilissimi, & lectissimi Adolescentes, quam honorificentissimis vestibus induti. Sequebatur incredibilis numerus gravissimorum hominum, Episcoporum, Abbatum, & uniuscuiusque generis hominum, qui publicis Pontificis Maximi sumptibus, aluntur. Romana Plebs l  tabunda excipiebat hanc legationem: h  ccine est illa Respublica, dicebant omnes, qu   est ornamentum Italiz, & decus orbis terrarum, in qua libertatis integrum nomen adhuc est, pax, ocium, tranquillitas custodiuntur. Hinc precari omnes, pro amplitudine Reipublic  , laudare, admirari magnificentiam Venetorum, Venetum Imperium reliquis omnibus anteferre; quibus vocibus nihil auribus meis esse poterant suavius, aut dulcius. Qui nunquam Patria discedit, pr  terquamquod est semper Puer, & omnia, qu   audit admiratur, non potest

(a) His omnino consonant, qu   habet Procopius Gothicarum Rerum Lib. 1. *Narnia in edito sita Monte est, ad cujus radices Nar amnis pr  terfluit, qui nomen etiam Urbis pr  buit. Adventus ad eam duo deducunt, alter in Orientem Solem versus, in Occidentem alter. Horum alter difficilis in pr  ciso Saxo angustias habet, alter nonnisi Ponte adiri potest. Hunc Caesar Augustus olim conjunxit. Spectaculum memoratu dignissimum, quippe omnium fornicum, quos scimus, excellentissimus est. De hoc etiam, duos altissimos Montes, conjungente Ponte, Martialis lib. 7. Epigram. 92. cecinit:*

Narnia sulphureo, quod gurgite candidus Amnis.

Circum, ancipiti vix adeunda iugo.

Sed jam parce mihi, nec abutere Narnia, quinto,

Perpetuo liceat, ac tibi Pons frui.

reſt ſatis intelligere, quam præclarum ſit, quam pulchrum, quam expedendum naſci Civem Venetum; hoc eſt naſci liberum in præſtantiffima Republica, & Civem illius Civitatis, quam omnes volunt eſſe beatiffimam. Romæ, apud Montem Jordanum in Ædibus Cardinalis Ferrarienfis, quæ ſunt Urſinorum, divertimus, quo in loco publicis ſumptibus magnifice, pro dignitate Reipublicæ, ſingulis diebus ſunt celebrata convivia. De iis, quæ in longe omnium præſtantiffima Urbe, animadverti & potuiſſent, & debuiffent, Volumen eſſet conſcribendum, quod certe eſt diligentiffime, & elegantiffime factum a nonnullis, antiquitatis, Viris ſtudioſiffimis, quos tibi legendos eſſe arbitror. Ego autem, & quod non ſum admodum diligens, & quod ob brevitatem temporis (quindecim enim tantum dies Romæ fuiſmus) pauca potui animadvertere. Aſcendi ſeptem montes, de quibus copioſe ſcripſerunt omnes, qui res Romanorum tradiderunt. Veni in Capitolium, quod cum primum vidi, admiratione, & ſtupore percuſſus ſum. Hiccinè eſt ille Mons Tarpejus, mecum ipſe dicebam, Hiccinè eſt Capitolium illud cujus omnes Poetæ, Hiſtorici, & omnium generum Scriptores mentionem, faciunt? Ac, ut omnia paucis complectar, veſtigia tantum cernuntur veteris Romæ: omnia fere, Deo ira volente, conſumpta ſunt, ut, meo quidem iudicio, nullum afferri poſſit, illuſtrius teſtimonium inconstantia humanarum rerum. Illa ipſa Roma, caput orbis terrarum, Domicilium præſtantiffimæ Reipublicæ, in qua nati ſunt, & floruerunt tot, in omni virtutum genere, præſtantes Viri, in qua triumphavit Scipio, Pompejus, Cæſar, injuria temporum extincta eſt. Illius ipſius Curia, in qua pro Roſtris Cræſſus, Antonius, Hortenſius, & Cicero ſæpe dixerunt, vel minimum apparet veſtigium. Illæ ipſæ Ædes, in quas mille Hoſpites excipi poterant, dirutæ ſunt. Alio in loco, quem Veteres Romani minus opportunum, & commodum judicabant, altera Roma, quæ nova dicitur, ædificata eſt. O fallaces omnes cogitationes noſtras! O vanas Mortalium omnes ſpes! Dii boni, quam imprudentis eſt hominis delectari caducis his rebus! Quam ſtultum eſt admirari, optare, eſſe ſollicitum de rebus humanis! Hæc meditatio ſane, non parum mihi profuit, & mea ſententia, prodeſſe poteſt omnibus, qui aliquando ſecum conſiderant ſe homines, & Chriſtianos natos. Extant adhuc Arcus nonnulli, tanquam teſtimonia virtutis eorum, qui victoriam ab hoſtibus Populi Romani retulerunt, & aliquam Civitatem illi Imperio adiunxerunt; inter quos pulcherrimi mihi illi ſunt viſi, qui ſunt in honorem Conſtantini, & Severi Septimii, erecti. Obſervavimus etiam diligenter veſtigia quædam magnificentiffima Balneorum, quæ a Diocletiano, & Antonino Imperatoribus ædificata ſunt; in quibus extruendis, & magnam vim eſſe conſumptam pecuniæ, & multorum Mortalium operam ad illud opus perficiendum longo tempore eſſe adhibitam, conſtat. Septem illa Tempſa, ad quæ videnda, multi Mortales, religione quadam impulſi, confluere ſolent, magnificentiffima, & multis columnis ornata, vidimus. Vidi diligenter Arcem, quæ eſt prope Tyberim, quæ cer-

te pulcherrimæ illius Civitatis, est propugnaculum. In hanc, occulta quadam via, Pontifices Maximos, cum se recepissent, dignitatem totius Christianæ Reipublicæ defendisse, & crudelissimorum hominum, qui in Italiam, & in primis in nobilissimam illam Civitatem irruebant, effugisse, memoriæ proditum est. Templum D. Petro dicatum, & Pontificis Maximi Ædes magnificentissimas, atque Hortos amænissimos, non semel, incredibili cum voluptate, vidimus. Nam & ille situs, ex quo Romam perlustrare oculis unusquisque potest, illi fontes, ex quibus scaturit aqua purissima, illa series, & ille ordo admirabilis Arbuſtorum, quem nostrum non vehementer delectare debuerunt? Eo in loco, qui, quod in eo multa sint pulcherrima, locus visu pulcher dicitur, servantur quædam Statuæ antiquissimæ, mira arte, ab optimis Artificibus factæ; inter quas Laocoon, Cupido, Apollo, Satyrus quidam, & per multæ aliæ, magna cum voluptate, & admiratione visuntur. Vidi etiam, summa cum animi jucunditate, quædam picturas Michaelis Angeli, quæ sunt in eo loco, ubi cogitur Cardinalium Concilium pro creando Pontifice, quæ certe tantum non loqui videntur, & affectiones hominum, quasi ante oculos ponunt. Hujus generis Statuas, ut videremus, Hortos, & ædes Cardinalium omnium, qui hac cognitione delectantur, inquisivimus; quas omnes, commemorare, ut est facile, ita est supervacaneum. Illud constat, Veteres Sculptores fuisse præstantissimos, & nostra etiam hac tempestate non deesse homines, qui in his nobilibus artibus, Pictura, & Sculptura, proxime ad Veteres illos optimarum Artium omnium Inventores, & Magistros, accedant. At mihi consideranti diligenter, non singulas partes Urbis Romæ, sed situm totius Urbis, quæ mirabiles percipit ex Tyberis commoditates, illud admirabile videtur, quod prisci Romani prudentissimi homines, tanto studio, tanta diligentia, tantaque pecunia de aqua deducenda laborarent, quæ non est bona, aqua vero Tyberis, quæ & optima est, & saluberrima, non uterentur. Nimirum nullus homo, nulla Gens, omnia potuit cognoscere; tempus, Pater omnium rerum, & Præceptor generis humani, illud ipsum, quod prudentissimi Viri videre non potuerunt, docuit. Notavi, quo loco erat Templum Minervæ, nunc est Templum D. Dominico dicatum, & illud Templum, quod erat dicatum omnibus Diis, nunc dici vulgo: Rotundam. Verum inter res, quas observatione dignissimas judicavi, fuerunt Obelisci quiddam immensæ magnitudinis, qui nulla ratione, in eum locum duci posse videbantur. Octo diebus hæc pauca, & multa alia, quæ ad Vias, ad sepulchra Veterum pertinent, observavimus; quibus elapsis, Legatis est data facultas conveniendi Summum Pontificem, nobis vero ablata occasio investigandarum antiquitatum. Erat ille dies Martis, vigesimus quartus Septembris Mensis, quo ad Pontificem Maximum, assistentibus omnibus Cardinalibus, Oratio, Reipublicæ nomine, maximo concursu doctissimorum hominum est a Bernardo Naugerio Avunculo meo, habita. Et quamquam amore singulari, atque observantia erga illum Virum, de me optime meritum, & ut dixi,

dixi, Avunculum meum, mihi adimi fidem, intelligo, tamen velim id mihi dicere liceat, quod doctissimi omnes affirmant; nihil in eo genere excogitari potuisse, perfectius. Mira dicendi brevitæ, & gravitate est usus, nihil tamen prætermisit, quod esset, necessarium, & ornare, atque illustrare Orationem posset (a). Quamobrem est factum, ut Pontificem mirifice ea oratione fuisse delectatum, omnes cognoscerent, & summam sit ipse laudem consecutus. Ipse autem Pontifex, ubi primum Avunculus dicendi finem fecit, quamvis raucedine impediretur, tamen Legatos, audientibus omnibus, est allocutus; cujus orationis hæc, ni fallor, est summa. Mihi sane nihil potest esse jucundius, quam videre Legatos illius Reipublicæ, quæ mihi est, & debet esse carissima, & eos Homines, quos multo jam tempore, cum essem Venetiis, vidi, atque amavi. Cara debet esse omnibus Veneta Respublica multis de causis; sed ob eam præcipue, quod est sub Christi fide nata, & nullum alium suæ dignitatis Auctorem agnoscis, præter Deum, & Christum Dei Filium, & ita semper venerata est hanc Sedem, ut non minus de Pontificis Romani auctoritate conservanda, quam de sua dignitate cogitaverit. Debet mihi, etiam privatis de causis, esse carissima; quoniam cum illic essem, a singulis, & universis Nobilibus Viris, sum humanissime exceptus. Quare Clarissimi Legati, sic habetote, me libentissime, & summa cum animi mei voluptate excipere, nobilissimam istam Legationem vestram. Et quoniam scio, Vestram Rempublicam Deo Opt. Max., & Jesu Christo Filio esse curæ, quandoquidem non Idolorum, ut reliquæ omnes, sed ipsius auspiciis est fundata, spero, & certo scio esse in perpetuum duraturam, & nullum esse tam magnum numerum malorum hominum, qui tranquillitatem optimæ illius Reipublicæ possit perturbare. Si autem aliquis casus tulerit, ut nostra auctoritate illi Reipublicæ opus sit, dabimus operam, ut reliquos omnes Pontifices, qui unquam fuerunt, hac in re, superemus. Et cum multo plura dicere vellet, & vultu ostenderet paternam quamdam charitatem, raucedine, ut dixi, impediabatur. Quod cum sentiret, ridens dixit: *Lupi Merin videre priores* (b). Lætitiam, quam animo sensu, excipiens præstantissimam Legationem, verbis explicare non possum. Quare illi Reipublicæ, quantas maximas possum, de hoc officio, gratias ago, & illum ipsum Deum auctorem, & Principem omnium rerum semper orabo, ut omnibus in rebus illi Reipublicæ faveat; quod pro sua clementia facturum esse confido. Pontificis oratione, maxima attentione, audita, ipsi primum Legati, deinde singuli, qui cum ipsis erant, vetere instituto Romanorum Pontificum, ipsius pedes osculati sunt. Qua cum in re per horam detineretur, miram quamdam

(a) Orationem hanc a Naugerio coram Pontifice habitam, quam R. P. F. Domini Berardelli munere, ex Codice MS. Bibliothecæ SS. Joannis & Pauli, transcriptam obtinimus; Commentario huic subiiciemus.

(b) Proverbium ex Virgilio, in Egloga sua dicente: *Vox quoque Merin, jam fugis ipsa*; *Lupi Merin videre priores*; quibus ea Vulgi opinatio indicatur, quod qui a Lupo conspicitur, priusquam ipse Lupum aspiciat, vocis illico defectum patitur.

dam hilaritatem præferebat; ac demum cum eo sublimi loco decederet: non possum, inquit, expleri; nempe, ut ego interpretor, intuens vos Senatores amplissimos, optimæ, & mihi carissimæ Reipublicæ Legatos. Deductus Pontifex ab omnibus Cardinalibus, & a Legatis in proprias Ædes, Legati deducti a permultis, omnium ordinum, nobilissimis Viris, quos omnes Convivio lautissimo, & magnificentissimo exceperunt, Domum profecti sunt. Die vigesimo quinto, officii gratia, ut fuit semper in more positum nostræ Reipublicæ, conveniri Domum, & salutari a Legatis publico nomine, Cardinales cæperunt, atque cum singulis diebus novem, vel decem salutarentur, quatuor diebus, eo in officio, Reipublicæ satisfactum est. Nunc Romæ triginta quatuor Cardinales vidimus, quorum nomen non est necesse singillatim commemorare; præsertim cum nemo sit, qui ignoret, unde hoc ipsum possit sumere. Singulos, ego existimo, esse optimos Viros; quis enim aliter de iis hominibus, quos Pontificum maximorum iudicium, & Deus ipse, sine quo nihil fieri potest, ad illum honorem evexit, ausit sentire? Multi bene audiunt, sed mihi inter cæteros, omni honore digni sunt visi, ut eos omittam, quorum sermonibus non interfui, Moronius, Puteus, Carpenfis, Farnesius, Caraffa, qui certe ob acerrimum iudicium, quo maxime excellunt, & multarum regum usum, ad res maximas gerendas, & ad imperandum nati esse videntur. Verum, Paulus IV. Pont. Max. ut nullum singularis suæ, erga nostram Rempublicam, benevolentie testimonium prætermitteret, Legatos regio apparatu accepit. Sedebat Pontifex, & septem Cardinales ex altera parte Mensæ, ex altera vero sex Legati. Omnia in Vasis argenteis apponebantur, ministrabant in illo Convivio Nobilissimi Viri. Ego certe existimo, nullum apparari potuisse Convivium splendidius, nullum magnificentius, omnes Nobiles Veneri, qui cum Legatis erant, apud Comitem Montorii, Pontificis Nepotem, pransi sunt. Et quoniam nihil erat prius Legatis, quam ubi primum functi essent legationis munere, in Patriam reverti, unusquisque nostrum sedulo dabat operam, ut plura quam posset, scitu digna, animadverteret. Ego vero indignissimum putabam, si tantam adhibuissem diligentiam in investiganda antiquitate, & in cognoscendis Statuis, ut doctissimos homines, qui semper permulti ea in Urbe esse consueverunt, non cognoscerem. Itaque cum diligenter quærerem equis aliqua in arte excelleret, incidi in homines doctos, & optimis moribus præditos; inter quos, ut alios omittam, duo mihi visi sunt homines præstantissimi, & digni qui summo in honore habeantur. Basiliius Zancus Poeta summus, quem cum convenissem, & duabus horis cum eo familiarissime, de optimarum Artium studiis, essem locutus, non minus in eo homine singularem modestiam, quam excellens ingenium, & summam doctrinam sum admiratus. Est ille Vir, ut ego potui iudicare, annos natus quinquaginta, colore nigro, & mihi tranquillam, & beatam vitam visus est agere; etenim nihil cupit, & quotidie aliquid scribit, quod prodest Mortalibus, & quod potest cum antiquitate conferri. Novi etiam, cum

in Bi-

in Bibliothecam Vaticanam venissem Guglielmum hominem Apulum, græci sermonis peritissimum, in quo summam doctrinam cum summa innocentia, atque humanitate conjunctam, facillime potui animadvertere. Hos homines mihi jucundius est vidisse Romæ, quam omnes Statuas, omnia vestigia antiquitatum, & omnes demum, singulorum Cardinalium, amænissimos Hortos. Nam cum ea, quæ dixi, videbam, videbam partim imagines verarum rerum, partim res, quæ ad usum, & delicias hominum sunt factæ; audiens autem hos homines, multa discerebam, ad gloriam excitabar, & demum mirifice lætabar, quod hac tempestate eos homines intuerer, qui cum Veteribus possent comparari. Scio Romæ multos alios esse, in omni disciplinarum genere, excellentes Viros, quos, quoniam ab Avunculi mei latere, discedere vix poteram, non potui convenire. Hos vidi, cum his sum locutus, horum benevolentiam mihi conciliavi, qua certe nihil mihi est gratius, nihil jucundius. Primo die Octobris, cum ego apud Vitellotium Vitellium Adolescentem excellenti ingenio præditum, pransus essem, Pater tuus Vir diligentissimus, qui Legationis munus obierat, Romæ decessit; quod cum audivi, sane non minimum dolorem sensi, quod te, & Hermolaum Fratrem tuum, quos vehementer amo, & a quibus multum me amari sentio, antequam discederetis, non viderim, & salutaverim. Plurimum ego certe debeo humanitati vestræ, & nunquam non recordabor vestri amoris erga me, quem omnibus notissimum esse voluistis. Cum autem in Patriam mihi redeundum esset, & Ravennæ nonnulla negotia haberem, dubitaremeque vos per Anconam iter esse facturos, mihi cum Matthæo Dandulo Æquite, Viri Clarissimo, veniendum esse judicavi, tum ut ex hominis doctissimi, & qui mores hominum multorum vidit, & Urbes, sermonibus multa discerem, tum ut carens in hoc itinere, jucundissimis vestris sermonibus, suavissima Aloysii Contareni mei, qui, nescio quo me bono fato, tibi in me amando nullo modo vult cedere, & Bernardi Zani, qui me vehementer amat, consuetudine fruerer; cum quibus sane suavissimis, & optimis Adolescentibus ita sæpe, ita libenter de vobis locuti sumus, ut vestri desiderium, recordatione jucundissimorum sermonum, quos Romæ habuimus, leniremus. Atque ut omnia, quæ mihi in hoc itinere acciderunt, hoc brevi Commentariolo, complectar: nolo te ignorare, parum abfuisse, quin mutato proposito redeundi in Patriam, Romæ biennio manserim. Eo ipso die, quo discessistis, cum de reditu in Patriam cogitarem, Avunculus meus Vir optimus, & singulari quadam erga me benevolentia, vel ut rectius dicam, paterna charitate, quamquam de hac eadem re mecum antea egisset, me iterum pluribus verbis est hortatus, ut Romæ secum per totum id tempus permanerem. Recordarer eos, qui in illa Urbe sunt, esse in luce hominum; inveniri permultos, in omni virtutum genere, excellentes Viros; patere illic aditus bonis, & eruditis Viris ad amplissimos honores, nemini, qui aliquo sit ingenio præditus, deesse occasionem, qua ingenium, & doctrinam suam possit omnibus

patrefacere; me semper ipsi fuisse carissimum; sibi fore admodum gratum, si secum, per totum id tempus, essem. Et quamquam auctoritate prudentissimi hominis multum movebar, & omnia, quæ dicebat verissima esse cognoscerem, nihil tamen ad mutandum consilium, me magis impellebat, quam quod acerbissimum erat, ab eo homine disjungi, quem secundum Patrem maxime omnium amo, quo cum diutius, quam cum Patre vixi, qui me, non ut Sororis filium, sed potius ut Filium dilexit, quem non cohortatorem modo, verum etiam Præceptorem semper habui. Quare cum in dubio esset animus, ut Comicus ait: paulo momento huc, & illuc impellebatur; versabatur ante oculos Patria, qua nihil mihi est carius; recordabar illius libertatis, & tranquillitatis, qua Venetus quisque Civis fruitur; memineram me ocio literato mirabiliter delectari; recordabar quam mihi soleat esse jucundus aspectus Amicorum, quam grati multorum sermones, quantam demum, ex meo propinquo Rure, sim solitus voluptatem capere. His omnibus accedebat, quod Pater meus, munere publico impeditus, abest, & mihi rerum familiarium cura aliqua est habenda (a). Quare quamvis molestissimum esset Roma discedere, & ab eo homine, quo nemo mihi debet esse carior; tamen vici meipsum, & cum Matthæo Dandulo Equite, Viro clarissimo, secundo die Octobris Roma discessi, a quo, pro singulari ipsius humanitate, ita in hoc itinere sum tractatus, ut neque in Patre tuo Viro humanissimo, neque in Avunculo meo, majorem humanitatem, aut benevolentiam sim expertus. Et quoniam revertentes in Patriam, Ravennæ unum diem fuimus, puto mihi esse breviter dicendum, de iis, quæ in ea Civitate, observatione digna, existimavi. Est illa Civitas sub ditione Pontificis nobilissima, & antiquissima; in ea siquidem habitaverunt Imperatores, & inter omnes Italiæ Civitates floruisse, memoriæ prodium est. Locutus sum cum multis Civibus, qui eam Civitatem abundare iis omnibus, quæ ad vitam requiruntur, mihi affirmaverunt; & cum ab ipsis ego quærerem: nunquid illud cælum esset salubre, affirmaverunt esse saluberrimum. Observavi in Foro vestigium quoddam ejusdem Statuæ antiquissimæ, quæ Herculem referebat. Vidi summa diligentia Templum Vitali Martyri dicatum, in quo sunt multa Alabastra, & Columnæ magnificentissimæ. Hoc Templum, a Justiniano Bizantii Imperatore fuisse ædificatum accepimus. Is cum esset admodum Puer, & furorem concitata Plebis, quæ Justinum Imperatorem ipsius Patrem interfecerat, fugeret, ab ipsius Nutrice clanculum exportatus, Ravennam venit; qua in Civitate, cum apud Argentarium quemdam diu latuisset, Imperator est cognitus. Qua de re, ut Deo Opt. Max. pro tanto, & tam singulari beneficio gratias haberet, ædificari hoc Templum jussit, ad illius similitudinem, quod est Bizantii Sophiæ consecra-

(a) Ex sæpe memorato *De Cautione adhibenda* Opusculo novimus, Albertum Valerium Augustini Patrem, pro Veneta Republica, tunc temporis in Cypro Insula Magistratum gessisse; & ibi Luciam ipsius Conjugem, Augustini matrem, naturæ debitum moriendo persolvissè.

secratum (a). In ædificando hoc Templo incredibilem vim pecuniæ esse consumptam tradunt. Vidi sepulcra antiquissima Gallæ Feminæ (b) nobilissimæ; observavi etiam sepulcrum Dantis Poetæ Florentini, in quo, quamquam nihil antiquum erat, tamen mihi est visum observatione dignissimum, quoniam est hominis illius sepulcrum, qui certe fuit doctissimus, & de Hetrusca lingua optime meritus. Ferunt Dantem, cum in exilium a Florentinis missus esset, exulem Ravennæ obiisse. (c) Vehementer optabam videre illud Templum, quod appellant, Rotundam, in ipso enim, ut audio, nonnulla vestigia antiquitatis cernuntur, (d) sed id mihi non licuit; nam eo die fui aliquantulum occupatus, & sperabam inter eumdum, mihi fore commodum omnia diligenter observare. Sed forte fortuna, ante lucem eo die, equum conscendimus, & hac ratione mihi est ablata occasio videndi nobilissimi Templi, & animadvertendi quædam vestigia antiquitatis. Verum quoniam nihil præterea commemoratione dignum mihi contigit, & in omnibus fere locis in quibus, cum iremus, fuimus, redeuntes etiam divertimus, supervacaneum esse existimo referre rationem itineris. Mi Marine: ut tandem aliquando hunc Commentariolum absolvam, nobis jucundum esse debuit, vidisse hanc partem Italiæ, tot Oppida, tot Civitates, Romam denique ipsam; gratum esse debet observasse vestigia antiquitatis, vidisse vetustissima, & religiosissima Tempia, Pontificem Maximum, Cardinales, & tot præstantes Viros, quos vidimus. Sed certe nobis nihil debuit esse gratius, nihil jucundius, quam cognovisse præclaram quamdam, Italiæ, & bonorum omnium, erga nostram Rempublicam, voluntatem. Quod quidem nobiscum sæpe cum animis nostris

(a) Per magnificentum sane hoc Templum, anno 541. ædificari ceptum, & XIV. Kal. Maii 547. consecratum; exacte describit Hieronymus Rubeus Historiæ suæ lib. 3. An vero Justiniano Imperatore mandante, vel Juliano potius Argentario, viro ditissimo, promovente, constructum fuerit, dubia res est; siquidem inscriptio, quæ in Porticu Sacræ illius Edis legebatur, habebat; *Julianus Argentarius ædificavit*; nulla facta Justiniani mentione. Item Procopius Rhetor Auctor cœvus in Libello, quem de Justiniani ædificiis edidit, altum servat, de tam celebri Templo, silentium.

(b) Gallæ, nempe, Placidia Theodosii Magni Filia, Constantii Uxor, & Matris Valentiniani, quæ cum insignis prudentiæ, & sanctitatis opinione migrasset e vita, in Sacello SS. Celsi, & Nazarii, non longe a Cassinensi Templo S. Vitalis tumultata fuit, ubi etiam, ut ajunt, miraculis claruit.

(c) His consonant, quæ scribit Rubeus lib. 6. nempe quod Dantes Aligerius Florentinus, insignis Poeta, Patria pulsus, prius Veronæ apud Scaligerum fuit, deinde in Germaniam, & Galliam profectus, postremo Ravennam se contulit, ubi Mense Quintili 1221. mortem oppetiit, & a Ravennatibus honorifice fuit donatus sepulcro, quod vetustate collapsum, Bernardus Bembo, Petri Cardinalis Pater, tunc inibi Prætor, Vir eruditissimus, instauravit.

(d) De hoc insigni Templo D. Mariæ sacro, quod Rotunda appellatur, audire præstat Rubeum lib. 3. dicentem: Theodoricum extra Ravennam Templum D. Mariæ sibi sepulcrum, dum viveret, condidisse; quod tamen alii Amalasuntæ ejus Filia acceptum referunt, putantes ab Justiniano Imperatore marmora ad id postulasse. Ejus Templi tota testudo, sub qua viginti Sacerdotes residere, & quidem commodissime possunt, unico lapide, eoque ingenti, & crasso, contegitur, fornicato. Impositum erat summæ Testudini Vas ex Porphyrite, in quo Theodorici Patris cadaver Amalasunta condiderat. Exterior circa testudinem duodecim Apostolorum Statuæ e majore eminebant, quarum bases supersunt adhuc, ex eodem Testudinis marmore extantes, in quibus insculptum legitur cujusque nomen.

Aris cogitantes, & supremo Deo Auctori pulcherrimarum rerum, maximas gratias habere debemus, & summo studio, at diligentia niti, ut non indigni divino beneficio, & tanta Republica esse videamur. Quod si consequi volumus, inter mortales, modestia in primis excellamus singuli, & universi necesse est, deinde ut sedulo demus operam, quæ ratione vel consilio, vel oratione, vel in jure dicendo illi ipsi Reipublicæ, quæ est apud omnes Gentes tantam auctoritatem consecuta, promissus. Hortarer ergo te, pro meo singulari erga te amore, si opus esset, ad honestatem, & gloriam. Quamquam quid est, quod ego Adolefcens alios hortor, cum ipse fortasse hortatione indigeam? Ergo excitemus nos invicem, ut Fratres, hoc est, ut ejusdem optimæ, & piæ Matris, quæ Patria nostra est, Filii. Recordemur nos esse Venetos, Sapientissimorum, & innocentissimorum hominum Filios, esse natos in optima Republica, vivere in pulcherrima Civitate, præclaras leges, & divina instituta a Majoribus nostris, nobis fuisse tradita: nos solos in Italia, ita volente Deo, frui jucundissima libertate, & honestissimo ocio; nos nemini, nisi legibus parere; patere nobis aditus ad amplissimos honores; posse demum nos Venetos, commodius quam reliquos omnes, qui nunc sunt, Christum Deum, ut decet, pie colentes, beatam, & tranquillam, dum in hac luce sumus, vitam agere, & denique ævo illo, ad quod omnia referre debemus, frui sempiterno. Hæc si cogitabimus, nihil unquam injuste faciemus, neminem contemnemus, accipiemus humaniter omnes, discemus quotidie aliquid ex Veterum libris, peregrinabimur aliquando, & demum pro Republicæ nostræ amplitudine nullum vel maximum periculum recusabimus. Scribebam hunc Commentarium in ipso itinere, dum prandium, & cæna appararentur. Eum Hermolao Fratri tuo, quem certe, ob ingenii suavitatem, morumque probitatem, mirifice diligo, velim ut legas.



BERNARDI NAUGERII

PRO VENETORUM REPUBLICA

ORATORIS AD PAULUM IV. PONTIFICEM MAXIMUM

NUPER ELECTUM

GRATULATIO.

Si præsentem totius Christianæ Reipublicæ statum ante oculos nobis ponimus, non in iis modo rebus, quæ ad religionem, & verum Dei cultum attinent, sed in iis etiam, quæ ad mores, & communem omnium pacem, atque ocium spectant; quibus certe duabus rebus, non ea tantum, si qua est in hac vita, adumbrata felicitas, continetur, sed ad veram, & ad solidam gloriam, ad quam nati sumus, consequendam aditus sit facilior, & via latior; non difficile sane erit, Beatissime Pater, judicare, quantam omnes voluptatem ceperint, quod tu, Homo longe omnium, qui nunc sunt, optimus, ac sapientissimus, ad altissimum Pontificatus gradum ascenderis. Etenim cum perpetuis bellorum tumultibus, quibus universus pene terrarum Orbis jampridem affligitur est (a) finis aliquando, aut saltem aliqua ab armis vacatio necessaria putaretur, & impiis, gravissimisque erroribus, quibus multorum mentes imbutæ, a vetere pietate christiana longius in dies aberrant (b) remedia essent acriora adhibenda; omnes sic existimant, te in tanta rerum omnium perturbatione a Deo O. M. in augustissima ista sede fuisse collocatum, ut sedatis omnibus discordiis, & extinctis veteribus odiis, bonarum rerum alumnæ pacem, hæreditatem nempe illam, quam Christus non suis modo Discipulis, sed omnibus, qui cum secuturi erant, hinc abiens reliquit, mundo dares; (c) simulque illorum animos, quos obiecta

(a) Eo siquidem ævo Suleimanus Turcarum Imperator Persidem hostiliter impetivit. Temisvarium Arcem Daniæ munitissimam expugnarunt Turcæ. Dissidentes in Ungaria Tutores Stephani Regis adhuc Pueri, alii Turcarum auxilium impetrarunt, alii Ferdinandi Romanorum Regis ad opem confugere. Sinanes Turcica Classis Præfectus Augustam Siciliæ incendit, mox Gaultas, octo mille passibus a Melita distans invadit, tandemque Leptim in Africa Jerosolymitanæ Religionis Oppidum ad dedicationem compellit. Carolus Cæsar Senis Arcem construit, Parmamque, & Placentiam subiicere nititur. Farnesii, opem Regis Galliarum implorant; Romanus autem Pontifex Cæsari sedere iungitur. Hinc acre inter utroque in Italia jam imminens bellum; jam Galli Duces, Neapolitani Regni occupandi consilium ineunt, & Corsicam aggressi totam pene Insulam in propriam redigunt potestatem; Ferdinandus autem Ducia felici Marte potitur.

(b) Lutheranam, & Calvinianam, aliasque eo Sæculo ex Orco erumpentes Hæreses, his verbis indicat, quarum virus nedum Germaniam, & Galliam, ubi prodire, occupaverat, verum & in Helvetiam, Angliam, Scotiam, Lituaniam, Daniæ, Borussia, Finitimisque regiones sese panditam effuderat, imo & illarum semina in Italiam asportata fuisse, suspicio erat.

(c) Hæc Reipublicam nostram in votis scapæ habuisse, ex eo constat, quod per Cæso-

obiecta liberioris vitæ species, de vero pietatis itinere detorsit, in meliorem viam deduceres. Præclara, eximia, vel, ut rectius dicam, divina prope omnia desiderabantur in eo homine, qui utrumque præstare posset; summa iustitia, incredibilis temperantia, admirabilis demum humanarum, & divinarum rerum cognitio; quarum illustrium virtutum singulæ ut ornare vel amplissimum quemque Virum consueverunt, ita in unum perraro, aut vix unquam cecidisse accepimus; & tamen omnes in te esse, Sanctissime Pater, magna cum omnium admiratione, notius est omnibus, quam ut a me hoc loco dici necesse sit. Cum his conjuncta sunt ea omnia externa adiumenta, quæ ad gerendas res maximas, non parum ponderis habere, sapientissimi Viri senserunt; cujusmodi sunt nobilitas Patriæ, Generis splendor (a) Majorum gloria, ætatis gravitas (b) & tota corporis species, digna, ut ille ait, Imperio. Ad quæ omnia accedit auctoritas tanta, quantam affert Pontificatus, qua nulla potest esse in terris major dignitas, nullus Cælo propior locus; ad quem non vi, aut libidine imperitæ multitudinis pervenisti, neque ad eum tibi per multorum sanguinem viam aperuisti, sed Dei Opt. Max. bonitate, & iudicio gravissimorum hominum es adeptus, ut præclarum sane hoc optimorum, & sapientissimorum hominum de te iudicium, vel maximum præstantissimarum tuarum virtutum testimonium esse videatur. Et profecto ita est: loci istius splendor tuis innumerabilibus virtutibus jamdiu debitus, in hæc tempora divino consilio est reservatus. Nam si nasci quotidie videmus aliquem, qui labentem unam Familiam, tum cum maxime eget, sustineat, vel jam collapsam restituat; si quod de privata domo dixi, idem in singulis Civitatibus, idem in Imperiis facere consuevit clementissimus Pater Deus; quis est qui non intelligat, præstantissimum Cardinalium ordinem, penes quem tanti muneris demandandi potestas est, Sancto Dei Spiritu afflatum, sibi ipsi, & reliquo Gregi Christiano cum Pastorem, & Moderatorem præesse voluisse, quem unum præsens temporum ratio maxime exoptabat. Confidunt enim omnes, freti consilio illo tuo, prope divino, quod variis tibi rerum usus peperit, summa tua auctoritate, incredibili sapientia, hoc est, ut ego interpretor, Sacrarum literarum perfecta cognitione, ac, ut breviter dicam, te Pontifice Maximo, lucerna nimirum illa non sub modio posita, sed coram omnibus, nullum esse tam ardens bellum quin extinguere, nullam tantam discordiam quin componi, nullum tam magnum errorem quin evelli ex animis hominum possit. His de causis maximum, & iustissimum fuit, & esse debuit omnium, qui Christianam pietatem agnoscunt, gaudium. Nam si iis rebus gaudemus,

cum

Oratorem suum, Cardinalibus Venetis Pisano, & Cornelio, cæterisque Collegium componentibus significatum voluit, illi in suprema dignitate collocando esse deferenda suffragia, cui unum tantum publicum bonum cordi esset, & Italia pax; teste Andrea Mauroceno Historiæ suæ lib. 7.

(a) Neapolim Patriam habuit, ex perillustri Caraffa Familia ortus.

(b) Octoginta ætatis annos jam tunc numerabat; natus siquidem erat, non quidem 1466, ut Typographi fortasse mendo, legitur apud Ciacconium; sed anno 1476. ut ex aliis advertit Cl. Muratorius in Annalibus Tomo X.

cum jucundæ , & salutare nobis sese offerunt ; item si iis movemur , quas hujusmodi futuras opinamur ; & non solum nos afficit boni , & jucundi objecta species , sed spes quoque , & expectatio ; quid poterat lætius hoc tempore omnibus nunciari , quam te Pontificem Maximum esse declaratum , sub cujus statim initiis , ut conversa omnia in melius apparent , ita deinde majoribus bonis , & commodis sese perfrui posse , omnes sunt in spem certam adducti . Læti sunt igitur omnes , & maximas , ut decet , Deo gratias agunt , quod te Pontificem Maximum , difficillimis his temporibus , divinitus datum , habeant . Lætissima vero Respublica nostra propriis , & privatis multis de causis . Nam præterquamquod pacis illa semper studia coluit (a) , & sub Christi fide nata , pro ipsius defensione nulla unquam pericula recusavit , nec est recusatura ; ita præterea conjunctam semper putavit dignitatem , & fortunas suas omnes , cum istius Sanctæ Sedis dignitate , & amplitudine , ut propterea difficillima bella suscepit . Tua vero , Sanctissime Pater , quæ omnibus nota esse voluisti , erga nos benevolentia , & paternæ caritatis indicia , quibus nunc etiam eo majora expectantur , quo latior sese offert occasio , de tui studiosissima Republica benemerendi , quem non in Civitate nostra afficere debuerunt ? Tenent adhuc memoriæ omnes , neque unquam oblivisci poterunt , quam pie nobiscum fueris , quam christiane , quam fortiter multorum afflictas , & dejectas mentes erexeris . Sunt adhuc multi , qui prædicant tua se doctrina eruditos , vitæ exemplo confirmatos , veterem hominem exutos , novum induisse , & ad tuorum morum imitationem sese totos conferrentes elaborasse , Dei clementia , & gratia implorata , ut quo propius possent ad summas tuas virtutes accederent (b) . Hæc parce dico , & vix attingo ; singularis enim tuus pudor prohibet , ne longius progrediar , & id mihi nunc non est propositum , excellentes ut laudes percurram tuas . Suo se illæ splendore semper ostendent , & gravissimi rerum nostrarum Scriptores eas mandabunt memoriæ hominum sempiternæ . Tuam ergo singularem erga nos humanitatem , nullo modo possum præterire , cum Tu , sæpe audientibus multis , palam dixeris , te de Reipublicæ nostræ dignitate , atque ornamentis , ita velle esse sollicitum , ut de Patria tibi carissima . Maximum igitur , & prope incredibile , Sanctissime Pater , fuit totius Civitatis gaudium ; quod si universa Respublica potuisset coram ostendere , tota sese ad pedes tuos effudisset . Id quoniam commode fieri non

(a) Id maxime paulo ante præstiterat , Julio III. Petri Sedem implente , dum Oratori suo Matthæo Dandulo in mandatis dedit , ut Pontificem studio omni , a bello avertere conaretur , pacemque aliis simul tempore Principibus , sive datis literis , sive missis Nunciis , suadere studuit .

(b) Paucis his verbis innuit , quod amplioribus alii ; Paulum nempe IV , tunc Joannem Petrum Caraffa , Roma bello , pestilentiaque vexata anno 1527. ab Augustino Amulio , Classis nostræ Præfecto , Venetias traductum , inibi cætus Clericorum , quos Theatinos vocant , cum S. Cajetano prima delineasse fundamenta , & per annos plures Civium nobiliorum familiaritate usum , Christianæ pietatis officiis sese totum in hac Urbe devovisse . Sic , inter alios , Maurocenus lib. 7.

non poterat, elegit hos Præstantissimos, & Amplissimos totius Civitatis Viros, qui adsunt, qui communi omnium nomine gratularentur, testarenturque, & omnibus noram esse vellent perpetuam & constantem Venetæ Reipublicæ, erga Sanctam Sedem istam, obedientiam. Te nos, verum Christi Vicarium confitemur, tuam in terris maximam esse potestatem, tua nos consilia secuturos pollicemur, & demum te, tanquam optimum, & Sanctissimum Patrem, omnibus pietatis officiis obsequentes Filios, profecuturos. Libenter prædicamus, nos nulla unquam labe corruptos fuisse, pium Dei cultum, & Sanctæ Ecclesiæ præcepta a maioribus nobis tradita, & tot Sanctissimorum hominum decretis confirmata, inviolata servavisse. Perditæ, & exitiales, de rebus toties rejectis, opiniones, ne in fines nostros invaderent, maximam dedisse operam; quod quidem etiam in posterum summo studio, ac diligentia curabimus (a). Ac ut de me etiam aliquid dicam, qui Patriæ jussu, apud te, Beatissime Pater, Legatus futurus sum (b), hoc in mandatis unum habeo, ut avitam Majorum nostrorum, quam etiam Posteris relicturi sumus, erga Romanos Pontifices observantiam, non conservem modo, verum etiam, si fieri posset, adaugeam. Id quantum in me erit, ut præstem enitar, Sanctissime Pater, & mandata Reipublicæ meæ curabo diligenter, & si qua in re peccatum erit, a me erit. Neque tu tamen hanc ob causam, de summa tua erga Rempublicam, ni Patriæ me amor fallit, optimam, & maxime piam, benevolentia, & paterna charitate, remittas aliquid. Atque, ut precatione, non opportuna modo, verum etiam necessaria, mea claudatur oratio, Opificem ergo illud hujus Mundi, Auctorem optimarum omnium rerum, & omnium Mortalium clementissimum Patrem Deum precor, & magnis precibus oro, ut tua omnia consilia fortunet, præclaras, de altissimis rebus, omnes tuas cogitationes dirigat, & te longissimam, & beatissimam velit in isto Pontificatu vitam agere; ut qui illius justitiæ severitatem, propter errata nostra, superioribus annis experti sumus, ejusdem clementia, quam nobis nuper ostendit, cum te excelso, & sublimi isto in loco, nos intueri, & venerari voluerit, quamdiutissime recreemur. Quod precor nunc audientibus omnibus, precabor sæpissime; & vos, qui interestis, pro communi omnium utilitate, ut sine intermissione precemini vehementer hortor.

AUGU.

(a) Novissimum, puto, his verbis indicare voluisse decretum Decemvirum, quo cautum fuerat, ne Hæreses, quæ sensim reptando Regiones plurimas occupaverant, Civitates etiam, quæ Venetum dominium sentiebant, invaderent; jussuque ut ejus criminis Rei districte punirentur. Qua de causa, tum Julius Pauli Præcessor, tum Cardinalium Collegium egregiis laudum præconiis Reipublicæ religionem, atque pietatem plurimum commendarunt. Vide Maurocenum cit.

(b) Dominico Mauroceno, Romanam legationem agenti, susceptus.

AUGUSTINI VALERII

DE VENETÆ REIPUBLICÆ LAUDIBUS,

AD ALOYSIUM CONTARENUM.

HOcæ, quod de Reipublicæ laudibus inscripsit, Opusculum, & Aloysio Contareno, tunc lectissimo Juveni, postea Equiti præstantissimo, nuncupavit, nondum ex adolescentiæ terminis egressum edidisse Valerium, testatur ipse in Epistola, quam infra dabimus ad Bernardum Naugerium, Romæ pro sua Republica Legatum agentem. Ait enim: *Scripti adolescens librum de Reipublicæ nostræ laudibus &c.* At quo præcise anno id ipse præstitit, ex notis, quibus in Codice, quo usi sumus, libellus caret, deprehendi minime potest. Acu tamen, ut ajunt, res tangitur, si ea perpendantur, quæ ille in altero suo habet Opusculo: *de Cautione adhibenda &c.* Cum Sapiens, ait, *Ordinum essem, cum legissem Panegyricum Isocratis, & considerarem amorem, quem in Patriam, egregius ille Philosophus, & Orator magnus ostendit, elegantissima illa oratione commotus sum valde, & ad illum imitandum excitatus, & ea qua dixi etate viginti quinque annorum, aggressus sum scribere Panegyricum Reipublicæ Venetæ &c.*

Nemo est, Optime Aloysi, tam expers judicii, vel tam inimicus Veneto nomini, qui de nostra Republica cogitans, quæ nunc una, non modo in Italia, verum etiam in toto Orbe terrarum, sanctissimis legibus temperata, jucundissima libertate fruitur, secum ipse tacitus, priscorum Venetorum summam sapientiam non admiretur, & nos, qui ad hanc Rempublicam administrandam, & ad Majorum nostrorum gloriam augendam, nati sumus, omnium, qui nunc sunt, beatissimos, & Deo carissimos esse, non existimet. Mille centum, & triginta anni numerantur, ex quo Veneti Rempublicam constituerunt (a); per totum id tempus uni Christo, salutis nostræ auctori, quem semper castissime coluerunt, & legibus pro salute Reipublicæ constitutis, obtemperaverunt, præterea nemini. Nunc autem omnibus bonis affluens Respublica stat, & ita est optimis institutis, æquissimisque legibus stabilita, ut neque everti, neque mutari aliquo modo posse, videatur. Summam in Urbe Veneta libertatem, magnam observationem legum, incredibilem inter Cives benevolentiam, & familiaritatem, cum maximo pudore, & singulari modestia conjunctam, prædicandam Majorum nostrorum innocentiam, & vitæ integritatem, maximum usum rerum, & summam prudentiam, justitiam, continentiam, frugalitatem, pietatem in primis erga Summum Deum, omnes Gentes admirari potuerunt; quibus maximis virtutibus est factum, ut illo in primis, sine

S 2

quo

(a) Si semel consistat annorum calculus, quem ex ipsius Valerii verbis institui-
mus, nullo negotio deprehenditur illum Reipublicæ primordia alligasse ad annum
circiter 426, ab eo enim, usque ad 1556, quo hæc scripto tradebat, fane mille cen-
tum, & triginta anni intercessere. Hæc autem Valerii sententia, si accedat omni-
no, saltem nec nimium abest a Sabellici, aliorumque opinione, qui dicunt, prima
Urbis nostræ jacta fundamenta fuisse, non post eversam a Barbaris, Attila Duce,
Aquilejam, conterminasque Regiones, sed potius circa annum 421, quo tempore Hun-
nici belli fama percrebrescente, captum est in Italia trepidari.

quo nihil præclarum, nihil pulchrum fieri potest, adiuvante Deo; hæc Civitas ad tantam amplitudinem pervenerit, ut omnibus bonis abundans, beata Civitas, Deo Opt. Max. carissima dicatur esse; & demum, ut Respublica, quæ omnes, quæ unquam fuerunt, & quas sapientissimi homines sibi effinxerunt, & sanctissimis decretis, & optimis legibus, non modo ad diuturnitatem Imperii, verum etiam ad beatitudinem illorum, qui ipsius Imperio parent, sit constituta. Quæ cum verissima sint, & à multis optimis, & gravissimis Viris sæpissime prædicari, magna cum mea voluptate, audiverim usque a puero, putavi pertinere ad eum Civem, qui hujus Reipublicæ sit amantissimus, de Republica, & Majorum nostrorum laudibus copiose scribere. Idque, duabus potissimum de causis, faciendum esse putavi; tum ut omnes, qui ubique terrarum sunt, intelligant hanc Rempublicam esse dignissimam, quæ ab omnibus ametur, & pro cuius salute, & amplitudine, omnes mortales, summo Deo, vota faciant; tum maxime, ut commemoratione maximarum virtutum, quæ in Majoribus nostris fuerunt, nos, qui hæredes præclaræ hujus Reipublicæ sumus relictæ, domesticarum virtutum exemplo, ad honestatem, & ad gloriam ita contendamus, ut non indigni tanto patrimonio, videamur. Sed non ignoro, quod a nonnullis, qui aliorum industriam libenter reprehendunt, dici possit: nimirum non esse difficile Venetiis, Veneto Civi, Venetam Rempublicam laudare. Quod cum nonnullis videatur facillimum, ego certe non ita facile esse, existimo. Etenim & vetustatem plurimum plerique colimus, & ea quæ scribuntur a Veteribus Scriptoribus, quamquam sint deterius instituta, magis tamen, nescio qua de causa, quam nostra admiramur. Quo fit, ut libentissime Lacedæmoniorum, Atheniensium, Macedonum, Cretensium instituta commemoremus, & laudemus. Nempe vitium est institum omnibus hominibus, præterita ut laudent mira cum voluptate, præsentia vituperent, ut cæteris sapientiores habeantur. Accedit hoc magnum incommodum, quod multa, quæ præclara sunt in nostra Republica instituta, & quæ plerisque afferunt admirationem, nos qui quotidie ea videmus, & vetere institutione in iis educati sumus, ne digna quidem putamus, quæ commemorentur. Quare vel ornatissime, & elegantissime ea, quæ nota sunt omnibus, explicare oportet, ut orationis splendore, & gravitate sententiarum trahere possint homines in admirationem; vel leges, & præclara Majorum nostrorum instituta, quæ ignota sunt cæteris Civibus, ex Annalibus, & ex Historiis antiquissimis in medium sunt afferenda; quorum utrumque esse difficile, nemo negaverit. Verum enimvero, jure optimo, aliquis posset dicere: non esse cuiusvis hominis de tanta Republica scribere, requirri ingenium, iudicium, cognitionem antiquitatis, & maximam scientiam administrandæ Reipublicæ. Scripsisse senem admodum, de Atheniensium Republica, Isocratem Oratorem, summum, & maximum Philosophum, atque ea in re decem annos consumpsisse. Quibus hominibus ego sic respondeo: me quidem agnoscere, quod in me sint omnia ea, quæ ad præ-

cla-

clarum hoc opus perficiendum requiruntur, exigua; tamen tantam diligentiam, tantum, & tam vehemens studium hac in re posuisse, ut non desperem, me esse superaturum tenuitatem ingenii mei, & omnino mandaturum literis aliquid, de præstantissima, atque optima Republica, a paucis antea excogitatum, & quod illis, qui nostrum hunc libellum legent, voluptatem aliquam sit allaturum. Et quamquam Adolescens fortasse, de me ipso magnifice nimium loquor, & ea polliceor, quæ præstare nullo modo potero, tamen sic volo, & sic peto omnibus, ut si de Republica nobilissima, & florentissima nihil novum, nihil præclarum, nihil nisi commune, & omnibus notum, scripsero, ut primum hoc opus, in quo certe summam diligentiam adhibui, & quod Viris doctis probari maxime vellem, deinde ingenii mei tarditatem, qui nihil summo studio consequi potuerim, palam reprehendant, atque vituperent. Cum primum aliquid cogitare potui, nihil vehementius cogitavi, quam qua ratione præclarum, & difficile hoc opus absolverem. Idcirco omnes Scriptores, qui Venetorum res monumentis literarum tradiderunt, studiose, & diligenter legi, atque præstantissimorum Virorum, qui in nostra Republica & virtute, & auctoritate præstant, sermonibus sæpe interfui, eosque de tota Reipublicæ ratione, non semel disputantes audiui. Ergo quamquam ad Rempublicam nondum accessi (a) cum mihi nihil sit Republica carius, peto, ut in ipsius, & majorum nostrorum laudibus mihi liceat versari, & hac lege, peto mihi liceat, ut cum ætate processero, & ad Rempublicam me contulero, copiosius, ornatus, & si fieri etiam poterit, diligentius, si quid prætermisissimum videbitur, denuo optimæ Reipublicæ, Patriæ meæ, præstantissimas, & verissimas laudes persequar. Hæc de me.

Quod autem ad Rempublicam Venetam attinet; cum mecum diligenter considero, considerare autem id consuevi sæpissime, situm, & pulchritudinem Urbis, in qua est domicilium Veneti Imperii, rerum copiam, non modo ad usum vitæ, verum etiam ad voluptatem, quæ in hanc Urbem importantur quotidie; deinde rationem divinam, nec observatam ab aliis, nec a summis Philosophis excogitatam, administrandæ Civitatis; postremo tranquillam, & beatam vitam, cum illorum, qui præsunt, tum maxime illorum, qui parent huic Reipublicæ, plane intelligo, incredibilem quemdam Dei esse amorem in Venetam Civitatem;

(a) Minime cohærere posse videbuntur fortasse, ea, quæ hic scribit Valerius, iis, quæ ex ejus: *De cautione adhibenda* libello, mox prænotavimus. Ibi enim expresse ait: se Opusculum hoc de Reipublicæ laudibus lucubrasse: *cum Sapiens Ordinum esset*; quod munus ineunte nonnisi anno 1556. gerere cepit. Hic vero se id præstitisse asserit: *cum nondum ad Rempublicam accessisset*; imo lucubrationis hujus non longe a fine, Petrum Franciscum Contarenum inter præclaros viventes Viros recensens habet: *qui nunc est hujus Urbis Patriarcha*. Certo autem certius est, Contarenum per sexdecim duntaxat Menses, a die nempe 21. Augusti 1554, ad 25. Decembris 1555. Præsulatum gessisse; unde colligi indubitanter deberet, intra dicti temporis spatium, hæc scriptis Valerium mandasse. At componi forte res posset, sentiendo: cum manum quidem operi admovisse priusquam accederet ad Rempublicam, & adhuc Contareno superstiti; illud vero ad umbilicum non perduxisse, nec fecisse Amicis commune, nisi postquam Sapiens Ordinum jam fuerat electus.

rem; majorem in priscis Venetis, & in nostris Patribus, quam quondam in Lycurgo, in Solone, in Numa Pompilio, & reliquis, qui sapientissimi Legum latores sunt dicti, fuisse prudentiam; & demum cum Genus hominum nullum sit, in quod majora, & illustriora præpotentis Dei, quam in Venetos extent beneficia, ita nulli homini, magis quam Veneto cuiquam, esse elaborandum, ut in omni genere laudis excellat, recte administret Rempubicam, denique ut omnibus documenta ad bene, beateque vivendum, afferat. Ac ut omnia ordine persequar: de situ primum dicam admirabili hujus Urbis. Tria sapientissimi homines optant in ea Urbe, quæ possit commode vivere, & dici cæteris impere: cæli temperiem, ubertatem, & copiam omnium rerum, quæ sunt ad tuendam vitam necessariæ, postremo eum situm, ut oppugnari difficillime, defendi autem ab impetu Hostium facillime possit. Quæ omnia commode ita huic Civitati ceciderunt, ut Urbs, non ab hominibus condita, sed divinitus fundata esse videatur. Etenim fluxus, & refluxus aquarum, liberi, & aperti Ventorum flatus, efficiunt Cælum saluberimum; cujus rei nullum argumentum afferri potest certius, quam magnus Senum numerus. Quot enim Venetiis sunt, septuaginta, & octuaginta annos nati? Qui in nostris Patribus sunt vultus? quæ proceritas? qui color? quæ demum in multis gravitas, & majestas? Infantes qui quotidie nascuntur fecunditatem, fecunditas Cæli temperiem, Cæli temperies Dei erga nos benignitatem, apertissime testatur. De rerum copia, non est necesse plura dicere, præsertim cum nemo sit, qui ignoret Venetam Urbem multitudine Mortalium, qui eam incolunt, & varietate mercium, Emporium Europæ, vel potius parvum quendam Mundum dici posse. Nullos fructus, quandoquidem in aquis est sita, hæc admiranda Civitas, fert, nullos tamen desiderat. Agros vicinos admodum habet, fertilissimos, & fluminum.... varietate commodissimos, qui quidem, quamquam sint feracissimi, vel uno tamen mense, multitudinem hominum, qui in hac Urbem conflunt, alere non possunt. Agri Venetorum hominum sunt, & fuerunt semper Naves, quibus ex Græcia, ex Sicilia, & ex cæteris longinquis Regionibus, tantam vim Frumenti in hanc Urbem importare quotannis consueverunt, ut semper multo vilior Venetiis, quam in reliquis omnibus Italiæ Civitatibus fuerit annonæ. Jam vero, de situ, multa essent dicenda, sed unum hoc tantum dicam, quod est verissimum, & quod quicumque Venetias semel venit, semper prædicat: eo in loco esse hanc Urbem sitam, ut nullus sit tantus numerus Militum, nullum tantum robur, nulla tam excellens, in Imperatore, rei militaris scientia, quæ, non dico, expugnare hanc Urbem, sed ne oppugnare quidem, ulla ratione possit. Et profecto si quis diligenter hanc rem consideret, is facile cognoscet, Dei Opt. Max. consilio, priscos Venetos majores nostros in has insulas venisse, ut Urbem præstantissimam sedem orbis terrarum, in qua Deus ipse sanctissime coleretur, dignitas, & splendor Italiæ conservaretur, ædificarent. Has ob causas existimo, Templorum magnificentia, Ædificiorum pul-

chris

chritudine, rerum quæ ad ornatum, & splendorem adhibentur, varietate, antecellere hanc Civitatem, reliquis omnibus. Nimirum divino consilio instituta est, erevit, & conservatur hæc Respublica. Reliquæ omnes, quæ monumentis literarum celebrantur, hoc unum studebant maxime, ut augerent Imperium, ut Vicinas superarent, & demum summam in bello laudem sibi compararent. Hinc dissensio inter Lacedæmonios, & Athenienses, quæ libertatem sustulit e Græcia, & Alexandrum fere totius Græciæ Principem constituit. Hanc ob causam Romani homines, cum nullam aliam immortalitatem sperarent, quam famam, & gloriam, multa bella gesserunt, eximia quadam virtute, magnis periculis se objecerunt, imperium propagaverunt; quod quidem, suprema Deus, paucorum ambitione, quam cito, & quam misere concidit! Verum hæc fuit origo calamitatum; Deum Opt. Max. non agnoscebant Respublicæ; quæ fuerant, non intelligebant ad quem finem Civitates conderentur, bellum amabant nimium; pacem, quam Deus intulit in mundum, & eis, quos amat, reliquit, oderant. Iccirco in iis seditiones sæpe exortæ sunt, Respublicæ status mutatus, & demum singulæ sunt everse. Majores autem nostri, qui in hæc loca se contulerunt, non ut imperarent cæteris mortalibus, sed ut libere, & honeste viverent, Deum Opt. Max. colerent, & sibi, Filiis, & omnibus Christianis tutissimum locum, veluti portum, in quem impiorum hominum crudelitatem fugientes, se possent recipere, florentem Rempublicam diuturnitate imperii, & sanctissimis legibus, reliquis omnibus anteponendam, reliquerunt. Et profecto ita se res habet: Origine, & principium optimarum omnium rerum; est pietas, & cultus divinus, hinc justitia, patientia, fortitudo, temperantia, modestia, & reliquæ omnes virtutes, quæ ad conservandum imperium requiruntur, tanquam ex fonte, manant. Hac pietate cum præstiterint Majores nostri, in omni virtutum genere excelluerunt, in rebus adversis summam constantiam, in prosperis incredibilem moderationem ostenderunt; defenderunt libertatem contra potentissimos hostes, Imperium auxerunt, & demum eam Rempublicam, quæ tandiu duravit, quamdiu nulla alia, & videtur ad æternitatem duratura, Posteris tradiderunt. De cujus præclaris institutis, cum sit dicendum, mihi quæ sit propositum, firmissimis argumentis probare illud, quod in ore omnium est, multo melius, & sapientius Rempublicam Venetam, quam cæteræ omnes, fuisse constitutam. Rem difficilem certe aggredior; quis enim speret, sapientiam Majorum nostrorum, oratione consequi posse? Equidem illud, quod a plerisque usurpatur, nunquam probare porui: satius esse nihil, quam pauca de præstantissimis rebus dicere; imo summo studio conandum esse existimo, ut excellentibus virtutibus, qui tribui possint, honores tribuantur. Etenim, mea sententia, iniquum admodum est, quod aliqua in re quædam insint, quæ satis laudari non possint, iccirco laudatione omnino defraudari: Sed dicet aliquis: Quis vituperat Rempublicam Venetam? Nemo sane hac tempestate, vel est ita amens, vel tam perverso ingenio ut præstantissimam, & florentissimam

Rem-

Rempubicam ausit vituperare. Verum mediocri laudatione non sumus contenti. Illud contendimus, quod paulo post probabitur a nobis, in cæteris Rebuspublicis; quæ fuerunt, ut exitus ipsarum etiam apertissime demonstravit, pleraque fuisse pessime instituta, ita ut seditiones sæpe ortæ sint, status mutati, & singulæ sint collapsæ, & interierint; in hac autem Republica, nihil non esse sanctissime institutum, nihil non ad diuturnitatem Imperii, & felicitatem omnium, qui Veneto nomini parent, excogitatum; quamobrem evenit, ut neque ullæ in hac Republica seditiones fuerint, neque ullo modo existere posse videantur. Sed ut altius, hoc est unde oportet, exordium summam: nemini dubium est, homines iccirco in unum locum convenisse, & Civitates constituisse, ut se, vitamque tuerentur, deinde ut bene, beateque viverent; quod ut consequantur, & legibus, quas ipsi, pro salute publica sanxerunt, pareant, & unum, vel plures, ad quos pertineat, leges, sine quibus nulla Civitas, ne parvo quidem tempore, stare potest, observare agnoscant, necesse est. Hanc ob causam, si quem videbant prisca illi homines, Virum bonum, præclaro ingenio, acerrimo iudicio, prudentia quadam singulari præditum, ei libentissime parebant, ipsiusque consilia, tanquam salutaria, sequebantur. Qui præerat omnibus dicebatur Rex, Pater, Tutor, & Pastor populorum, qui de suis commodis nihil cogitans, omnia ad singulorum, quibus imperabat, utilitatem referens, Dei cujusdam in terris imaginem referebat & iccirco Rex, aliquando, donum divinum, aliquando Dei imago, est appellatus. Sed cum propter imbecillitatem, & infirmitatem humanam, difficillimum sit invenire hominem, qui cum omnia possit, nihil tamen velit, quod non deceat; quin potius plerumque usuveniat, ut qui summam potestatem habet, is fiat iners, incontinens, & contumeliosus, propterea, cum nonnulli invenirentur in Civitate & ingenio, & virtute pares, Regem non tulerunt, & Optimatum Rempubicam constituerunt. Et profecto, si quis diligenter rem totam perpendat, multo melius est Civitatem regi consilio multorum, quamquam ii non sint perfecti homines, quam unius, qui videatur omnium Mortalium optimus, & sapientissimus. Etenim & periculosum est, ne cum unus posset omnia, quæ vult, tandem aliquando velit injusta, & cum unus sit Princeps, ne odio, invidia, ira, aut malevolentia commoveatur. Præterea cum unus omnia providere, de omnibus consulere, omnibus rebus interesse non possit, dubitandum est, ne Assentatores, & callidi homines, qui in animum ipsius illabantur, omnia munera publica obeant. Ergo, ut dixi, rectius gubernatur ea Civitas, in qua, veluti optimi custodes legum plures sunt constituti, quam ea, quæ ex unius tantum nutu pendet. Nam quamquam aliquis, si cum aliis conferatur, dici possit optimus, accidit tamen vitio naturæ, ut perraro cum summo Imperio, temperantia, justitia, & reliquæ virtutes diu conjungantur. Sed cum homines a recta ratione deflexissent, & quæstui Rempubicam habere cæpissent, tum status paucorum ortus est, qui sæpe in Tyrannidem, Tyrannis vero plerumque in popularem, hoc est,

est temerariam administrationem est versa. Majores autem nostri, qui Rempublicam Optimatum constituerunt, & ea omnia, quæ aliis Rebus-publicis commodum, & splendorem afferunt, in hanc transtulerunt, & demum, qui novum quoddam genus gubernandæ Reipublicæ excogitarunt, nonne summa quadam admiratione sunt digni, & merito & vocibus omnium, & monumentis literarum sunt celebrandi? Libertas desideratur ab omnibus, nihil est libertate suavius, nihil jucundius, nihil quod natura magis omnes appetant. In hoc est posita libertas; ut unusquisque possit vivere ut vult, in iis versari studiis, quibus delectatur, ut a nemine afficiatur injuria, Uxoribus, Filiis, Possessionibus, cum iis, quæ ex patrimonio ad eos pervenerint, tum iis, quas industria sibi aquisiverint, fruatur. Quo quidem maximo bono, omnes, qui parent Veneto imperio, beatissimi, jure optimo, existimantur. In hac Civitate parere omnes coguntur legibus, ne contra Principem quidem omne judicium claudatur, licet obscurissimo, & pauperrimo cuique, nobilissimum, & potentissimum vocare. Quod autem pertinet ad inferendas injurias, quo quisquam nobilior est, ditior, & Civibus gravior, eo gravius, & acerbius ipsius errata, more majorum, puniuntur. Sed nescio quo pacto, ubi nomen libertatis colitur, plerumque fit, ut summa, qua deteriores omnes sumus, nascatur licentia; quod malum ne serperet, Majores nostri sapientissimi homines, providerunt; & in primis Plebem, a qua plerumque seditiones oriri consueverunt, a publica administratione removerunt, deinde sanctissimis legibus Rempublicam temperaverunt, quibus illi in primis, qui a publicis muneribus vacant, obtemperantes beatissime viverent, & ii, qui ad regendam Rempublicam sunt nati, cognoscerent se, veluti Patresfamilias ad magnam quamdam Domum administrandam, non ad Civitatem pulcherrimam ex libidine regendam, esse natos. Quamobrem & Magistratus quamplurimos constituerunt, qui veluti legum observatores essent; nullius rei penes unum potestatem esse, nullum, qui maximam auctoritatem haberet, nisi brevissimum Magistratum statuerunt. Difficile est invenire hominem, qui sit dignus Imperio, & si is, summo Dei beneficio, aliquando invenitur, difficillimum est, ut sibi similem Filium, & Successorem Regni, relinquat. Maximis, & innumerabilibus vitiis contaminata est humana natura, præsertim cum potest, quod vult. Accidit plerumque, ut quo in loco summa libertas fuerit, paulo post miserabilis servitus consequatur. Etenim ubi nulla, vel minima est legum auctoritas, & specioso hoc nomine libertatis, homines delectantur, astuti, & seditiosi, cupidi novarum rerum, adulantes multitudini, Imperiis potiantur. Pauci si præfint, plerumque metiuntur propriis commodis omnia, & eos, quibus imperant, præ nobilitate, & divitiis contemnunt; qua ex re seditiones nascuntur, & misere, hoc est in servitute, homines vivunt. O Majorum nostrorum summam sapientiam, cum prædicanda quadam bonitate conjunctam! Majestatem regiam, quoniam omni administrationum generi ornamentum attulit, intulerunt in hanc Rempublicam, quod tamen nomen

fugientes, Principem, hoc est unum hominem, qui de Republica optime esset meritus, & reliquos omnes Cives virtute anteiret agnoscere voluerunt; qua quidem ratione mirabiliter excitantur ad virtutem omnes Cives, & dignitas, & splendor florentissimæ, atque præstantissimæ Reipublicæ retinetur, cujus amplissimi loci tantam auctoritatem esse voluerunt, quanta, nulla ratione, Respublica detrimentum capere posset. Et quoniam nihil est tam infirmum, quam popularis, hoc est temeraria, administratio, ideo maximis beneficiis affecto populo, & multis propositis, illi ordini, præmiis, quorum participes, Nobiles Viri, nulla ratione esse possunt, Rempublicam in potestatem optimorum, & innocentissimorum posuerunt. Qua in re omitti non debet summa illorum iustitia, quod ita omnia temperaverint, ut Plebei homines æquissimo animo semper, Nobilium imperium tulerint, & Rempublicam summa quadam benevolentia sint prosecuti. Enimvero Patricii Viri, quamquam soli Respublicæ administrandæ laborem suscipiunt, libertatem, & jus commune cum omnibus esse volunt; Magistratibus, ipsi, annuis, vel semestribus, adiunctis vacationibus, plerumque sine emolumento ullo funguntur; munera publica, & ea quidem honestissima, non annua, sed perpetua summa cum utilitate, optimis, plebei ordinis, Viris demandant. Magnus est semper Plebeiis a Patriciis habitus honor, summa totius illius ordinis in Patricios charitas, atque observantia. Quæ res profecto, omnibus, qui Veterum historias legerunt, videri debet admirabilis, & maxime ad Patrum nostrorum moderationem celebrandam, pertinet. Cum ex unius administratione, & ex qua fulget splendor, & populari, in qua nihil est laudabile nisi libertas, in Rempublicam optimorum, maximum, sine ullo periculo, aut fastidio, splendorem, & maximam, sine ulla licentia, libertatem, Majores nostri intulerint, ut ipsorum sapientia, plane divina, cognosceretur ab omnibus, nihil aliud requirebatur, nisi ut sic temperarent Optimorum Rempublicam, ut in paucorum Statum, qui secundum Tyrannidem est deterrimus, mutari nulla ratione posset. Quod cum secum cogitassent; iis legibus hanc Rempublicam stabiliverunt, eos Magistratus instituerunt, ut nullus tam malus, tam perniciosus Civis, nulla tanta Pestis hujus Reipublicæ nasci possit, quæ, non dico evertere, sed vix perturbare quietem publicam, queat. Et quoniam initia, & fontes omnium seditionum ii sunt, quod homines, cum in aliqua re pares sunt, se in aliqua re impares esse moleste ferunt, quod sint pares, & quod non cæteris præferantur, sic vetere instituto Venetorum comprobatum est, ut virtutis in primis, deinde ætatis ratio habeatur, Senibus, & innocentissimis, & præstantissimis Viris maximi tribuantur honores, in reliquis omnibus, reliqui sint pares. Quare & eadem veste omnes utuntur, & se invicem amice, & familiariter omnes Cives salutant. Qui clarioribus sunt orti Parentibus, & quorum Patres, de Republica fuerint optime meriti, ab iis expectantur summa omnia, exigitur summa virtus; quod si non præstent, contemnentur. Quoad divitias pertinet; illud quod de Sparta est dictum, convenit in nostram Rem-

Rempubicam: *Pluto divitiarum Deus & cæcus, & jacens servatur*; nam & nemo, si sit bonus, in hac Republica, pauper nascitur, & nemo fretus divitiis, ne minimum quidem Magistratum ausus est petere. Hæc, quæ a me dicuntur, comprobare possunt multis exemplis. Quot enim Principes hujus Reipublicæ habuimus, qui cum tenuissimum habuissent patrimonium, id, quamvis omnibus Magistratibus essent functi, immittunt Filiis reliquerunt? Et sane prudenter Aristoteles, qui optimam esse Rempubicam putavit, in qua multi essent mediocres Cives. Nam si omnes, qui in Republica versantur, sint locupletes, & fortuna nimium secunda utantur, parere legibus nec possunt, nec sciunt. Ubi autem tenues, inopes, & egeni omnes sunt, ibi existunt maxima scelera, invidia, malevolentia, & pleræque aliæ pestes, quæ funditus Rempubicam evertunt. Quare in Cælum tollendum est divinis laudibus Majorum nostrorum sapientissimum, & plane divinum institutum, longo usu, & consuetudine comprobatum, ut singuli, & universi Cives Veneti humanitatem, & comitatem incredibilem præferant, sibi omnes æquales esse prædicent, in nulla alia re spem adipiscendorum Magistratuum, præterquam in virtute, collocent. Et quoniam hæc, in primis solent esse causæ, cur Reipublicæ concidant, cum in Magistratibus gerendis homines sunt insolentes, & cum multi Cives contemnuntur; has occasiones perturbandæ Reipublicæ, Majores nostri sapienter sustulerunt. Ne insolentes essent, qui Magistratus gerunt, primum voluerunt, ut ab universa Republica, maximi quique Magistratus darentur, secundo loco, excepto Principe, & tribus Procuratoribus (a) ut reliquis Magistratibus succederentur; postremo, ut penes neminem summa esset potestas; de omnibus rebus vel ad Senatum, vel ad Consilia esset provocatio. Qua re est factum, ut honores assequantur plerique, ut testimonia virtutis, eisque ad perniciem Reipublicæ abuti mali Cives non possint. Et ne aliquis diceretur contemni, multa genera Magistratuum, qui tamen sunt omnes necessarii, instituerunt; & providerunt ut cuique ætati, & omni generi hominum aliquis esset in Republica locus. Socrates apud Platonem, legem tulit, quæ jubet Senatores quosdam deligi, qui per totum suæ vitæ cursum præsent Reipublicæ, & similitudine quadam, homines metallis comparat; ut enim aurum nobilius est reliquis omnibus, ita quosdam homines ad dandum consilium, & res præclaras nasci, nonnullos ad bellum, alios ad parendum existimavit. Quam sententiam Aristoteles reprehendit, & seminarium esse omnium seditionum,

T 2

arbi-

(a) Hæc Valerii verba, non ita accipienda censeant rerum Venetarum ignari, quasi nostris adhuc, vel illius saltem ævo, tres dumtaxat essent D. Marci Procuratores, quorum dignitas ipsorum vitam exæquat, & est omnium, si Ducalem excipias, splendidissima. Enimvero a die usque 25. Januarii 1442. Majoris Consilii auctoritate, ad novenarium numerum, paulatim, Procuratores excreverant; itaut unaqueque Procuratia, nempe de Supra, ut vocant, de Ultra, & de Citra, per tres Viros administraretur. Hinc cum tres Procuratores recenset Valerius, de triplici Procuratorum Classe intelligendus est, quarum quælibet ex tribus de Republica optime meritis Civibus constet. At legendus Senator Flaminius Cornelius Basilicam Marcianam illustrans, qua occasione argumentum hoc ex professo, pertrahat.

arbitratur; & meo quidem iudicio, sapientissime, nam unusquisque sibi multum tribuit, vel arrogat potius vitio quodam naturæ, & cum se despici videat, ad res novas adiecit animum. Nec solum Majores nostri sapientissimi homines, noluerunt ut Magistratus essent perpetui, sed quo magis omnes essent participes, & nulla existere seditio posset, iusserunt, ut quamdiu Cives functi essent Magistratu, tamdiu a publicis muneribus vacarent. Qua lege, quid poterat excogitari prudentius? Quid ad conservandam concordiam salutaris? Nam & libenter parent legibus, & Magistratibus omnes, cum sciant se esse etiam imperaturos; & modestissime præsumunt, cum intelligant se cito deposituros imperium, & si quid contra leges fecerint, posthac nullo in honore futuros, & acerbissimas pœnas duros. At mihi quidem sæpenumero hanc rem cogitanti, Majores nostri plane divinam rationem in constituendis Magistratibus, excogitasse videntur. Lacedemonii Ephoros (a) habebant, quo Magistratu, Deum immortalem! quid poterat esse perniciosius? Nam & homines imperiti omnium rerum, & admodum egentes, illum sorte Magistratum amplissimum consequabantur, cujus rationem nullam reddebant. Athenis, & apud Cretenses, perversa quadam ratione mandabantur Magistratus, Romæ uno mense omnes Provinciæ decernebantur; quo fiebat ut Ambitiosi, cum repulsas ferre non possent, interitum, & perniciem Reipublicæ machinarentur. Animadvertant homines, qui vetustatem admirantur, & colunt, quantum Veneti, eos, qui illas Respublicas instituerunt, iudicio, & sapientia superaverint. Illi plerosque Magistratus sorte tradebant, hi nullos, quoniam inscitiam esse putaverunt, Fortunam, quæ cum cæca sit, cæcos amplectitur, & ineptissimis favet, dominam, & arbitram constituere. Illi quinque Ephoros, vel decem Cosmos e sæce populi creabant, qui summam haberent rerum omnium potestatem, & a quibus nemini liceret, gesti Magistratus rationem exposcere. Majores nostri, ne Principem quidem, uno suffragio cæteros Cives antecellere, & esse immunem a reddendis rationibus, voluerunt. Lacedæmones, qui Senatores semel erant declarati, quoad vivebant, administrabant Rempublicam. Venetiis Senatores, qui honeste vixerint, & possunt prodesse Reipublicæ, singulis annis iidem creantur. Nolo in his immorari; multa enim essent repetenda, quæ quamquam admiratione dignissima sunt, quoniam tamen sunt nota omnibus hoc tempore, præmitto; præsertim cum præclarissima sint, ad quæ propero. Nonnulli apud Veteres, eum existimaverunt esse optimum Reipublicæ Statum, qui ex omnibus Rebuspublicis esset confusus; & ideo Lacedæmoniorum Rempublicam laudabant, in qua tamen, pleraque erant vitiose instituta. Species regni cernebatur in uno Rege, qui creabatur a Lacedæmoniis; in quibusdam, qui erant Senatores perpetui, paucorum potestas; in Ephoris, ut ipsi dicebant, Status popularis; revera autem odiosa, & miserabilis quædam Tyrannis. Illi qui laudabant Lacedæmoniorum

rum

(a) Ephori seu Ephori (ait Dufresne) ex Græco verbo, id est Inspectores. Præsides, cuiusmodi forte erant Ephori apud Lacedæmonios.

rum Rempublicam, si reviviscerent, Dii immortales! quibus laudibus nostram Rempublicam efferrent. Principem, nos Veneti, intuemur, & ob summam auctoritatem, veneramur. In Senatu decernuntur omnia, quæ ad bellum, ad pacem, & ad communem utilitatem pertinent, & in eo Optimorum Status cernitur, qui ne mutari possit ulla ratione, Decemvirum collegium necessarium, & maxime salutare huic Reipublicæ, fuit institutum, quo tanta est Reipublicæ auctoritas addicta, tantus iniectus malis, perniciosus hominibus, & de Deo male sentientibus, timor, ut nullo in loco rebus novis minus studeant Cives, & omnes passim tranquille magis, beateque vivant. Si autem popularis Reipublicæ est libere vivere, sortem aliquam adhibere in creandis Magistratibus, providere ne aliquis afficiatur injuria, quæ omnia faciunt, ut popularis Status laudetur, ea in hac Republica ita sunt, ut mixta ex omnibus bonis Rebuspublicis, divina quædam Respublica esse videatur. Ac ut tollerentur causæ seditionis, ætati plurimum semper in hac Republica est tributum; etenim præterquamquod prudentia est Senectutis, robur, & audacia Adolescentiæ, nemo etiam Adolefcens moleste fert parere ei, qui ætate eum antecellat; nimirum sperans, si ætate processerit, se eundem in Republica Magistratum esse consecuturum. Quapropter publice ab universa Republica, & privatim a singulis Civibus, maximus Senibus habetur honor; ita ut superioribus annis, homo centum annos natus, cum nullum antea gessisset Magistratum, Consiliarius Principis, ut esset testimonium benevolentiæ, atque observantiæ, qua senectutem prosequitur Respublica, sit declaratus. Verum quoniam in tres partes est distributa tota ratio administrandæ Reipublicæ: in Magistratibus creandis, in Consulendo, & in Judiciis; sane divina potius, quam hominum fuit ea ratio, quam excogitaverunt Majores nostri, in creandis Magistratibus, qua sunt consueti, ut unusquisque continuo seipsum sustentet spe adipiscendi Magistratus, cum nihil fors afferat, & singuli, singulorum Civium benevolentiam, quoniam suffragiis decernuntur, sibi studeat conciliare, nullæque inter Cives oriantur similitudines: quoniam quod quisquam de quocunque Cive sentit, potest occulte iudicium ferre. Hanc rationem nulla Respublica, nullus Philosophus excogitavit. In deliberando autem, animadvertant omnes, Venetorum hominum sapientiam; nam cum sacra, & divina quædam res sit consilium, & nihil sit tam necessarium Reipublicæ, quam optimus Senator; magnam diligentiam adhibuerunt, ut a sapientissimis, & optimis Civibus Reipublicæ consuleretur; & ideo in Senatu, ex multis, qui a singulis Senatoribus nominantur, deliguntur ii in primis, qui innocentia vitæ, usu multarum rerum, & doctrina inter alios excellunt, & ut ab omni genere hominum Reipublicæ consuleretur, tres Ordines instituerunt. Quorum in primum, gravissimi, & Sapientissimi Senatores, quibus ipsa etiam ætas auctoritatem affert maximam, cooprantur; In secundum, homines periti multarum rerum, sed nondum senes; In tertium Adolefcetes, ut ipsi etiam a Senibus ad administrandam Rempublicam erudirentur. Senectutis

pro-

propriæ virtutes sunt, taciturnitas, gravitas, & majestas quædam; sed necio quomodo ætatis vitio, aliquando tardior est illa ætas, cum ad consilia afferenda, tum maxime ad res agendas, quæ tarditas excitanda erat, diligentia eorum hominum, in quibus naturæ, & ætatis calor viget. Accendendi erant etiam Adolescentes aliqua ratione, ad virtutem, & ad gloriam, & in administratione Reipublicæ instituendi, quod nullo modo præclarius fieri poterat. Et quoniam, quod omnes curant, omnes negligunt; vetus illud verbum; Sapientissimi Viri, cum cognoscerent, non ad omnes, qui in Senatu veniunt, dare Reipublicæ consilium, sed ad quosdam a Senatu, magna diligentia delectos, qui nihil aliud, quam hoc ipsum cogitarent, pertinere voluerunt, liberum esse cuique in Senatu, iis, qui primi aliquam sententiam dicunt, contradicere, sed auctoritatem proponendi, & consiliandi Senatum, per sex Menses, sapientissimis, atque optimis Viris, concesserunt. Apud veteres, qui abundabant ingenio, & ea, quæ multorum scelerum, & seditionum ministra fuit, eloquentia plurimum valebant, ii sæpe vel ambitione, vel alicujus odio, ea suadere studebant Reipublicæ, quæ ipsi etiam fore perniciofa, cognoscebant. In hac Republica seditiosi homines, nec ii, qui dicuntur eloquentes, nisi sint boni, nihil, vel parum possunt. Sententiam primum proponere oportet Sapientissimis hominibus, & reddere rationem, cur ita sentiant. Secundo loco, in Senatu, hoc est, apud homines optimos, & prudentissimos breviter, & modeste de iis rebus, quæ in disputationem cadunt, dicendum est. Ergo nulla confusione impediuntur, negliguntur, ut tradantur bona consilia, & cuique libere pro utilitate, & dignitate Reipublicæ quid sentiat, contra omnium sententiam, dicere licet. Tertia est pars Reipublicæ, quæ versatur in Judiciis, de qua paucissima dicam, cum extet Gasparis Contarenî Cardinalis Patruî tui, de Magistratibus Venetis, & de tota Republica opus (*) omnium judicio pulcherrimum, & præstantissimum, quod, ut turpe est cuique, qui in hac Republica versatur, non diligentissime legisse, ita te, cujus ingenium, amorem in Patriam, & ardorem ad gloriam, novi, antequam ad Rempublicam accedas, omnia, quæ in eo traduntur, commendaturum esse memoriæ certo scio. Sed hæc duo, quæ mihi præclare videntur esse instituta, non possum præterire. Varia sunt genera controversiarum, & litium, maxima est inter eos, qui litigant dissimilitudo, denique de variis rebus contendere inter se solent homines. Prisci homines Veneti prudentissimi, Judices, qui Mercatorum controversias dirimerent, alios, qui Peregrinis, alios qui Civibus de omni possessionum genere, alios qui de suppellectilibus, alios, qui aliis de rebus jus dicerent, delegerunt; qua ratione id sunt affecti, ut singuli Magistratus munus suum diligentissime obeant, nulla Reipublicæ pars negligatur. Sed hoc mihi videtur admirabile,

(*) Intra octo duntaxat annorum spacium jam ter publici juris factum fuerat Cardinalis Contarenî præclarum hoc opus; Parisiis nempe anno 1543, Basileæ 1547, & Venetiis 1551. Illud vero iterum, Aloysio ipso procurante, Parisiis anno 1571. editum fuit, & Alexandro Cardinali Farnesio ab eo nuncupatum.

rabile, quod judicium trium Judicum, qui creari solent, non antea valere, & ratum esse, quam quadraginta Virorum Collegium comprobetur, statuerunt. Cujus Collegii tanta fuit auctoritas superioribus temporibus, & nunc etiam est, ut illud, quod fert, judicium non esse justum, atque in eo non acquiescere, nefas sit. Si qua Controversia quondam nascebat inter ceteros homines, in qua jus esset dubium, & multa in utramque partem disputari possent, in quadraginta Virorum judicio, veluti in Oraculi responso, acquiescebant. Nimirum tres homines, vel inscitia, vel malevolentia, vel odio, vel amore, vel ira, sententiam injustam ferre possunt. Quare multos, qui certe omnes flecti nequeunt, Judices esse absolutos voluerunt, & mea quidem sententia, nihil institui poterat prudentius. Alterum est institutum, quod admirari satis non possum, quod Magistratui tantum jus accusandi, & vocandi in judicium concefferint. Illud enim Atheniensium, & Romanorum institutum, quo permettebatur, unicuique, quemlibet in judicium vocare, pleraque simultates pariebat, & nullum Reipublicæ usum afferebat. Etenim & indignum, & odiosum erat, ab inimico, privatis odiis, in magnum vitæ discrimen adduci, & erat reprehendendum Rempublicam afferre occasiones Civibus discordiæ, & simultatis. Et profecto sic se res habet: invidiosum est convertere vim ingenii, & eloquentiæ ad alicujus perniciem; sed cum homines, non privatis de causis, sed ut leges serventur, id faciunt, cessat omnis invidia, & major est in iis, qui accusant fides & auctoritas. Præclara hujus Reipublicæ instituta vix attingo, multa prætereo; in his autem, quæ dico, explicandis, nulla utor amplificatione. Lex historiæ in primis est, ut nihil falsum dicatur, quem servavi adhuc diligentissime, & in toto hoc opere servabo. Oratoris est, quæ minima sunt augere dicendo, quod nunquam confesui potui, & si elegantior laudem aucupari possem, nollem, hac de re scribens, ne meipsum, & alios fallerem. Et quoniam duo sunt in Republica tempora; pacis, & belli, neque ita Reipublicæ sunt colenda studia pacis, atque otii, ut si propulsare injuriam opus sit, nequeat: Majores nostri Viri sapientissimi, qui Rempublicam constituerunt, quæ in pace esset beatissima, secum ipsi considerantes quanta in plerisque soleat esse ambitio, quam dira regnandi cupido; disciplinam quædam bellicam, maritimam in primis, accommodatam situi urbis hujus excoluerunt. Ac primum Navale, quo nullum est in toto orbe terrarum admirabilius, instruxerunt. Nam & Triremes in eo loco servantur, & Naves omnium generum, plures quam multi possint credere, & multa armorum genera, quæ in bello sunt maxime necessaria; quæ omnia ita sunt parata, ut paucis admodum diebus, numerosa Classis possit instrui. Hæc autem, quamquam magna sunt, & requiruntur in ea Republica, quæ maritimis oris inperat, multo tamen majus est, quod in hac Urbe, publicis sumptibus, permulti aluntur homines peritissimi extruendarum Navium, & disciplinæ navalis scientissimi; in qua disciplina, ut instituerentur, non solum Plebs, verum etiam homines Patricio



igno-

ignorat priscos Venetos, finitimis, laceffitos injuria, bellum intulisse, ut Latronibus Oram maritimam liberarent, quos cum in fide recepissent, qui nescit, eos semper humanissime, ut socios, quamquam sæpe defecerant, tractavisse? Cretam, sciunt omnes, ex fœdere, pro maximis, quos in expugnatione Bizantii laboribus pertulerant, auctore Balduino Imperatore, in ipsorum potestatem primo venisse? De Cypro, notissimum est omnibus eam insulam, divino consilio, & diligentia optimi Civis Georgii Cornelii, huic Imperio, esse additam. Hæc tantum percurro; pluribus verbis hoc ipsum, quod notissimum est omnibus possem confirmare, sed mihi est satis res ipsas attingere. Ab ora continente, quamdiu Majores nostri, ob incredibilem ipsorum moderationem, abhorruerint, testantur monumenta literarum. Nam cum Scalani, homines perniciosi, pulcherrimam Italiæ partem, nimirum Veronam, Brixiam, & Vicentiam vastarent, & omnia pro libidine agerent, stuprarent honestissimas Virgines, innocentissimos homines occidi juberent, nocentissimis, & sceleratissimis hominibus, omnibus in rebus, faverent, inferrent & in vicinos quotidie novas injurias, & demum cum humana, tum divina jura perverterent; Patavini cum Venetias, auxilium implorantes, venissent, in bello a Patribus adjuti sunt, & Venetorum virtute est factum, ut Itali, & Christiani homines finitimi huic Reipublicæ a Tyrannide sævissimorum hominum fuerint liberati, & ipsi fortitudinis specimen ediderint. Quo in bello, cum Patavium Civitatem clarissimam, in suam potestatem, legitimo bello redactam, Veneto Imperio adjungere possent, Marsilio Carrariensi privato homini, habendam permiserunt, & Ubertino Carrario Castellum Baldum, & Bassianum dono dederunt: nimirum in Majoribus nostris incredibilis fuit animi moderatio, prædicanda magnificentia. Nihil enim illis Sanctissimis hominibus fuit prius, quam Tyrannorum audaciam, & potentiam reprimere, & Vicinos maximis calamitatibus afflictos recreare; & iccirco erat jucundum pecuniam impendere, suscipere gravissimos labores, & vel maxima pericula adire. Sed quoniam plerumque fit, vitio quodam, quod omnibus Mortalibus est insitum, ut summam potentiam consequatur insignis incontinentia, & contumelia; Carrarienses, in quos tot beneficia contulerat Respublica, quos mirifice dilexerat, quos ex privatis, Principes nobilissimæ Civitatis esse voluerat, omnium beneficiorum immemores, jus divinum contemnentes, & ipsis Venetis auctoribus ipsorum Principatus, injuriam inferrebant, & Patavium miserrima Tyrannide opprimebant. Qua ex re contigit, ut summis precibus Patavinis illud ipsum a Deo exorantibus, illa Civitas centesimo quadragesimo septimo ab hinc anno ejectis Tyrannis in Reipublicæ nostræ fidem, & ditionem sit recepta; cui tam moderato, & tam justo ingenio præfuerunt Patres nostri, ut quando opus fuit, pro salute hujus Reipublicæ mortem oppetere non recularint; cujus rei pleni sunt illorum, qui Historias scripserunt, libri. Veronam, Vicentiam, Coloniam ultro se dedentes, & a rabie Carrariensium, qui insidiosè Scalanos e

medio sustulerant, fugientes, Veneto Imperio adjungi passæ, sunt. De Brixia autem, Bergamo, & Crema constat, jure belli, eas in potestatem Venetorum venisse; & id bellum contra Philippum Mediolanensium Ducem, iuncto fœdere cum Florentinis, jure, & necessario pro salute Italiæ, & sociorum fuisse susceptum. Non scribe historiam, tantum justitiam Venetorum attingo; idque ut intelligant homines, quanto honore digna sit hæc Respublica, & nos percipiamus quanto studio nobis sit incumbendum, ne a Majorum gloria, quo nihil est turpius, degeneremus. Pro libertate vel periculosissima etiam bella, cum potentissimis Regibus, & ferocissimis Nationibus, a Venetis suscepta sunt, & plerumque, ita illo Principe Deo volente, victoria est consecuta. Pipini Regis, Ottonis, Hunnorum, Ligurum, Gallorum, Turcarum, & denique omnium Principum, qui contra libertatem hujus Reipublicæ conspiraverunt, conatus, irritos fecit Deus. Summam Regum, & Principum potentiam, fregit virtus nostrorum majorum. Et profecto non minus auribus meis solent esse jucundæ voces illorum, qui diuturnitatem, & felicitatem hujus Imperii, non majorum nostrorum sapientiæ, sed Deo Opt. Max. qui hanc Rempublicam præcipuo quoddam amore dilexit, tantummodo acceptam referunt. Quod si Helenam & pulcherrimam, & dignissimam, quæ ab Isocrate laudaretur, existimavit Antiquitas, quoniam Theseo placuit; Achilles vir fortissimus, & præstantissimus existimatur, quoniam de eo scripsit Homerus, quam bona, quam bene instituta, quam beata existimari debet ab omnibus ea Respublica, quæ illi pulcherrimarum rerum Auctori, & totius Mundi Architecto Deo & curæ est, & semper fuit? Ille ipse est fons sapientiæ, ab illo omnes virtutes manant, hanc Rempublicam, cujus ipse jecit fundamenta, quæ ipsum, & coluit semper sanctissime, & agnovit Auctorem libertatis, ornasse & legibus divinis, & sapientissimis Senatoribus, qui eam regerent, credibile est; quod quidem ad veram, & solidam Majorum nostrorum gloriam pertinet. Omnes virtutes, quæ in hominibus laudantur, simulatæ virtutes sunt; fortes plerumque sunt habiti Audaces, & Temerarii homines, Prodigii, liberales, Astuti, prudentes, Inepti, temperati, & si quis recte consideret vel ipsa vitia sæpissime sunt laudata. Itaque vel nihil est in hac vita, quod sit laude dignum, vel illud ipsum, quod Deo curæ est tantummodo debet laudari: Romani susceperunt difficillima bella, pro dignitate Reipublicæ, latissimum Imperium propagaverunt; sed nihil aliud cogitabant illi homines, nisi, ut apud omnes Gentes Romanorum nomen esset illustre, & summam gloriam consequerentur; Et ideo Decii se devoverunt, Horatius stetit in ponte solus, Cato sibi mortem conscivit. Fuit in illis hominibus animi robur, non nego, sed præcipiti quoddam ardore gloriæ, dira quadam cupiditate regnandi, ducebatur. Hanc ob causam, neque in ipsis solidam virtutem fuisse credendum est, & cito partum Imperium, non diu duravit, Sed cur concidit? Quoniam Dei auspiciis non regebatur. Verum Majores nostri, Deum sancte colentes, & in di-

divina bonitate omnes suas spes collocantes a potentissimis hostibus victoriam retulerunt, vim, & impetum totius Orbis terrarum sustinuerunt, Imperium pene amissum recuperaverunt. Qua in re, auctore Deo, sine cuius ope, statuimus nihil fieri posse, quod sit bonum, quod laudabile, summa prudentia, incredibilis patientia, excelsus quidam animus in ipsis apparuit. Hortabantur se invicem, difficillimis Reipublicæ temporibus, Patres ad ferendum æquo animo illud, quod acciderat, confidendum esse, Deum, ut semper fuit, fore etiam propitium Reipublicæ, nullo modo abiiciendum esse animum, conferendas esse privatas omnes facultates in commune, pro salute Patriæ, & pro libertate, mortem ipsam esse alacriter appetendam. Qua celsitudine animi est factum, ut quamquam omnibus rebus indigerent, tamen de recuperando Imperio cogitaverint, & demum dignitatem Reipublicæ, non modo recuperaverint, verum etiam auxerint, & medius fidius, illa ipsa Respublica, quam evertere totius Orbis terrarum Principes non potuerunt, sit potentissima, hoc est præpotentis Dei munimine regatur, necesse est. Ac in difficillimo illo Cameracensi bello, & prudentiam admirabilem, & prædicandam pietatem in Venetis, omnes Gentes sunt admiratæ. Etenim cum in omnium rerum difficultate Respublica esset, & pene de libertate desperatum, Majores nostri ad reprimendam potentissimorum hostium potentiam, bona quadam spe divini auxilii seipsos sustentantes, Turcarum omnia præsidia recusaverunt. Christum Ducem habebant, in eo omnes spes, & non immerito, posuerant, non dubitabant, quin ipse eam Rempublicam, quæ mille, & nonaginta annos ante illud bellum floruerat (*), quæ ipsum unum colebat, a qua nemo unquam est affectus injuria, cujus in Italiam, & in omnes, qui ad ipsam confugerant extant beneficia, defenderet, & tueretur. Et ipsorum spem non fefellit, nec fallit unquam clemens Pater Deus. Sed non desunt homines, quorum judicium, partim invidia, partim malevolentia corrumpit, qui dicunt Rempublicam nostram carere bellica laude, & esse ad res militares male institutam. Nimirum vituperant vetus institutum Majorum nostrorum, quod fuit, ut summam in bello potestatem Veneto Civis denegarent, sed fortissimo Italiæ Principi concederent; quod quidem tantum abest, ut existimem dignum, quod reprehendatur, ut putem maxime esse laudandum. Etenim præterquamquod perturbandæ Reipublicæ multas occasiones ademerunt; Italiæ, & omnibus gentibus incredibilem quamdam moderationem ostendunt, se nihil minus cogitare, quam augere Imperium, modo libertate, honesto ocio, ut Christiani possent vivere, fruerentur; se cætera omnia contemnere; ad navigationem

V 2

tio-

(*) Minime profecto hæc, cum præcedentibus, cohærere videtur annorum supputatio a Valerio instituta; cum enim Cameracense bellum a fœderatis Principibus Reipublicæ Venetæ fuerit illatum anno 1508. ut habent Historici; si mille, ac nonaginta annorum numerus, qui ab ejus ortu, usque ad Cameracense bellum effluxerint, retineatur, fiet inde ut primordia Reipublicæ, ad annum 418. sint referenda; quod sane & a vero distat, & ab ipsius Valerii sententia, qui ut prænotavimus, circa annum potius 416. jacta censuit Patriæ suæ fundamenta.

tiones, & mercaturas animos adjecisse; se nihil aliud spectare in Ora-
 continenti, quam tueri libertatem Italiae, & cupidissimorum hominum
 aliena appetentium, libidinem coercere, notissimum omnibus esse volue-
 runt. Et quamquam, nescio quo fato, ita tamen certe jubente Patre,
 ac Principe Deo, aliquando præter opinionem omnium hæc Respublica
 ingentes clades accepit, & in aliquod discrimen est adducta, hanc ta-
 men ob causam non debemus non laudare consilium, & prudentiam
 Majorum nostrorum. Aristoteles in iis Libris, quos de Republica scrip-
 sit, præcipit: ne uni tanta potestas concedatur, ut rebus novis animum
 possit adiicere. Cæsar, cum in Italia felicissime pugnasset, deponere il-
 lam summam potestatem non potuit; qua ex re factum est, ut nobilis-
 sima Respublica interierit. Quod animadvertentes Majores nostri, sum-
 mam in bello potestatem Civi concedere noluerunt; & hac ratione for-
 tissimos Italiae Duces, magnis stipendiis, & propositis præmiis ad glo-
 riam, & ad Italiae dignitatem defendendam invitaverunt. Alterum,
 quod omni vituperatione dignum dicunt: quod publice Venetiis in edu-
 candis Liberis, nulla adhibeatur diligentia: non esse sperandam messem,
 nisi ei qui seminaverit, maximam esset vim, in utramque partem,
 educationis; Adolescentes prima illa ætate, facile indicare, quales Vi-
 ri futuri sint; Lacedæmonios maximam adhibuisse diligentiam in edu-
 candis Liberis, Romanos ipsos, & omnes Respublicas præstantissimas.
 His hominibus ut respondeam, ego sic judico: Quamvis publice non
 creentur Magistratus, qui Adolescentes instituunt, esse tamen longa
 consuetudine, & longo usu comprobatum, ut præclara quadam ratione
 Adolescentes ad Rempublicam administrandam erudiantur. In primis
 more Majorum, unusquisque Adolescentulus ad colendum Deum in-
 formatur, & primis latinorum elementis imbuitur; quod ut commode
 fiat, multi Patres alere solent doctos, & innocentes Viros, qui ipsorum
 Filios erudiant. Deinde in singulis sex Tribubus, in quas divisa est Ci-
 vitas, publico stipendio convocantur doctissimi totius Italiae Viri. Si
 autem, qui ad literas non sunt nati, ubi primum elementa didicerint,
 se ad mercaturam, & disciplinam conferunt: quod ut faciant, lege est
 cautum ut stipendiis a Mercatoribus aliiantur, & usu est confirma-
 tum, ut turpissimum sit in ocio vivere, & cum in studiis literarum
 aliquis minime versetur, non peregrinari. Si qui autem delectantur
 optimis disciplinis, ut in iis facillime possent excellere, Gymnasium,
 longe omnium, quæ in Europa sint, celeberrimum in Urbe Patavio,
 vicina huic Civitati, esse voluerunt. Omitto, quod omnes ad mode-
 stiam erudiantur, vetere instituto, Adolescentes, Senes summo honore
 prosequantur, neminem afficiant injuria, salutent omnes humanissime,
 omnes sibi ipsis anteponant. Quod si quis, omnia quæ dixi, vera esse
 neget, is sciat, in omni virtutum genere, mille ab hinc annis, nulli
 hominum generi Venetos fuisse secundos. Ac ut priscos illos omittam,
 qui nisi fuissent sanctissimi, & sapientissimi, præclaram hanc Rempu-
 blicam nobis relinquere non potuissent; nonne nostra hæc Civitas Ca-
 rolum

ro-
 lum Zenum, Andream Contarenum Principem, Victorem Pisanum,
 Petrum Lauretanum homines fortissimos, & in omni genere laudis præ-
 stantissimos tulit; qui ab immanissimis, & fortissimis hostibus victoriam
 reportarunt, qui contemptis omnibus honoribus, pro Patriæ salute,
 mortem contempserunt? Hos quos nominavi, cum Themistoele, cum Pe-
 ricle, cum Fabio, cum Scipione, cur non audemus comparare! Nonne
 tulit Antonium Venerium, qui cum ne Filio quidem pepererit (a)
 eodem quo Lucius Brutus, honore est dignus? Illos ipsos Mocenicos,
 Lauretanum, & Barbadicos Principes homines sapientissimos, Principes
 hujus Reipublicæ fuisse scimus; & fuerunt certe homines digni, qui
 tanto in honore, in quanto Aristidem, Publicolam, Curium, & Cato-
 nem habemus, ab omnibus haberentur. Andreas Grittus, Petrus Lan-
 dus, Franciscus Donatus, ut hanc ob causam non prætereamus, quod
 eos vidimus, sunt in hac Civitate nati, quorum virtutes Patres nostri,
 noverunt, & sunt admirati, atque ex ipsis Respublica fructus cepit am-
 plissimos. At ut de iis, qui in optimarum Artium studiis floruerunt,
 aliquid etiam dicam: nonne Andreas Dandulus Princeps, omnes, qui
 sua ætate vixerunt, ingenio, & doctrina superavit? Ipsius extant histo-
 riæ, prudenter admodum, & eleganter, ut ætas illa ferebat, scriptæ.
 Secutus est Bernardus Justinianus, Vir summo judicio præditus, cujus
 mehercule, paucae quædam conciones, quæ leguntur in ipsius historia
 Tucididis concionibus, brevitate, & gravitate sententiarum sunt confer-
 rendæ. Omitto multos alios, ubi primum literæ reviviscere cæperunt,
 nonne in Urbe nostra plures, quam in reliquis Civitatibus Italiæ, in
 omni disciplinarum genere, præstantes Viri fuerunt? Hermolaum Bar-
 barum, Hieronymum Donatum, & Gasparem Contarenum Cardinalem
 Patrum tuum viderunt Patres nostri. Dii immortales! quos Philoso-
 phos, & quanti nominis. Leguntur ipsorum scripta ab omnibus magna
 cum admiratione, & dum vigeant studia literarum, vivent illi homi-
 nes, in animis hominum, immortales. Nam quid est, quod de Orato-
 ribus, & Poetis dicam? Cui Andream Naugerium, & Petrum Bem-
 bum, in illis facultatibus merito non anteponemus? Prætereo multos,
 qui vivunt, homines præstantissimos, ne videar multorum gratiam au-
 cupari. Petrum Franciscum Contarenum, qui nunc est hujus Urbis Pa-
 triarcha, & Bernardum Naugerium Avunculum meum, non possum
 præterire. Ac ut de Patriarcha primum dicam: quanta in illo Viro est
 doctrina? quantum, & quam acre judicium? Quanta humanarum, &
 divinarum rerum cognitio? Ille mihi quidem nihil ignorare, & unum
 Socratem hac tempestate, referre videtur. In Avunculo autem meo,
 quis

(a) Præclarum Venerii facinus, his verbis indicat, quod plusne decoris iustissimo
 Principi, an maioris amantissimo Patri attulerit, dubia res est. Aloysius siquidem
 Ducis Venerii filius, nobilis Femina amore captus, in injuriam ejus, ex Patricio or-
 dine, Viri, cornua noctu ad ipsius Ædes appenderat; qua propter supremi Magistra-
 tus sententia, Patris etiam calculo confirmata, carceri per annos aliquot manda-
 tus, inibi, cum ingenti totius Populi admiratione, nec sine luctu, immaturus oc-
 cubuit. Vide Sabellicum, aliosque.

quis ingenium, & eloquentiam sæpe non est admiratus? Quis cum audiens aliquando, cæteros fere omnes, qui nunc sunt Oratores, non contemnit? & eum, Virum ad eloquentiam, & ad res maximas natum, non intelligit? Et ut de Adolescentibus etiam dicam; præclarum, ut scis, in multis est ingenium, incredibilis iustitia, magna cupiditas gloriæ. Ergo quamquam lege non est cautum, ut Adolescentes publice educantur, instituto tamen Majorum, singuli, & universi Cives rectissime instituuntur, cujus rei illud est testimonium, quod doctissimos homines, & multos Senatores præstantissimos, habuit semper, & nunc habet nostra Respublica. Verum enimvero, cum mecum ipse cogito, quid inter initia hujus operis sim pollicitus, agnosco me vitio ætatis laborare, & id quod sperabam non esse consecutum. Posui quantam maximam potui, in hoc opere diligentiam, sed præclara omnia Majorum nostrorum instituta, quis, non dico ornate explicare, ut ab eo, qui de his scribat, postulatur, sed enumerare possit? Fuit igitur, dicit aliquis, impudentia, tantum opus suscipere. Sed deprecor hanc culpam, & peto ab omnibus, ut mihi licuerit, mihi inquam amantissimo hujus Reipublicæ, & in gratiam tuam, hoc est, in illius Adolescentis gratiam, cui mihi, & omnibus ob multas virtutes, est, & esse debet molestissimum aliquid denegare, de optimæ Reipublicæ laudibus scribere. Multa sunt prætermissa, omnia tractata admodum jejune, non nego, sed excitabitur hac mea industria fortasse alius, qui copiosius, & ornatiùs hujus præstantissimæ Reipublicæ verissimas, & maximas laudes persequatur. Atque ut hunc meum, de re tam præclara, libellum absolvam; mihi liceat, te summe pater Deus, atque hominum Rex, cujus in omnes Mortales, sed in primis in Venetam Rempublicam, extant illustria, & maxima beneficia, suppliciter orare, ut hanc ipsam Rempublicam, quæ tibi semper fuit carissima, a privatis seditionibus, a fame, a peste liberes, eamque a cupidorum hominum, qui contra ipsius libertatem machinantur, libidine defendas, concordiam inter Cives, pacem, omnium rerum abundantiam, quibus nunc est beatissima, huic Civitati perpetuo concedas, & demum, uno verbo ut omnia complectar, oro Summe Pater, ut in eo, quo nunc est, statu, sit quam diutissime. Sed quoniam a supremo Deo nihil est, quod pro infinita ipsius clementia, sperare non possimus, restat, ut non sæpe nobiscum cogitemus divina beneficia, & recordemur nos esse Venetos, hoc est Nepotes optimorum Virorum, & natos ad administrandam eam Rempublicam, qua post homines natos, nulla fuit diuturnior, nulla melior. Ac ut ad te, veluti ad principem ætatis tuæ, & mihi carissimum, mea convertatur oratio (cur autem, quamquam & ipse sum Adolescens, non ausim te pro meo singulari amore hortari) recorderis, summam a te in primis, deinde ab omnibus Venetis adolescentibus, postulari moderationem, prudentiam, temperantiam, iustitiam, patientiam, multarum rerum doctrinam. Nam illorum hominum sumus Filii omnes, qui incredibilem . . . & in ea Civitate nati, in qua virtuti omnia tribuuntur,

tur, & tamdiu, quamdiu volumus in optimarum Artium studiis possumus versari. Habes etiam tu exempla domestica Majorum, Patrem tuum Virum optimum, & Senatorem amplissimum, & Matthæum Dandulum (a) Equitem doctissimum, & prudentissimum hominem, quos intuens, magnopere ad omnem laudem, & gloriam debes excitari. Fugienda sunt igitur illecebræ voluptatum, quibus pleraque retardantur. & corrumpuntur ingenia. Labore, studio, ac diligentia ad honestatem, & gloriam est contendendum, ut illud ipsum, quod maxime expetendum est, & consecuti sunt Patres nostri, nos etiam consequamur, nimirum, ut ii, qui Venetæ Reipublicæ parent, beatissime viventes, libentissime pareant, & omnes Gentes, iustum, & moderatum esse Venetorum Imperium, confiteantur.

BERNARDO NAUGERIO

APUD PAULUM IV. LEGATO

AUGUSTINUS VALERIUS

S. D.

PRÆCEDENTI libello hanc, nullo medio, adiciendam esse duximus Epistolam, ad Bernardum Naugerium, datam, qua ipse exposcit iudicium, expectatque. Sane cum eo temporis jam Legatum apud Pontificem ageret ille, & Valerius, Avunculo suo Romæ relicto, jam patriam resalutasset, ante annum 1556. epistola hæc dari non potuit.

SCRIPSI Adolescens Librum de Reipublicæ nostræ laudibus, in quo, non nego, me summam diligentiam posuisse; sed tamen vehementer dubito, cum & omnia in me minus quam mediocria sint, & nondum accesserim ad Rempublicam, ne nihil præclarum, & quod præstantibus ingenio Viris, probetur, potuerim excogitare, & scribere. Itaque a me scriptum esse volo hunc Librum, nostris Adolescentibus, atque etiam iis, qui Reipublicæ nostræ formam prorsus ignorant. Ad te vero Senatorem amplissimum, qui multos jam annos, summa tua cum laude, in hac Republica versaris, profecto eum non debebam mittere. Quot enim, præstantissimæ hujus Reipublicæ laudes, a me prætermittas esse cognoscas? quam multis in locis, homo acerrimo iudicio præditus, desiderabis in me Adolescentie prudentiam? Verum mihi sane non est tam molestum, ut hac ætate, a prudentissimis Viris, in me iudicium requiratur, quam jucundum, ut hac industria, singularem meum in Patriam amo-

(a) Merito inter domestica exempla nomen profert Matthæi Danduli, ipsi Aloysio Contareno, cui opus inscribit, affinitatis jure conjuncti; utpote qui Amitam ejusdem, Patris nempe sui Sororem sibi et Matrimonii lege copulaverat; teste Joanne Casa, pluribus Matthæum ipsum Dandulum celebrante, in vita Gasparis Contareni, quam edidit.

amore ostenderem, & omnes Venetos Adoloscētes, quos tanquam Fratres agnosco, & diligo, illustrium virtutum, quæ in Majoribus nostris fuerunt, exemplo, ad laudem excitarem. Equidem ob præclarum, & plane divinum tuum ingenium, & maximam, in omni disciplinarum genere, doctrinam, tibi uni tantum tribuo, quantum reliquis omnibus, qui de aliorum ingeniis possint iudicium ferre. Iccirco hunc ipsum Panegiricum, quem, libere ut dicam, vehementer amo, (a) ad te mitto, ut omnium, quæ in ipso a me scripta sunt, sis moderator, & Iudex. Te auctore ad studia literarum animum adieci, maximis tuis virtutibus ad gloriam sum incensus, a te usque a Puero, Patavii, præsertim in nobilissima illa tua Prætura, multa me sentio didicisse. Quare hoc opus sic debes expolire, tanquam tuum, & si quid in eo tibi placebit, ut boni Artifices faciunt, tuis operibus delectari. Cum primum aliquid oculi nactus fueris, mihi erit gratissimum, si hac de re, tuum ad me iudicium scripseris. Vale, & amore illo tuo paterno, ut semper fecisti, pro tua singulari humanitate, fac ut me diligas.

E P I S T O L A N. N.

A D

AUGUSTINUM VALERIUM.

CUM ex Marciano, quem adhibuimus Codice, minime appareat Epistolam hanc scribentis nomen, conjectari cuiquam liceret a Joanne Gritto Nobili Veneto datam fortasse fuisse; cui, quasi respondendo sequens Opusculum, circa idem de ambitione argumentum, quod ille proposuerat, Valerius nuncupavit. At hæc quasi dividentes loquimur.

HERI cum nonnullis Adoloscētibz, ad D. Marci, multis de rebus locuti sumus, ubi præcipuus sermo fuit: utrum ea, quæ versatur inter Venetos Cives ambitio, magis utilitatem nostræ Reipublicæ, quam detrimentum afferat? Qui sermo mihi admodum placuit, & cum Domum me contulisset, volui, quæ de hac re sentirem scribere, & tibi, cui summa omnia debeo, mittere, ut judicares: an vera essent, quæ ita ego duxissem. Quæ autem sentio hæc sunt. Non potest eisdem rationibus de ambitione, is determinare, ut in cæteris fieri posset, qui de ea, quæ est inter Venetos ambitio, tractare velit; cum in cæteris omnibus maxime differat. Nulli enim dubium est, ut in universum loquar, ambitionem Rebuspublicis esse perniciosam; cum ipsa sit præcipua causa, quæ soleat bonas electiones Magistratuum impedire, quæ si recte fiant, maximi sunt ponderis, & firmissimum optimæ administrationis

(a) Hunc ingenioli sui fatum, quem ut ingenue fatetur Adoloscens unice diligebat Valerius, non admodum adprobavit ætate, cognitione, & rerum peritia, grandior effectus; de eo enim in sæpe citato: *De cautione adhibenda libello*, sic ait: *Cum viginti post annos semel Libellum, quem admirabar, legissem, vere ut dicam, non mihi probatus est valde.*

strationis fundamentum. Sed Veneta Respublica, quædam in se habet, quibus forsitam evenire posset, id quod cæteris detrimento est, ut ei fortuito, sit alicujus utilitatis causa. Nam cum nulla re alia Respublica labi possit, quam civili discordia, ea, quæ principia, & origines discordiæ in Rebuspublicis impediunt, veræ causæ sunt earum conservationis. Et videtur, ambitionem necessario Venetos inter se concordēs tenere; nam cum Magistratus per universum Nobilitatis corpus distribuuntur, necesse est ambitionem unumquemque aliis amicū præstare; & eam vitæ rationem illum servare convenit, quæ ab omnibus, aut in plerisque approbatur; videlicet communem aliorum in vita habitationem, atque consuetudinem non excedere, & humanum omnibus esse; quæ etsi in aliquibus fictæ essent, boni tamen causa sunt, & hujusmodi necessitas etiam homines ad eos libenter sibi conjungendos, sapius impellit. Præterea nihil in universum amabilius bonitate, quæ primum est nemini nocere, deinde omnibus prodesse. Hæc igitur omnes imitari contendunt, ut omnium benevolentiam assequantur, & bonitatem ea ratione imitando, facile boni evadunt. Res etiam, quæ solet seditiones inter Principes accendere, cavetur; nam cum omnes magis habeant rationem honoris sui, quam Parentum, & Amicorum, nolunt videri sequi illos, qui Rempublicam perturbare conantur. Si præterea injuria afficiantur, non veniunt ad arma, timentes scilicet honores amittere; sin autem se ulcisci cupiunt, iram in distributione Magistratuum emittunt, inimicos suffragiis punientes. Hæc etiam facit homines ad Rempublicam accedere, & literis, & eloquentiæ operam dare. Præterea cum Venetiis victus, atque cultus sit magni sumptus, & major pars res suas procul ab Urbe habeat, nisi ambitio esset, quæ homines in Civitate retineret, omnes in eo loco vellent vivere, ubi minori sumptu, & majori rerum suarum utilitate, habitare possent, & sic Civitas infrequens, & Nobilibus vacua fieret. Quod non solum Civitas, minueretur & vestigalia, quæ sunt nervi Civitatis, & Mercatura; sed etiam Respublica in paucorum potestate redigeretur; cum qui remanerent, totum sibi vindicarent. Nec magnum detrimentum ex ambitione, in Magistratibus eligendis, sequi potest; cum ita sit communis, & pene in omnibus, & ad hoc pariter omnes animum intendentes, differentia eligendi magis unum, quam alterum non potest ab ambitione venire, cum res inter similes, idest inter ambitiosos sit; sed ab aliis rebus, quæ etiamsi ambitio non esset, talem differentiam efficerent.

Reliqua in prælaudato Codice desiderantur.

AUGUSTINI VALERII AD JOANNEM GRITTUM

DIALOGUS.

DONATUS, SIVE DE AMBITIONE

DONATUS, GRADONICUS, MARINUS, SANUTUS, HERMOLEOS.

IMMATURUM hunc ingenii sui fatum improbavit post annos aliquot Auctor Ipse Valerius, in sæpius memorato libello *De cautione adhibenda* habens: *scripseram etiam illo ipso tempore (ætatis nempe suæ anno vigesimo quinto) de Ambitione Dialogum, quem misi ad Joannem Gritum, quem cum legissem, vere dicam, illum scripsisse me penituit*; At cum nonnihil ex hac etiam lucubratione percipi valeat utilitatis, eam quoque luci donare, potiusquam perpetuis suis damnatam tenebris, dimittere, precium duximus operis; nec fore putavimus Lectoribus injucundum.

SUPERIORIBUS diebus, Gritte, cum in Bibliothecam Michaelis Tramezini, pomeridianis horis, ut consuevi, venissem, Marinum Grimanum, Hermolaumque ipsius Fratrem, & Federicum Sanutum, nobilissimos, atque optimos Adoloscens, qui nonnullos libros emebant, inveni. Cum quibus, cum amice, & familiariter de multis rebus, sed in primis de iis, quæ superiori Mense Romæ vidimus (a) loquerer, ecce Joannes Donatus, cum Marino Gradonico, quo utitur familiarissime nobis sit obviam. Quem ubi primum salutavimus, ego qui de præclaro quodam Epitaphio, quod Marci Antonii Trivisani Principis sepulcro ascriptum (b) a Gradonico audiveram, petii ab eo vehementer, ut nobis illud liceret legere, vel audire; quod, cum aliquantulum recusasset, impetravimus. Et cum omnes sententiarum, & verborum gravitatem admiraremur; initium sermonis, qui est habitus, fuit hujusmodi, quem quidem ego, ut tibi obtemperem, ita scripsi, tanquam haberetur. **DONATUS.** Cur omisissis his laudibus, quas mihi, pro vestra erga me benevolentia, tribuitis, non confedimus omnes, & Vos, qui Romæ fuistis, ea quæ vidistis, & observastis, nobiscum, quibus non licuit nobilissimam eam Urbem videre, non communicatis? **SANUTUS.** Satis multa hac de re sunt alias dicta, & de his rebus, quas Romæ observaverunt, legere etiam potuimus Commentariolum quemdam. Ego, quando ocio abundamus, te multo libentius de Ambitione, de qua te libellum scripsisse, & sæpe disputare solitum scimus, dis-

spu-

(a) Annum, & mensem, quo hunc conscripsit Dialogum, quasi digito, signat his paucis verbis Valerius: Mensem scilicet Octobris 1555; certo scimus enim superiore Mense Septembris eum, cum Patruo suo Bernardo Naugerio, Romæ fuisse.

(b) Certum ex his verbis novimus Auctorem Epitaphii ad sepulcrum Ducis Trivisani appositum, quod in magno S. Francisci a Vineâ Templo hodiernum legitur, & supra jam dedimus.

sputantem audirem, & libenter a te cognoscerem, quid causæ sit, cur tam facile nosmetipsos decipiamus, putemusque fere omnes, longe pulchriores, ditiores, & doctiores nos esse quam simus, & alamus hac de causa insitam quamdam honoris cupiditatem, ita ut apud omnes in magna existimatione esse velimus, amemusque eos vehementer, qui nobis multum tribuere videantur, venientibus assurgant, & aperiant caput. Cum autem id vitium, in multis uniuscujusque generis hominibus animadverterim, jure mihi dubitare videor: insitane sit Mortalibus vehemens hæc honoris cupiditas. Quod si a natura ducimus, miserimi certe omnium Animalium sumus; etenim nascimur, ut perturbate, hoc est misere vivamus. Verum si aliunde oritur hic morbus, optimum certe fuerit, ut ejus origo cognoscatur, quæraturne medicina, ut ab eo possimus cavere. Abs te igitur, non solum ego, verum etiam Nobilissimi omnes, qui adsunt Adolescentes, ut ex eorum facie possum percipere, petunt, & si pateris, obsecrantur, ut dicas, quid de hac res sentias; te enim melius nosce potuisse existimamus neminem. **HERMOLEOS.** Nullus, ut ego quidem existimo institui potest sermo, ex quo majorem utilitatem possimus capere. Quare mea potissimum causa, te Vir præstantissime, rogo, ut Federico, & nobis satisfacias. **DONATUS.** Ergone agam ex improvviso de re tam præclara? Quamquam intelligo, quod id sit difficile, tamen non possum, ulla in re, a vestra voluntate recedere. Natura insitam, nolite vobis persuadere, esse hominibus ambitionem (Ambitionem autem appello, immoderatam honoris libidinem) neque credatis tam impiam erga nos Matrem, vel Novercam potius fuisse naturam, ut in nobis vitia ipsa ingeneraverit. Nihil mortalibus a natura datum est, quod ad maximam virtutem referri non possit, ab ea utiliter hausimus (neque hoc mihi negaverit aliquis, nisi stupidus quidam Stoicus) affectiones quasdam, quæ sunt singulis hominibus ita insitæ, ut sine ipsis ne constare quidem natura hominis potest. Hæ omnes ad virtutem, ratione quadam, rediguntur. Insita est, ut de re proposita loquar, omnibus cupiditas gloriæ utiliter; ita ut nemo a natura bene formatus, non cupiat cæteris præstare; adjunctus est cuique veluti stimulus laudis, quo nobilissimus quisque magnopere excitatur. Et certe hæc est utilis affectio; nam homines in officio continentur, & semper cogitant, ne quid turpe faciant, aut dicant, virtutem, sine qua nec gloria, nec laus solida, ac diuturna esse potest, omni labore, ac diligentia consequantur. Neque profecto si a natura hoc vitium haberemus, inventi unquam fuissent, præstantes Viri, qui inanem hanc gloriam contemnentes, virtutem solam amplecterentur. **SANUTUS.** Age vero, si natura ambitiosi non sumus, dic obsecro, quæ sit origo hujus erroris, & pro tua singulari humanitate, trade nobis præcepta, quibus hoc vitium, quod existimo esse maximum, possimus vitare. **DONATUS.** Quoniam, ut dixi, nihil mihi potest esse molestius, quam vobis aliquid denegare, meam hac de re sententiam vobis paucis aperiam. Origo hæc est: Insidet, ut paulo ante

dicebam, in animis hominum cupiditas laudis, gloriæ ardor, & desiderium immortalitatis, ita ut unusquisque natum se immortalem vellet. Cum autem nemo sit tam stultus, qui aliquando sibi ex hac vita decedendum esse non intelligat, hanc necessitatem mortis, nonnulli superare nitantur, quærentes gloriam popularem, & occasionem ut ab omnibus, magni Viri, videantur. Quæ sane cupiditas, si adsit regina nostrarum actionum, Ratio, magno nobis usui ad omnem commendationem esse solet. Nam ad virtutes, & cognitiones multarum rerum est præclara quædam excitatio, ad summosque labores tolerandos, mortemque pro Patria, & pro honestate appetendam, stimulus vehementissimus. Verum ubi ratio negligitur, via deflectit, præcepsque fertur cupiditas, & statim decipimur veræ gloriæ, verique honoris specie, aucupamurque illum honorem, qui nulla ratione honor dici debet, eo tempore, loco, iisque rebus, & apud illos homines, apud quos honorem quærere, magnum est dedecus. Quapropter mirari sæpe solitus sum, & apud Familiæres, opinionem multorum reprehendere, qui propterea quod nobilitate, divitiis, amicis, cæteris præsent, multos habeant, qui eos admirentur, laudent, ipsisque obsequantur, incredibilem se honorem affectos esse putent, perinde, quasi ut fragilium, & caducarum rerum Domina est Fortuna, ita honoris, & gloriæ moderatrix sit. Placet mihi nobilitas, divitiæ non contemnuntur, honoris testimonia minime repudiantur, modo hæc ad usum, ad virtutes exercendas referantur. Verum cum sint cum stultis, ineptisque hominibus, hæc maxime communia, videor jure optimo, si a virtute sejungantur, prorsus nihili facere. Admiror ego illos Viros, & summis laudibus effero, dignosque immortalitate existimo, qui cum externorum bonorum prædiis abundant, nihil ipsi illis nitantur, ad virtutem omnia referant, satis amplam gloriam se affectos putent, si boni Viri sint, si honestam, & jucundam vitam agunt. HERMOLEOS. Dii boni! quam præclare totam quæstionem de Ambitione, mihi videris, tractare, quanta prudentia, unde oportebat, exorsus es. Quare, si tibi non est molestum, dum ociosus sumus, perge. DONATUS. At quoniam de ambitione disputantem, me, ut facile possum cognoscere, libenter estis audituri, paucis admodum verbis explicabo, quam miseri sint omnes ambitiosi; quod dum facio, omnes diligenter attendite. Miserrima certe, & sævissima rerum omnium est ambitio, origo, & fons omnium malorum, quæ sola potest magnas, & præclaras virtutes perdere. Ac si recte judicare volumus, quid levius, quam in alterius voluntate suam ponere felicitatem? Quid miserius, quam pendere ex ipsa fortuna, & ex imperitiæ multitudinis libidine? Terrebit hominem ambitiosum opinio multorum, inserviet, assentabitur omnibus: quid ipso calamitosius? Nam timet quemcumque, adulatur omnibus, demum nihil aliud cogitat, nisi ut ineptissimorum hominum laudationes aucupetur. Miser certe talis homo est, aut miserrimus potius omnium Mortalium, quoniam omnia vitiorum genera eum torquent, id tamen non advertit. Existit Invidia, Malevolentia, Odium,

Odium, Superbia; ipsa demum Morositas. Cum enim velit is esse, qui non est, & iis honoribus affici, quibus nulla ratione est dignus, virtuti statim invidet, de ipsius præstantia detrahit, Viros excellentes ingenio, & virtute præditos odio prosequitur, Optimorum Virorum plerumque gaudet incommodis, dono denique illo amicitiae divino, quo nihil præclarior a Deo Opt. Max. Mortalibus datum est, privatur. Verum non ita facile cognosci potest hoc vitium, & quo minus cognoscitur, adimit Ægrotantibus sensum, eo est gravius, eo difficilior est inventa Medicina. Nam latet persæpe ambitio, & celatur aliquando ita specie quadam virtutis, ut vix cognosci queat. Et cum nihil aliud Ambitio sit, quam immoderata, ut dixi, quædam cupiditas honoris, & gloriæ, quam iis rebus, eo tempore, apud illos, apud quos non oportebat aliquis aucupatur, videntur multi, cum mire humani videri vellint, blandientes omnibus, suam hanc libidinem patefacere. Celatur etiam huiusmodi vitium, innocentiae, & bonitatis opinione, ita ut dum bonos Viros multi se esse profitentur, hac ratione in animos hominum illabi studeant. Quid plura? Contemptu honoris patefaciunt multi ambitionem incredibilem, ita ut quoniam honorem contemnant, se maxime laude dignos arbitrentur; quod illorum præcipue exemplo probatur, qui de contemnenda gloria scribentes, suum tamen nomen scriptis addiderunt. Sed hi homines, dum alios student fallere, fallunt maxime seipsos. Etenim, Dii immortales! quibus furiis agitantur dum æquales vident amplissimos consequi Magistratus, dum eosdem ipsi petunt, & misere optant. Pervertunt jura omnia, ut suam expleant libidinem, Amicorum, Fratrum, Parentumque cædibus, imperia sibi parere gloria ducunt. O perniciēs! o pestis cæterarum omnium maxime execrabilis, Ambitio! qua religio erga summum Deum, pietas in Patriam, in Parentes charitas, amicitia, justitia, cæteræ denique virtutes omnes ex hac vita tolluntur, & ex qua sola, veluti ex fonte, tanta, & tam horrenda vitia erupere. Hac una, ferre imperium Deorum, dedecus putabant Gigantes, & cum ipsis Diis tentasse pugnam, non temere fingunt Poetæ, ex hac a principio omnium bellorum, & seditionum ducta est origo. Cum primum enim suis non esse contenti homines cæperunt, aliisque per vim velle imperare, inventa sunt arma, & machinæ, quibus Imperiis potirentur. Ex quo tot discepciones, tot stupra, tot cædes, tot orbitates, Urbium denique everSIONES, atque incendia extiterunt. Plorasse dicunt Alexandrum, cum ab Anaxarco innumerabiles esse Mundos intellexisset: me miserum, inquit, tot labores pertuli, tot, & tanta bella gessi, in omnibus mihi Fortuna favit, unius tamen Mundi non appellor Dominus. Hujus fortunam, atque felicitatem, cum injuria quadam tradunt, Juvenem admiratum fuisse Augustum. Verum ab his omnibus, si reviviscerent libenter quærerem: quid est imperare aliis, nisi majoribus, & gravioribus curis vexari, multisque, & variis vitæ commodis esse privatum? Dionysius Syracusanus, quid hac in re verum sit, optime expressit exemplo, cum quem-

dam

dam ei blandientem, laudantemque mirifice ipsius fortunas, convivio regio excepisset, in cujus medio sedenti ipsi immittebat acutus ensis. Imminent Principibus multa pericula, ut non sine causa Poetæ canant:

Ad Generum Cereris sine cæde, & vulnere pauci

Descendunt Reges, & sicca morte Tyranni.

Ut sit, mea sententia quidem, longe optabilius paucis contentum, nec ipsum aliis invidere, nec alios sibi. Fuit hæc una ambitio, Optimi Adolescentes, quæ Tyrannos primum, quo nihil est deterius, induxit, quæ cædes Parentum docuit, quæ denique jus naturæ pervertit. Non poterat Romæ Pompejus aliquem pati sibi parem; nolebat superiorem Cæsar; hinc orta bella civilia, extincta tanta Respublica, tantæ, & tam præclaræ leges, simul cum totius Italiæ, & orbis terrarum majestate, sublata de medio sunt. Hac obcæcatus a primordio Urbis Romæ, Frater Fratrem interemit, hac miseras legimus actas Tragedias, ut apud Sophoclem, illorum Fratrum, qui singulari certamine de Regno pugnaverunt. Quæ omnia portenta, & monstra, cum complector animo, facile adducor in eam sententiam, ut credam id accidere, quoniam falso existimant omnes, pulcherrimum esse, & maxime expetendum reliquis imperare, turpissimum autem, & maxime fugiendum parere. Et iccirco hæc cupiditas per omnes ætates, per omnes Civitates, Pagos, privataque Domos pervagatur; videmusque non minus magnos Viros opibus, & nobilitate excellentes, quam pauperes & obscuros, hoc eodem vitio laborare; esse demum in omnibus incredibile quoddam gloriæ studium. Caveant sibi, & eum detestentur omnes, qui omnia vult sub ipsius Imperio esse posita, quem nisi in bello delectat vita, qui solus Dominus vult esse, qui legem, suam voluntatem, statuit, & qui denique fortunas, & incommoda Civium, modo Imperium propagare possit, non curat. Sublata est homini tota quies vitæ, voluptas sermonum, denique infelix sine literis vivit, quas qui prorsus ignorat, vix hominem ausim appellare. Infelix, inquam, est ipse, sed sua infelicitate reddit plerumque alios infelicissimos. In Republica, si multi sint Viri ambiciosi, iidemque sint, ea ministra, & adulatrice, eloquentia præditi, dominantur in judiciis, Tyrannidi sæpe animum adiiciunt. Exemplis multorum in Romana Republica possem id comprobare, sed in re nota, exemplis non est opus. Nihil præterea homini privato, & ambizioso, magis ridiculum; blanditur omnibus, laudat, affinitate quadam virtutum, vitia, postremo colit Belluam multorum capitum, multitudinem, quæ ipsi arrideat, laudibus, & honoribus eum dignum esse prædicet. Manet hoc vitium, quod quidem sine lacrymis dicere vix possum, apud nonnullos; neque id nos ambitionem vocamus, abhorremusque a nomine, ipsoque mutato, comitatem, insitamque Urbanitatem appellamus, ut unusquisque quotidie singulos Cives salutet, nomine appellet, se eos semper amasse, fovisseque in Magistratibus, jurejurando affirmer. Leves, per illum rerum omnium auctorem Deum, homines, & valde inutiles Cives; totum enim tempus, ingenium, &

22a-

ætatem in eo consumimus, ut cognoscamur, & appellemur, ut demum Magistratus vel minimos consequamur. Loquor de nonnullis; pervenit, ut scitis, hoc vitium ad aliquos, non ad omnes. Sunt enim in ipsa Republica adhuc, qui virtute sola sibi dari Magistratus volunt, Patrumque nostrorum gravitatem, & moderationem retinent. Audiavi etiam nonnullos, qui Patavii docebant Philosophiam, cum in angustum callem quemdam adducti essent, pugnis, ut alter potiore locum in via haberet, decertasse. Quis non risisset intuens hos, de tam levi re, contententes, levitatem, & ambitionem suam omnibus ostendentes? Verum quis, aliquo præditus ingenio, cum magna indignatione a risu se continebit, cum in multorum ... multa, quæ de Philosophia, de Arte Oratoria, de Poesi scripta sunt, inciderit, in quibus cum nihil iis, quæ a veteribus tradita sunt, addant, scientias ipsas tenebris involvunt, infelicitatem ætatis testantur, stultitiam, & levitatem suam simul produnt. De nemine, qui nunc vivat, loquor, parco omnium nomini. In puero minima potest esse ambitio, incendium gloriæ, atque ambitionem potius appellarem, quæ tenera ingenia ad præclara cogitanda semper erigere, & a vitiis detertere solet. Cernitur fortasse hæc cupiditas etiam in Fæminis, ut eas videamus maxime suarum laudum cantilena delectari, studere denique omni genere artium, ut cæteris pulchriores, & laudatiores habeantur. GRADONICUS. Equidem sum semper tuis sermonibus mirifice delectatus, & nunquam tecum locutus sum, quin multa didicerim; sed profecto pulcherrimum semper putabo hunc diem, si abs te doctus fuero rationem vitandi istius, ut ita dicam, morbi, quo omnes fere laboramus. DONATUS. Itaque; cognoscant in primis homines, qui sit verus honor, quam sit inanis, popularis hæc gloria, & ab optimis maxime ingeniis aliena. Admirentur Socratem illum, quod omnibus, ego, qui unquam fuerunt, innocentia vitæ, & sapientia, antepono, imitentur eam animi moderationem; se prorsus nihil scire profitebatur. Illud est præclarum, dignum esse honore, & inanis gloriæ insignia contemnere. Atque ego admirari sæpe soleo illius Viri mansuetudinem, atque moderationem, cum aliquando in ea incido, quæ a Platone scribuntur: ut eadem semper facie fuerit, quod vicissitudines rerum æquo animo ferret, & omnes animi affectiones, ratione superaret, ita ut terrestrem potius Deum quemdam, quam hominem fuisse crediderim. Admirentur illum, omnes honores, inanemque gloriam contemnentem Diogenem, qui nunquam Principum, atque Regis in primis Alexandri auctoritate, & pollicitationibus adduci potuit, ut de alio magis, quam de virtute sibi cogitandum putaret. Fuerunt multi apud Romanos, qui hos imitati sunt, qui simul depositis Magistratibus amplissimis, imperandi cupiditatem deponebant. Sed quid vetera commemoro, cum novis, & nostris abundemus? Quid de illa Majorum nostrorum animi æquitate dicam, quod aliis, nisi rogati, noluerint unquam imperare? quod nisi ultro deditas Civitates in dicionem receperint? Quod virtute, & innocentia, non armis Imperium propagave-

gaverunt? Nonne legimus in Historiis Andream Contarenum, quoniam dubitabat ne suus splendor Reipublicæ incommodum afferret, multos dies Principatum recusasse? (a) Verum satis recens, & pulcherrimum sese Cardinalis Poli, nobis offert exemplum; cum enim ipse superioribus annis, omnium vocibus, designaretur Pontifex, obtinuissetque quamplurima suffragia, ita ut nihil deesset aliud, quam ut vellet se esse Pontificem, recusavit, rem in diem, nam hæc noctu agebantur, reiiciendam putavit: cum id, diceret, si a Deo esset, ut rei Christianæ consuleret, non minus se interdiu, quam noctu fore Pontificem. Neque enim Sanctissimus, & sapientissimus Vir, eo ardore animi, quo multi, ad tantum honorem, tantumque Imperium, rapiebatur, sed Dei voluntatem spectabat, ne aut laborem, in re Christi administranda subterfugere, aut eam dignitatem nimis cupide appetere videretur. Quo factum est, ut sæpe fieri solet, ut multorum sententiæ mutæ sint, ipseque non sit factus Pontifex; (b) sed ita se innocentissimus Vir, idemque sapientissimus in tota illa causa gessit, ut nemo fuerit, qui illum non omni Pontificatu dignissimum arbitretur, futurum etiam spero, ut dignum fuisse eum, qui totius orbis terrarum Imperium haberet, consecutura ætas, tanta moderatione, judicet. At neque Francisci Donati Principis, cujus memoria, nihil mihi multis de causis debet esse jucundius, summam virtutem tacitus pertransire possum. Nam cum in creando Principe mira esset varietas, & illam ob causam incommodis ipsa afficeretur Respublica, sua suffragia, sine quibus, creari Princeps non poterat, Principi Lando libentissime renunciassse, sci-mus; quod certe dignum fuit eo Viro, qui tantæ Reipublicæ Princeps futurus erat. At fumentes a magnis Viris exempla, desinant homines velle esse solos Dominos, moderentur tantam, & tam dicam imperandi cupiditatem, sibi ipsis bene imperent. Laus, & magnitudo Principis non in eo posita est, ut multis Regionibus imperet, sed ut eas iusto, ac moderato regat Imperio, præclaris legibus Civitates instituat, suam
uti-

(a) Rem fusiori calamo enarrat Sabellicus lib. 4. dicens: *Andreas Contarenus oblatam dignitatem adire recusavit, concesseratque ob id ipsum in Patavinum agrum, tandem Urbe absuturus quoad novi alterius Ducis declaratio secuta esset. Sed cum neque publicis, neque privatis literis in Urbem retrahi posset ad dignitatem capeßendam, Cognatorum quidam ad eum ire jussi sunt, denunciantes, fore, si pergeret obstinate agere, ut paulo post, publicatis bonis, ipse in exilium ageretur. Nec hoc unum insignis animi sui moderationis specimen dedit Dux iste, si fides, ut ei jure debetur, Gaspari Contareno, dum in suo de Republica Venetorum libello, Venetos ab ambitionis nota vindicare contendens, hæc habet: Unum ex innumeris gentilis mei Andree Contareni Ducis exemplum adferam; Genuensi bello gravissimo, ac longe omnium periculossimo, cum Dux hic noster Reipublica præesset, incredibili sapientia, animique magnitudine singulari, rem patriam servavit, hostesque jam victores, maxima clade illata prostravit. . . . Conseruata Patria, re aucta, confirmataque Republica diem extremum clausit, ac testamento cavuit, ne ejus sepulchro, quod ad hunc usque diem visitur, juxta Templum D. Stephano dicatum, ulla Ducis insignia, ullave Gentis nostre affigerentur, ne nomen quidem ibi tam magni Ducis inscriptum videas; qua ejus modestia effectum est, ut Viri celeberrimi, illustrissimi-que Principis monumentum plerique ignorent.*

(b) Qui rem, ut ajunt, ab ovo percipere cupit, Vitam ejusdem Poli consulat, typis Brixianis editam anno 1744. ab Angelo Maria Cardinale Quirino, certe & pur-pura, & omnigena sua eruditione clarissimo.

utilitatem, Civium, & privatorum commodis metiatur. Satis dives est Princeps, si ii, quibus præest, divites sint, & ab illis veluti Paterfamilias, ametur. Amabitur autem, deposita tanta regnandi cupiditate, voluptatem maximam ex literarum studiis percipiet, veluti in privata Domo, sine ulla custodia corporis, vivet. At reliqui, quid cum sua ambitione agere vellint, non video, proponentes sibi popularem gloriam. Romanas nonnulli dignitates, Magistratus alii, atque Præturas, virtutem ament singuli, se dignos imperio declarent; leviam huiusmodi facillime assequantur, vel si non consequantur, æquissimo animo ferent, ubi enim est virtus, ibi necessario est gloria. Philosophi vero discant ex sua Philosophia, honestum solum illud esse, quod cum ipsa virtute conjunctum sit, virtutem in nobis positam, constitutamque in ipsius actione felicitatem; externa hæc omnia multis de causis negligenda. Itaque hoc in primis existimo futurum mortalibus utile, ut ab adolescentia, virtute omnia metiri, incipiant, paucis contenti esse discant, in seipsis omnia collocent, nihil, quod extra se sit, ad se putent pertinere, divitias contemnant, hominum, magnam apud vulgum, existimationem, omnino assuescant negligere, doctos, & innocentes Viros ament, observent, atque imitentur. MARINUS. Mihi quidem illud in te convenire videtur, quo de Pericle Principe Græciæ, memoriæ proditum est, qui cum loquebatur, non loqui, sed potius tonare, & permiscere Græciam videbatur. DONATUS. Itaque caveat, ut a peste, ab adulatione, est enim ipsa dulce venenum, & alit semper nostras levitates, & ineptias. Eritque ad hoc utilissimum, ne res nostras multum augeamus, despicientes alios, & nosmetipsos, vellimusque haberi doctiores, vel ditiores quam simus. Etenim aucupari famam popularem literis, divitiis, vel nobilitate, quia est facillimum, maxime ambitiosum haberi debet. Nam laudant facile omnia omnes homines, & præsertim indocti, reprehendere non audent nostros errores, nisi optimi & innocentes Viri. Nocent crebræ laudes, ita enim iis sæpe fallimur, & ea nobis persuademus scire, quæ prorsus ignoramus. Conducet igitur in primis ad hanc moderationem animi acquirendam ut raro, & difficillime se laudari Adolescentes patiantur, ut celent, si quid excelsum in ipsis sit, solaque virtute sint contenti; si vero quid in ipsis sit minime laudandum, quod ignoretur ab aliis, non moleste ferre. Itaque quicumque moderatione septus scientiarum, & cæterarum virtutum comitatu ornatus est, honeste, & jucunde vivit, natura hominis plane divina contentus est, contemplatur res æternas, admiratur naturæ ordines, dignum se esse cognoscit, qui aliis præsit, qui laudetur, in summo honore habeatur, Imperia, ineptorum laudes, popularem gloriam, ut ea, quæ insipientes consequi solent, negligit. Serviunt libenter omnes Principi bono, amat quisque virtutem, ejus pulchritudine nemo est, qui non aliiciatur. Honores, credite mihi, laus, & gloria, quæ vere gloria appellanda est, virtutum ut umbra corpus, consequuntur. Satisfeci, ut arbitror, vestræ voluntati; apparet quid ex Veterum sen-

tentia, sit ambitio, quam leves, & miseri homines sint ambitiosi, addidi etiam documenta, quibus dum estis Adolēscētes, hanc pestem cognoscatis, & fugiatis. Nisi aliquid aliud vultis, hinc abeamus. **SANU-
TUS.** Nos quidem ex hac disputatione fructum capiemus maximum, etenim tuis sapientissimis consiliis parentes, dabimus operam, ut honoribus digni simus; secundo loco, ut Viri boni, nos honore dignos existiment, postremo, quod plerique omnes, primo sibi quærendum esse arbitrentur, ut eos consequamur. **DONATUS.** Jucundissimum est, semper erit, obsequi vestris studiis. Utinam, quemadmodum vehementer cupio, possim vobis aliis etiam in rebus prodesse de ambitione, quæ diximus, satis sint. Sed antequam hinc discedamus, mihi liceat, vos hortari ad res præclaras, ad honestatem, ad gloriam, ad immortalitatem consequendam; quod, quamquam non est opus, estis enim vos vestra sponte incensi ad laudem, tamen pro mea erga vos benevolentia, libenter facio. Cogitetis sæpe vobiscum, quanta beneficia & contulerit, & conferat quotidie ille totius Mundi Opifex Deus, in hanc Rempublicam. Hæc enim cogitatio excitabit vos ad omnes labores perferendos, omnesque voluptates contemnendas, ut digni tanto, & tam magno beneficio judicemini. Revocate vobis in memoriam sapientiam, & moderationem Majorum vestrorum; vobis semper versentur ante oculos tot præstantes Viri, qui in hac Republica fuerunt: Bernardus Justinianus, Hermolaus Barbarus, Hieronymus Donatus, Gaspar Contarenus, Andreas Naugerius, Gritus, Landus, Donatus Princeps, Nicolaus, Bernardus, Dominicus Trivisanus, Gregorius Cornelius, Marcus Minius, & multi alii Senatores amplissimi. Hos imitemini, cum ipsorum gloria contendite. Meminisse vos oportet, qui claris estis orti Parentibus, nihil esse turpius, quam a majorum gloria degenerare. Recordentur, qui nullum domesticum, quo ad res magnas accendantur, habent exemplum, nihil sibi fore gloriosius, quam si de Republica benemerentes, primi splendorem in domum suam inferant. Quicumque locupletes nati sunt, fruantur modeste divitiis suis; qui tenue habent patrimonium, certo sciant, si justitiam coluerint, cum sint nati hujus Reipublicæ Cives, se divites futuros. Adolēscētes, ut faciatis more majorum, senectutem veneremini. **HERMOLEOS.** Ego, ita me Deus amet, hunc Virum audiens, mirum in modum delector, & ita ad honestatem, & ad laudem me inflammari sentio, ut plane ardeam. **MARINUS.** Nos etiam, quemadmodum Frater, magna cum voluptate, de rebus præclaris, dicentem audivimus, & mirifice tua cohortatione sumus ad honestatem, & gloriam incensi. Sed obsecro te, ut nihil sit, quod in hac re desideremus, nobis tuam sententiam explica, de hac ratione prehensandi, qua nunc utuntur fere omnes Cives, & qua qui excellunt, facile amplissimos consequuntur Magistratus. Primum a te cupio scire, utrum Viro bono in hac Republica liceat prehensare; si licet: quatenus liceat. Hæc enim quæstio habet multas difficultates; nam qui abhorret ab omni ambitu, & qui, nisi vocatus, ad Rempu-
bli-

blicam accedit, in suspicionem superbiæ plerumque incidit, & a nonnullis haberi potest Civis parum amans Rempublicam, quippe qui Rempublicam, qua nobis nihil debet esse carius, negligat, eique operam suam non deferat, & demum locum, quo ipse Reipublicæ posset prodesse, a malis Civibus plerumque occupari patiatur. Contra, non ignoro, quam ridiculum, quam miserum sit pendere ex multorum nutu, omnes cogitationes in salutatione, & adulatione ponere. Obsecro te, meo, & omnium qui adsunt, nomine, ut nobis hac de re tuam sententiam exponas. **DONATUS.** Quod a me requiris, dicam paucis verbis. Ego sic statuo; ut salutare humaniter omnes Cives, est hominis, & illius hominis, qui sit optimis moribus præditus, & maxime amet concordiam, ita omne studium in petitione Magistratuum collocare, & singulos, singulis diebus, hanc unam ob causam blande appellare, & angusti, & miseri animi indicium vel maximum, existimo. Quæ enim dici potest servitus, si hæc non est? Verum, supreme Deus, cur tanta diligentia Magistratus ambimus? qui certe nisi lucro, pecunia, & inani quadam gloriola capiamur, nobis labores afferunt incredibiles. Reipublicæ causa nullus labor, nullum periculum est detrectandum, si opus est, mors etiam ipsa alacriter est oppetenda. Quare cum semel palam omnibus fecerimus, nos ut bonos Cives decet, esse paratos omnibus in rebus Reipublicæ servire, si Cives nostra opera uti voluerint, nulla in re Reipublicæ deesse debemus; sin minus, fruenter honestissimo otio, & jucundissima libertate, æquissimo animo ferre, quod alii nobis, & Reipublicæ præstent. Hanc rationem secuti sunt Majores nostri, qui maximos Magistratus, & Principatum etiam ipsum, ut paulo ante dicebam, Reipublicæ causa recusare consueverant; quorum moderationem, & sapientiam utinam, ut admiramur, ita imitemur. Sed pluribus verbis, horum temporum mores reprehendere, non est necesse. **GRADONICUS.** Quamquam ego te, eadem de re, sæpe disputantem audivi, & legi quoddam pulcherrimum opusculum, quod superioribus annis ad Victorem Bragadenum misisti, tamen jucundissimum mihi fuit interfuisse huic sermoni; & ut credo, vos etiam nobilissimi, & optimi Adolescentes, hodierno die, magnam ex hoc congressu voluptatem cepistis. **MARINUS.** Nos quidem, ut pro Federico, & pro Fratre respondeam, non poteramus majore nostra cum voluptate traducere hunc diem; illud enim didicimus, quod est principium bene, beateque vivendi; in una virtute summum bonum esse ponendum, virtutis ipsa, ut Plautus ait, fautoribus non esse ambiendum; ineptos homines, qui salutationibus, & assentationibus ad amplissimos Magistratus student pervenire, esse contemnendos. Sed utinam, ut nos interfuimus huic sermoni, interesse potuisset universa Respublica, ut singuli discerent, virtuti semper omnia tribuere, ambitiosos contemnere, ad honestatem, ad gloriam, ad Reipublicæ dignitatem omnia referre. Sed quoniam, & jam diu sumus locuti, & obscuritate noctis opprimimur, discedamus.

RICORDI PER SCRIVER LE HISTORIE
DELLA REPUBBLICA DI VENEZIA DI QUESTI TEMPI
A M. ALOIGI CONTARINI CAVALIER,
DATI DALL' EMINENTISSIMO CARDINALE
A G O S T I N O V A L I E R O,
FU VESCOVO DI VERONA.

SEQUENS Augustini Cardinalis Valerii Opusculum, Aloysio Contareno Vincentii Filio, & Gasparis Cardinalis Nepoti, nuncupatum, adamussim juxta Apographum quod obtinuimus, tum quoad verba, tum quoad scribendi rationem, duximus Lectoribus esse exhibendum: quin ad meliores Grammatices, & Ortographias leges, pro arbitrio nostro, revocaretur. Quo præcise anno hæc fuerint scripte mandata, satis indigitat Valerius ipse, initio dum ait: se monita hæc, exposcenti Contareno, dedisse, cum ei nuperrime munus Historiæ Venetæ conscribendæ demandatum fuisset. Decemvirum autem Decretum, quæ Aloysius, ingenii præstantia, & eloquentiæ laude, nulli sua ætate, Paulo Manutio teste, secundus, publicus designabatur Historicus, die 13. Martii 1577. datum fuisse, nos docuit Cl. Apostolus Zenus, de Venetis Historicis, præloquens. Anno sane septuagesimo septimo supra millesimum quingentesimum, hæc lucubrasse confirmant sequentia Valerii verba, haud longe posita ab hujusce libelli fine: *la fuga di molti, & la calamità dell' anno passato 1576. per conto dell' Infermità, ch' è stata, &c.* Cum vero Contareno vix biennium inter vivos, post hoc ei concredutum munus, expleverit, nedum extremam operi jam confecto manum imposuisse, verum & conficiendo primum aliquando animum adjecisse, apertis his verbis negat Valerius: *immatura morte præreptus, Patriæ, quemadmodum vehementer optabat, hac in re obsequi minime potuit.* His, per mox memoratum Apostolum Zenum ex Historia Veneta ipsius Valerii, sibi a Bernardo Trivisano Nobili Veneto olim exhibita, transcriptis verbis, spem omnem nobis ademptam Historiæ Contareni tandem aliquando obtinendæ, nemo non videt. Nihilofecius Virum rerum harum satis peritum, Amico suo P. F. Carolo Lodoli Mini. Obser. significasse novimus, se Aloysii Contareni historiam (Autographum ne dixerit an potius Apographum nescio) vidisse; quinimo & de ea evulganda aliquandiu cogitasse. At de hoc fides sit apud ipsum.

SE io ricusassi di soddisfar a la richiesta, che m'havete fatto, di darvi qualche ricordo, in questo carico, che vi è stato nuovamente dato dall' Illustrissimo Consiglio di Dieci, de scriver l' historia di questi tempi, in quella parte principalmente, che appartiene alla Repubblica, voi direste: come? puo egli negar, che S. Basilio così santo, & che era occupato in estirpar l' Heresie di quei tempi, non scrivesse del modo di prender utilità dai libri de Gentili? S. Agostino, che fu pur Vescovo, ha scritto in tanti propositi a persone diverse, cose, che non dipendevano in tutto dalla Sacra Scrittura; e nel libro *de Civitate Dei*, fa longhissimi discorsi sopra parole di Varrone, di Apulejo, e di altri Scrittori; & S. Gregorio Nazianzeno, per ritornar a Greci, ha

te di Pio V. Pontefice di molta Santità, & di grand animo, & pochi mesi doppo, la conclusione della pace, o tregua, che sia; col Turco. E' avvenuto l'incendio di parte del Palazzo, che messe, come intendo, tanto terrore nella Città; & pochi mesi doppo, la venuta di Enrico Terzo Rè di Francia, che si era partito dal Regno di Polonia, il qual fu ricevuto regiamente nel modo, che si fa, & fu a tempo, che voi eravate Capitanio di questa Città. Ultimamente in questo spazio di tempo, ha dato grandissimo travaglio alle Città del Dominio, e sopra tutto a Venezia, la mortalità, che è stata principalmente nei Poveri, della quale non è ancora affatto levato il sospetto; & è comune opinione, che nasca da febri contagiose, nominata da alcuni Peste, da altri Giandufcia, da altri assolutamente, mal contagioso. Alcuni hann' detto che la guerra del Turco mossa contro la fede data, con la sua sottoscrizione, per il Regno di Cipro, nascesse dalla relatione, che fosse fatta della gran carestia, ch'era in Venetia; anzi dicono, che l'incendio dell'Arsenale ebbe origine dalla malizia delle persone per gratificar l'inimico commune, dal qual, vogliono, che fossero corrotti. Altri hanno detto, che quelle Fortezze del Regno di Cipro lo indussero a pensare a questo; altri che per honor suo, persuadendosi, che sia vergogna a ciascun Imperator de Turchi, non aggiunger qualche cosa all'Imperio suo, & farsi una Moschea, pensò, che quella impresa fosse più facile. Voi non stimarete mai le cose, che afferma il Volgo, ma auderete ponendo le ragioni più probabili delle cose, guardandovi da quel scoglio, che è: *ponere dubia pro certis*; & la via è, lasciar il giudizio al Lettore nelle cose che non si possono così affermare. Gran scoglio haverete a passare, parlando della osservazione della Lega, che alcuni vogliono, che si sia tardato alcune volte con qualche malizia, alcuni per pura necessità, & per impossibilità, adducendo le cose di Fiandra per impedimento giusto; nel che certo si convenirà mostrar prudenzia, e dovrete guardarvi, interpretando le azioni in peggior parte, di non far del troppo giudicioso, come tal' hora hann' fatto alcuni storici, ma lasciar il loco alla verità, narrando quel, che si diceva, & inclinando voi alla parte manco malitiosa, havendo l'occhio alla verità del fatto, senza farci sopra tanti comenti, nelli quali speffe volte, chi pensa haver maggior ingegno, più s'inganna; e la sottigliezza non è molto amica del giudizio, nè meno del consiglio. Et haverete ancora da considerare di parlar in modo, che in cambio di sacrificar alla verità, che Luciano disse esser uffizio dell'historico, alcuno non possi dire, che sacrificate al vostro stilo, alla vostra Patria, della quale parlando con quella sincerità, che si conviene, nessuno può scriver cosa indegna, che sia di consideratione; perchè è Republica che ha buon fine, & il Senato è pieno di consiglio, & ha sempre l'occhio a quel che ricerca l'honesto, & il ben pubblico. Non di meno, noi altri, che siamo nasciuti in quella Patria, & che l'amiamo, più cautamente dobbiamo parlar della nostra Madre, non defraudandola però a tempo di quel.

di quelle laudi, che se le devono, e ciò si deve anco fare parcamente, voglio dire, che chi tribuisse tutta la laude della Vittoria a' Venetiani, & chi non desse parte conveniente anco agli altri, come fanno alcuni troppo amatori di se stessi, direbbe cosa, che non haverebbe troppo del probabile, & si farebbe odioso.

Rende ancora difficile, e molesto il carico, che avete di scriver historie, il desiderio, che molti hanno di esser lodati; perchè ogn' uno pare che diventi cieco, giudicando di se stesso; & perciò a chi stampa le historie sue facilmente conviene o incorrer in suspicione di adulator, o nell'odio di molti; per ilchè è giudicata cosa da persona prudente, non legger così le sue historie a tutti, nè tampoco lasciarle così presto uscir in luce. Vogliono tutti essersi mostrati valorosi, ed aver gran parte della vittoria. Io giudicherei, che doveste usar diligenza per informarvi della verità di successi delle cose, e del valor degl' huomini, per poter farne mentione al suo tempo, non tanto per far cosa grata a loro, quanto per eccitar molti all' imitatione delle medeme virtù; & se bene, come s'è provato di sopra, non è da buon historico far del troppo accorto, interpretando in mala parte li disegni, & attioni degli uomini, deve non di meno non mancar dell' officio suo in scoprir la viltà, e li mali portamenti di quelli, che havessero operato cosa indegna d' huomini; & questo per scoprir la verità, che è suo principal scopo, & per impaurir anco con la infamia le persone, che fossero mal inclinate. Nè può l' historico senza carico di conscientia mancar del suo uffizio, tacere di commemorar con biasimo li mali portamenti di alcuni; & di ciò ne vien dato esempio nei Libri de i Re, nei quali non si lascia di parlar dell' adulterio di David, & della incontinentia di Salomone, per non far ingiuria alla verità; & ciò è stato fatto per lasciar esempio della fragilità humana, & della vera penitentia. Et se l' historico esperimenta in fatto, che *veritas odium parit*, deve contentarsi di questa specie di materie civile, esser malvoluto per scriver il vero. Se ben potrete fuggire quest' odio con la forma del scriver, narrando nudamente il fatto, & differendo a dar in luce la vostra historia; il che mi pare, che sia sano consiglio, bastando a voi, se quando piacerà al Signore chiamarvi a sè lascierete la historia in termine, che possa esser stampata; sopra che potrete ancora prender il parer d' altri. Nissuna parte dell' historia potrete più facilmente comunicar, che quella parte delle concioni, che ha dell' Orator affai, che sarà necessario fare ad alquanti, che saranno capaci di spirito oratorio; come quella concione, la qual si dice haver fatta il Clarissimo M. Girolamo Grimani Procurator, bona memoria, che voleva, che si facesse soli, e presto; & altre concioni di altri Senatori, che contenevano questo: che era pericoloso contrastar col Turco soli, che si metterebbe il Stato della Republica in manifesto pericolo. Quella di non voler udire quel Chiaus, che dimandava udienda, secreta, & quella tra le altre, che suadeva a trovar qualche termine alla guerra. Le de-

scrit.

scritture potrete ancora comunicar con molti , come quella della venuta del Re di Francia a Venezia , quella della carestia , che fu del 1562 , & la fuga di molti , & la calamità dell' anno passato 1576 per conto dell' infermità , che è stata , e si dice non esser ancora estinta . Dovete ben considerar , che il Volgo spesso volte s' inganna , & leva certi rumori falsi , come disse un Senatore , che veramente s' era ingannato il Volgo , pensando che al tempo , che il Re di Francia fu in Venezia , un Principe d' Italia facesse tanti mali uffitii per oscurar il splendor di quella Repubblica , mi affermò che il Volgo aveva preso notabil errore . Ci sono in Venezia molti huomini di giuditio , & di grand' esperienza , con li quali in ogni modo dovete haver spesso volte conversatione , & principalmente con quelli , che si sono trovati sul fatto della giornata , o che hanno maneggiati i negotii , o nell' armata , o in Roma , o che sono stati continuamente in Collegio , trattando negotii publici importanti . Et non picciola utilità potrete cavare dalla conversatione di persone intendenti anco di lettere , per ritrovar meglio la causa di tutte le cose , & li veri fondamenti delli tumulti di Fiandra , & di Francia , de' quali sarà necessario far menzione , come d' impedimento in un certo modo dello stabilimento , & accrescimento della Lega , & con persone docte che sappiano proporre li principii di tante infermità , onde sono nati tanti travagli in queste Terre di Lombardia . Particolar domestichezza dovete haver con li Scrittori d' historie , che vivono , & trattar col Sigonio , il quale suol venire in spatio di qualche anno a Venetia qualche volta ; & dai suoi ragionamenti senza dubbio potrete cavar qualche frutto , & vedrete in ogni modo di liberarvi da certe occupationi , per far il vostro officio bene , che è non di scriver qualche Opusculo a qualche Amico , come ho fatto io da molti anni in qua , altrettanto per recreatione mia , quanto per giovar altrui ; o vero di dar ricordi ad alquanti Giovani per istruirli nella Filosofia ; ma è di ammaestrar la posterità , e di notificar la verità di cose importantissime a tutte le Provincie del Mondo , & principalmente a quelli della nostra Patria , acciochè ne possino ricevere ammaestramenti . Perciò , non potendosi , come diceva Platone , occuparsi l' animo in cose molte diverse , & impedendo l' applicatione ad una l' efficacia , che haverebbe l' animo applicandosi all' altra sola , usate diligenza , come credo che farete , di ordinar le cose di Casa vostra in modo che non habbiate da starvi sempre occupato , ritrovandovi in ogni modo un buon Economo , o Fattore principale , perchè non è dubbio , che la cura assidua delle cose di casa distrahe molto l' huomo dai studii , & principalmente dai componimenti . Quanto a gli honori , nel memoriale , che vi diedi al vostro partir di qua , dissi : che erano da fuggire , ma non da ricusare , & così , per quanto m' accorgo , osservate , non vedendo che siate nominato negli uffitii di Collegio , & havendo cesso a tutti di vostra casa l' anno passato , quando si eleffero li Senatori , secondo il costume , il mese

mese di Settembre. Ma chi più fugge, più vi si corre dentro molte
 volte; come avvenne a M. Marcantonio Trivisano, che fu tante volte
 Savio del Consiglio, il quale non ebbe mai Magistrato grande; che non
 piangesse prima un poco di haverlo havuto, tanto era ornato quell'uo-
 mo di Dio, di modestia, o più tosto di humiltà Christiana, & al fine
 fu poi anco Principe della nostra Patria, e morì santamente udendo la
 santa messa, come fu detto, per il digiuno, che haveva voluto offer-
 var della Quaresima molto afflito. Farete bene a perseverare in questa
 libertà di non voler ogni tratto dimandar honori, e far servitù a tan-
 ti, per non comprar con tanto prezzo travagli, attendendo a ringraziar
 Dio di tanti beneficii, che vi ha fati, appresso a godere la predicatione
 di huomini rari, che sogliono venir in Venetia, a praticar con perso-
 ne di spirito, & di lettere, sospirando spesso volte in quel vostro Giar-
 dino, come par che faceste meco passeggiando; replicando quelle paro-
 le: *quam bonus est Dominus*. Et credo, che sarebbe necessario, che vi
 trovasse un Giovane esercitato nello stile, che fosse buono per trascri-
 ver più d'una volta, & presto, quel che voi haveste scritto in torno alle
 historie, & che potesse scriver quel che voi dittarete; perchè il tanto
 scriver, e rescriver di propria mano, non può far, che non appor-
 tanno molto alla sanità, impedendo la digestion, offendendo la vista.
 Ma in ciò vorrei, che usaste diligenza in trovar persona, che have-
 sse buoni Maestri, & potrete di ciò farne pratica col Sigonio, o
 con questi tali, che non può esser, che non habbiano qualche loro Di-
 scepolo da proponervi. Io certo non haverei da proporvi persona, che
 la levarei da ogni officio per scrivervi, perchè non ne conosco di quel
 stile, nè di quel giudicio, che sarebbe necessario; essendo soliti questi
 nostri, di qua applicarsi ai studii Ecclesiastici, & de Laici, non essen-
 dovi quei buoni Maestri, che sarebbero necessari per far rari Giovani
 nello scrivere. Usando voi sopra ciò diligenza, senza dubbio troverete
 persona, che sarà secondo il vostro desiderio. Guardate di non usar tan-
 ta diligenza nel legger, e scriver, che la vostra complessione senta no-
 cumento, & per me credo, che farete bene differir qualche mese a co-
 minciar a scriver, informandovi prima bene delle cose, & prendendo
 l'aere di Sallustio, o di qualche altro historico; & non scrivendo tan-
 to ai presenti, quanto alla posterità, non dovete haver tanta fretta, co-
 me s'è detto, dovete pensar più di lasciar buona historia, che di scri-
 ver presto. Fate in ogni modo, che M. Niccolo Barbarigo nostro, vi
 lasci lui ancora, prima che vadi al suo Carico di Costantinopoli, qual-
 che ricordo suo sopra di ciò; perchè ha testa molto capace, & giudi-
 cio da farne stima grande in molte sorti di lettere, principalmente in
 questa di scriver historie, credo che veramente egli vi lascerà migliori
 ricordi, che non son questi miei, che io vi mando per satisfarvi. Pa-
 reva, che io potessi inscriver questo libriccivolo, che con questo nome lo
 voglio chiamar, non potendo hormai questa longa diceria chiamarsi let-
 tera, pareva dico, che si potesse iscrivere *Historiografo*, essendone fatte al-
 cune

cune delineationi, & desiderando io, che sia tale; ma mi son accorto, che la pittura è rozza, & che la parola è superba, & che io non ho potuto usar diligenza nel scriver a questo tempo; onde mi son risolto di mandarvi quanto ho scritto, con semplice titolo di ricordi scritti a voi, come a carissimo amico, & fratello, che mi sette già tanti anni, & non havendo potuto pensar a bastanza a quanto s'havessi potuto dire di più, per le occupationi, che mi sopravengono del Sinodo, che si farà alli 19 di questo; & dopo per la necessità, che averò di far poco di visitatione per la Diocese. Pigliate questi ricordi per adesso, con promessa, che se mi occorrerà alcuna cosa, che giudichi potervi dar qualche lume in questo carico, che havete da sostenere per ordine pubblico, lo farò volentieri, & se ben sapeffi, che non ne havete bisogno, mi farà però caro satisfar alla vostra modestia, per mostrarvi anco in questo, l'amore, che io vi porto.



PETRI

PETRI BARROCII

PATRICII VENETI

EPISCOPI BELLUNENSIS

DEIN PATAVINI

ORATIO CONSOLATORIA, ET CARMINUM

LIBRI TRES.

P R Æ F A T I O. ¹⁹⁵

DIFFICILE admodum opus nequaquam aggrederer, si Petri Barrocii, Bellunenſis primum, dein Patavini Epifcopi, quæ geſta, quæ mores, quæ ſtudia ſpectant; tum ex Chriſtopheri Marcelli Oratione in ipſius funere habita, & a Cl. Joanne Antonio Vulpio, publici juris jam facta, tum ex Scardeonio, Thomafino, aliisque, fuſo vellem referre calamo. At cum probe noverim præclarum alium Virum ex Sacro Minorum Cætu, eam, quam P. F. Joannes ab Auguſtinis, Ordini ſuo, & Urbi noſtræ nuper immatura morte ſubreptus, in ſe provinciam ſuſceperat, excolere velle, vitas nempe Venetorum, qui ſtudiis clauerunt, exhibere; ut quod ille, binis jam editis Voluminibus cæperat, ad umbilicum aliquando perducatur opus; intactam ipſi hanc meſſem, ultro dimittam. Nonnulla duntaxat, eaque extremo, ut ajunt, digito, circa ſtudia Barrocii, lucubrationeſue, attingam. Is igitur ex vetuſtiſſima Venetæ Urbis Barrociorum Familia, circa Sæculi XV. dimidium natus, Patrem habuit Aloyſium, Benediſti Filium, Civem optimum, Senatorem ampliſſimum, plurimis Reipublicæ Magiſtratibus, ac Decemviriſque etiam perfunctum. Poſt prima Grammaticæ rudimenta, præcitati Marcelli verbis utimur, Rethoricæ incumbens tam mirifice profecit, ut facundiſſimus Orator haberetur. His nondum contentus ad Patavinum Gymnaſium ſeſe tranſtulit; in quo Dialecticam, Mathematicas, naturalem, pariterque divinam ſcientias amplecteretur. Tam ingentem his diſciplinis operam navavit, ut non tantum, quæ Arithmeticæ, Muſicæ, Aſtronomiæ, Geometriæ dogmata tradiderint alii, brevifſimo temporis curriculo didicerit; verum etiam, quæ tot retro ſæculis nunquam viſa fuerint, inveſtigaverit, invenerit, demonſtraverit. Circularis ſiquidem figuræ quadrationem ſui ingenii acumine adinvenit Medicinæ quoque ſingulariſſima præcepta concaſtuit morborum fere omnium optima, & ſecretiſſima familiaria habuit medicamenta; Pillularum, quas Epifcopales vocant admirabilem compositionem inſtituit. Civiles, & Canonicas ſanctiones totis viribus amplexus eſt quibus omnibus tantum profecit, ut adhuc Adoleſcens omni-

Bb. 2.

genæ.

genæ literaturæ laurea fuerit decoratus. *Nec tandem renunciatus Episcopus Bellunensis, & post annos circiter tredecim ad Patavinam Sedem translatus, potuit a studiis suis revocari, quin tamen pastoralibus curis unquam sese denegaret.* Eo enim tempore ait memoratus Marcellus, quo alii pro naturæ fomento ad animi relaxationem utuntur in contemplandis, & componendis operibus utebatur; non enim tantum dum viveret, sed & post occubitum aliis profuisse curavit. *Hinc non mirum si e vivis recedens, ætatis suæ anno sexagesimo sexto, plura reliquerit, eloquentia, prout ætas illa ferebat, & eruditione, re-ferta, ingenii sui monumenta, siue Carmine, siue oratione soluta, luce quidem digna, sed non luci eo vivente donata.* Scripsit itaque Libros tres de ratione bene moriendi (non unum tantum, ut habet Jacobus Philippus Thomasinus) Tres item Consolatorios; binos quidem ad Joannem Michaellem S. R. E. Cardinalem, in Victoris Michaelis patruelis morte; tertium vero ad Petrum Fuscarum S. R. E. pariter Cardinalem, in morte Fratris sui Ludovici Fuscari. Scripsit, & Hymnos, & Carmina plura, Orationes etiam nonnullas habuit, & Epistolas plurimas dedit. Opusculum De ratione bene moriendi, nec non aliud Consolatorium, vigintiquatuor ab Auctoris obitu elapsis annis, scilicet 1531, Veneris typis consignavit Bernardinus Scardeonius; quibus, ut ad Marcum Vagarium scribit, celebre Petri Barroci nomen ab injuria temporum vindicaretur; utque exemplo suo excitati ii, pene quos cætera latent Barroci opera, non ulterius supprimerent, aut tandem perire permetterent, sed potius in lucem proferrent, & expectantium desiderio satisfacerent vel sero. Satisfecit equidem, sero licet aliquantulum, Vir de literaria Republica optime meritis Joannes Antonius Vulpius, qui anno 1719, tres Orationes edidit, quas Barrocius habuerat; primam quidem: Pro Francisco Scledo Vicentino, eorum, qui jura Patavii dicunt, Rectore; alterum vero Pro Christophoro Mauro Venetiarum Duce, quo die Joanni Patruo Bergomensis prius Antistite, postea Venetiarum Patriarchæ, Venetiis venienti, obviam cum Senatoribus, & Urbe tota profectus eum Castellum usque deduxit; tertiam tandem In funere Antonii Roicelli Aretini Jurisconsulti doctissimi, & in Patavino Gymnasio publici Ecclesiasticarum legum interpretis. Serius adhuc nos ipsi,

ipsi, ut expectantium desiderio fiat tandem satis, Hymnos Barroccii, & Carmina plura, in tres tributa libros, praelo nunc primum committimus, ex nitidissimo membranaceo Codice, Doctoris Hieronymi Capello, quem pro singulari sua humanitate & transcribendum exhibuit, & luci donandum. Cum vero his Carminebus, præfationis loco Barroccius præmiserit Consolatoriam Epistolam ad Petrum Fulcarum; eam quoque, esto, ut diximus, 1531 editam, cujus tamen rara exemplaria, diligenti cum memorato Codice collatione instituta, ac meliori lectione servata, iterum damus. Perierint postremo, an alicubi lateant Barroccii Epistolæ, quarum meminit Thomassinus minime constat; hoc unum certo scimus Petrum Barroccium jam quinquennio Juri Civili navantem operam, Orationem in morte Joannis Patru sui Patriarchæ Venetiarum, pro se, proque tota Familia habuisse ad Paulum II. Pontificem Maximum. Hujus Apographum apud Virum doctissimum Amicum nostrum, videre licuit at non edere. Nonnulla tamen delibavimus, quibus in notulis nostris utemur.



PETRO

P E T R O F U S C A R O

PATRICIO VENETO

*Miseratione divina, S. Nicolai inter imagines, Ecclesie Romanae Presbytero
Cardinali, Episcopo Patavino, & Comiti Saccenti.*

P E T R U S B A R R O C I U S

PATRICIUS VENETUS.

*Dei, & Apostolicae Sedis gratia Episcopus Bellunensis,
& Comes S. P. D.*

QUANTO mihi, bonisque omnibus majori fuerit Ludovici Fratris, quem paulo ante sanum, atque incolumem cum dimissem, brevem vitam finisse, audivimus, mors insperata, dictu facile non est. Etenim ea erat probitate, atque prudentia, ea in te, ac Patriam pietate, (quæ duo apud me summo in precio sunt) ut te, Urbemque nostram tantam ob ejus mortem molestiam accepisse existimem, quantam ob alterius, qui superioribus annis obierit, Senatoris ferme nullius. Prætermitto domesticas causas, luctumque familiarem, ut suos, ac Fratris, qui ante mortuus est, Filios orphanos, ut Uxorem faminam pudicissimam, Viduam, ut Gentem Fuscaram, Viro præstantissimo, orbatam reliquerit. Sunt ista quidem ingentia, & quæ tolerari vix possint, sed non communia. Illud me omnibus commune conturbat, quod Patriam nostram, cujus unicuique nostrum prima post Deum cura esse debet, Cive, omnium judicio, facile summo, & te, quem ob singulares virtutes non est tantum, sed Orbi quoque universo natum videmus, fratre carissimo, ac rerum tuarum studiosissimo, privatum intelligo. Quod si non cæteros quoque omnes conturbat, necesse est, quicumque illi sunt, se aut ictum non sentire, ut lapides, aut bonum commune non curare, ut Bestias. Nam ejus, qui diem obiit causa, tantum abest, ut ulli bono dolendum esse putem, ut gaudendum, potius, gratulandumque *Psal. 115.* esse confirmem. Alioquin frustra didicissemus: pretiosam esse in conspectu Domini mortem Sanctorum ejus; sine causa legissemus: beatos mortuos, qui in Domino moriuntur; in cassum audissemus: non habere hic *Apocal. 14.* nos manentem Civitatem, sed futuram inquirere. Itaque quid mihi potissime agendum sit, prorsus ignoro; consoler ne, quod Virum præstantissimum, Senatorem clarissimum, Fratrem carissimum amisisti, an gratuler, quod cum tu quoque coarctaris e duobus, desiderium habens dissolvi, quidem & esse cum Christo, multo melius judices, permanere autem in carne necessarium videas propter nos, quem Virum, cum domo egre-

dere.

dereris, prae te aliquando mittere consueveras, eum nunc in Caelum, ubi tua, cum Apostolo conversatio est, secuturus praemiseris? Et quidem consolari (si tibi modo, qui rebus adversis induratus, alios etiam consolari potes, consolatione ulla est opus) temerarium, aut certe supervacaneum mihi videor esse, utpote qui nihil afferre possim, quod ipse non antea millies audiveris. Non consolari autem a mea in te pietate, atque observantia, qua te inter omnes, & supra omnes homines colo, alienum esse intelligo. Gratulari vero, quod Fratrem amiseris, vereor, ne mihi aliquando dicatur: *Musica in luctu importuna narratio*. Non gratulari autem, quod Vir optimus, optima a Deo sit consecutus, timeo ne invidi, aut malevoli crimen incurram. Vincit tamen hanc impellentium, ac retrahentium rationum pugnam, pia impudentia, & officiosa pietatis, erga te, mea temeritas, mavultque arrogantiae, ac loquacitatis, quam negligentiae, aut oblivionis culpam subire. Consolabor igitur te, si potero, Homo Hominem, Filius Patrem, Episcopus Cardinalem.

Ecclesiast.

22.

Et cum multa mihi se ingerant, quae dici in hac re operis pretium est, ab iis initium sumam, quae temporum nostrorum magis propria sunt: adversae valetudinis, bellorum, vitiorumque turbinibus. Vides totam morbis abundare Italiam, & Urbem in primis nostram eo pestilentiae terrore, triennio ante concussam, ut non plebej tantum homines, quibus aliquis fugiendi modus fuit, sed optimi quique Senatorum, in summo Reipublicae discrimine, velut insequentem Hostem fugientes, nonnisi edicto, atque * adeo, multae indictione, revocari potuerint. * a Deo. Brixianes autem morbo acerrimo, & Medicis necdum cognito, totam pene Civitatem exhaustisse; Florentinos, praeter civiles discordias, peste quoque ferme ad * internecionem consumptos; Romam morbo conti- * internecionem. nuo agitatam, vix unquam fuisse incolumem. Quid febres referam? Quid capitis, & totius corporis dolores? Quid fluxus ventris, & periculosissimas dysenterias? Quid, quos ego, paucis ante mensibus, expertus sum, aestus acerrimos, qui ne media quidem hyeme, aquae frigidissimae, continuo potu, & cucumerum, quos Angurias vocant, frequentissimo usu, & straguli abiectione, & longissima inedia, & vini abstinentia, poterant coerceri; & (nisi quia Dominus adjuvit me) pa- Psal. 93. lomius ad imperitum perduxissent. Tu quoque, qui summa semper omnium noxiarum rerum abstinentia fuisti, cum a me primum Patavii salutatus es, sub mento ulcus habuisti, & involutum multis diebus vitta collum gessisti; & hic, cujus nunc mortem dolemus, Frater tuus, cum tecum pariter equitantes, dimidiatos fere Urbis muros circuissimus, atque in Amphitheatrum, per posticum, devenissemus, in Porticus pavimento, sanus atque incolumis cecidit, & aliquantisper, praee dolore, sedere coactus est; quem cum abs te interrogaretur, nunquid male haberet? vidimus multi, dolorem dissimulare, ne tibi, quem propter se dolere videbat, maior foret. Hanc rem, circumstantium quidam, futuri mali praesagium, arbitrati sunt; ego caritatis fraternae experimentum, quod

quod est in dolore suo, qui mærorem potius alienum curaret, & ne alteri mærori foret, ~~non dolere se affirmaret~~. Non multis mihi rationibus utendum est, ut egrotationum plena esse tempora nostra confirmem. Te ipsum testem adhibeo, qui in Amphitheatrum proficiscens, cum pro tua in omnes homines humanitate, te, quod nobiscum esse non posses (quamquam id minime ab nostrum quoquam posceretur) excusares, dicebas venisse illuc pudicissimas Fæminas Sorores tuas, omnes Viduas, cum quibus (nam postridie discessuræ erant) prandere te oporteret; quibus verbis, & Maritorum, qui vita defuncti essent, infirmitatem confessus es, & Apostolici præcepti, quo *Viduas, quæ vere Viduæ* *sunt* honorandas monet, observantiam professus. Itaque, qui valetudinis adversæ tum præteritæ memoriam, tum futuræ periculum devitavit, hunc non tam mortuum dici oportere existimo, quam bene, beateque viventem. Bellorum autem qualis, per Deum immortalem, in toto Orbe tumultus fuit? Quæ Gallorum, & Germanorum cædes? Quantus Florentinæ seditionis metus? Quam gravis Rhodiorum oppugnatio? expugnatio Hydrunti? Agrorum ad Gargani usque Montis radices, fertilissimorum depopulatio? Templorum everasio? Captivorum tum venditio, tum etiam trucidatio? Venire (ut ex Angeli Fratris, qui unius in classe nostra Triremis Præfectus est, literis accepi) quaterna Adolescentium ingenuorum capita, quinque, & viginti aureis nummis, quanti ne singulæ quidem ejus regionis Mulæ prius distrahebantur, & ne sic quidem inveniebantur emptores. Accidit quod Æneas Sylvius Cardinalis, acerrimo ingenio Vir, in Dialogo, quem Joanni S. Angeli Diacono Cardinali (a) inscripsit, Bernardinum virum sanctissimum conterraneum suum, metuentem introducit, ut quia propter injusticiam Regna, atque Imperia de gente in gentem trasferuntur, Maumethem Turcarum Ducem, velut alterum Nabucodonosor, Italia pateretur. Accidit * & eo quidem ordine, quem idem in Mantuano Conventu, seu præsidens Christianorum animos excitans, sive (quod magis credo) cum esset Summus Pontifex, & Pius, ut nomine, sic re putaretur, prophetans, contestatus est: *Per Carnos, inquit, & Forumjulii terrestribus copiis facilius in Italiam, Turcis patebit transitus* (b) Hoc nos, cum Forumjulii depopulati sunt, non aliis modo referentibus audivimus, sed oculis etiam nostris perspeximus. Quo tempore, Deus immortalis! quantus in Urbe nostra terror fuit, quanta trepidatio, quantus Senatorum, Plebisque totius metus. Non est qui, aut sciat, aut meminerit, plus aliquando

* *Navalis* ab universis fuisse ordinibus formidatum. Sequitur & dicit: * *Navali exercitui ex Vallona quam Turci possident, unius noctis navigatione, Brundisium* * *patet*. Hoc Apuli & sensere, & sentiunt, cum Hydruntum Urbem vicinam Brundisio, primo impetu oppugnatam, expugnatamque (sic) videant. Et ne magna quidem Navium multitudine intercluso Turcis mari,

(a) Is erat Joannes Caravagias Hispanus, renunciatus Episcopus Placentinus in Hispania.

(b) Hæc & sequentia signata verba ex Oratione deprompta sunt a Pio Papa II. habita, in Conventu Mantuano, anno 1459. coacto. Vid. Labbe.

mari, magnis Militum copiis obfessa, expugnataque Urbe, commotis etiam ob Maumethi mortem, & Fratrum inter se de summa Imperii contententium, bellum, totius Regni fundamentis, vel expugnare, vel in deditiōem accipere, vel certe ut Italia excedant compellere toto * * animo. anno potuerint. Utinam, inquit, mendaces, & falsi Prophetae simus in hac parte. Sed credite, nos solum recitare Sibylla. Venient, venient Turci, nisi obviam imus, & auferent nobis locum, & gentem. Quid potuit vel ab illo manifestius dici, vel a nobis probari verius, & ex iis, quæ facta jam sunt, in futurum certius formidari? Tu Fratrem mortuum quereris, & ruinæ cum præsentī, tum in primis futuræ subtrahitur fuit, ut jam ista non timere ei liberum sit. Non est ulterius cur clamet, ut optimus ille divinæ legis propugnator Matathias in Macabeorum libris clamasse legitur: *Vae mihi; ut quid natus sum videre contritionem populi mei, & contritionem Civitatis Sanctæ, & sedere illic cum datur in manibus inimicorum? Sancta in manu extraneorum facta sunt, Templum ejus sicut homo ignobilis, vasa gloriæ ejus captiva abducta sunt, trucidati sunt Senes ejus in plateis, & juvenes ejus ceciderunt in gladio inimicorum; omnis compositio ejus ablata est; quæ erat libera, facta est ancilla. Ecce Sancta nostra, & pulchritudo nostra, & claritas nostra desolata est, & coinquinaverunt ea gentes. Quo ergo nobis adhuc vivere? Non est cur laudet magis mortuos, quam viventes; non cur montibus dicat: cadite super nos, & collibus operite nos. Omnibus jam superatis, & victis, liber, atque securus, etiamsi Mundus ruat, nihil timet, tutus est, & ad nullius (sicut scriptum est) pavebit occursum. Adde quod vitiis undequaque (veluti Diabolo de abyssi profundo ad nos venire permissio) lacerantibus, & in sublime erectis, subtrahitur fuit, quæ etsi bene moratum pervertere ingenium non valebant, conturbabant tamen (ni fallor) animum innocentem, & audire talia non consuetum. Perpetrabantur, atque utinam etiam nunc non perpetrentur, scelera multa, grandia, inaudita, quæ ne audiret, persæpe surdus esse voluisset, cæcus ne videret, ne aliquo alio modo sentiret, etiam mortuus. Quando enim major aut delinquentium numerus, aut delictorum multitudo fuit? quando numerosior non impunitas modo, sed merces quoque peccantium extitit? Erant prius, quos gravis ignominia, aut pænæ metus peccare prohiberet; succedere, quibus ignominia quidem, sed levis, ac deliramento similis, pæna autem nulla, quo minus quicquid libitum foret, efficerent, vetuit. Hos, qui secuti sunt, gloriam sibi ex delictis, atque mercedem exposcunt, sicut scriptum est: *exultant in rebus pessimis*; & rursus *laudatur peccator in desideriis animæ suæ*; quippe cum in profundum malorum venerint peccatores, omnes contemnunt, nec curare putant Superum mortalia quemquam; existimantes (ut inquit ille) eum, qui semel verecundia fines egressus est, bene, ac gnaviter impudentem esse oportere. Sic vendi cæpta sunt omnia, & summis criminibus præmia summa proponi; non gulæ, non libidini modus ullus esse, avaritia crescere, & pecunia virtutibus anteponi, pessundari leges, vendi*

Anecdota Tom. I.

Gc

quæ

Lib. 1.
Cap. 2.

Ecclesi. 4.

Prov. 30.

Prov. 2.

Psal. 10.

quæ pretio æstimari non possunt, superbia eorum, qui Deum oderunt ascendere; ira, atque invidia caritatem, & patientiam profligare, desidia assentationibus, & adulationibus delectari, fides parva, spes omnino nulla existere, plus esse temporalium bonorum Scurris, & Histrionibus, quam optimis quibuscunque Sacerdotum, aut Episcoporum, & hoc (quod pessimum omnium duco) ab Religiosis, & nostri ordinis hominibus, Coqui, & Stabularii, qui ne orare quidem, pro Ecclesiæ instituto, sciant, Ecclesiarum fructibus, qui ob divinum officium, tribui deberent, abundare; egere Antistites, & vicatim prandia mendicare. Neque id in reliqua Italia solum, sed in Urbe quoque Roma, ubi numulariis, publice sænus exercentibus, tum pœna nulla, tum favor est maximus; ubi quotidianarum, aut certe frequentium venationum usque adeo, nostri ordinis quidam, studiosi sunt, ut inveniantur, qui ducenas quotidie panis libras, quibus centeni pasci Pauperes possent, Canibus pascendis appendat; & cum Dominus in Evangelio moneat: *non esse bonum sumere panem Filiorum, & mittere canibus*; jam perversis verbis, quoniam & perversa sententia est, dicat: non est bonum sumere panem Canum, & mittere Filiis. Fastus vero, & omnis generis pompas, non dico ambitiosas, & assentationum plenas salutationes, atque in his verba, minime ad legem Domini, in qua die, ac nocte meditari debemus, pertinentia, prætermitto. Divinæ legis cum studium nullum, tum ignorationem incredibilem, taceo; cum tamen scriptum sit: *labia Sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore ejus, quia Angelus Domini exercituum est*. Negotiorum sæcularium, quibus si Apostolo credimus, *nemo militans Deo* implicari debet, diligentiam prætereo. Omnia uno hoc concludi modo possunt: *omnes declinasse, inutiles factos esse, non esse qui faciat bonum, non esse usque ad unum*; ut jam parum detrimenti sit, si Juris Pontificii Libri, una omnes litura, deleantur; sic parva est legum reverentia, sic exiguus Dei timor, sic prona, & facilis in omne malum consuetudo. Fecere jam pessimi multi, ut Optimi censeantur, qui mediocriter mali sunt. Voluit his rebus, pro sua probitate, atque sapientia, Sixtus Pontifex Maximus modum imponi, & ex omnium Cardinalium cætu, summos aliquot, omnium judicio, Viros delegit, quibus negotium demandavit (a). Fecere illi, quod jussum fuerat, sed nihil profecere; vicit enim (ut sæpe antea) major pars, meliorem. Urbs tota, si ædificia, & vias inspicias, multo nunc pulchrior est, quam multis jam annis fuerit; sin mores, & vitia, turpior. Memini, quo primum die, Turcarum in Italiam transitus Romæ nunciatus est, me, inter equitandum (nam a Pontifice accersiti eratis) a Joanne S. Marcelli Presbytero Cardinali (b), cui partim ob consanguinitatem, partim ob summa in me, domumque meam, beneficia,

plu-

(a) Extat apud Raynaldum ad annum 1483. Sixti ipsius Papæ IV. Breve, quo Joanne Balues Andegavenfi S. Sufannæ Presbytero Cardinali, suoque apud Gallorum Regem Legato, injungit, ut clamoris venationibus, immoderatis pompis, & effreni, uno verbo, Ecclesiasticorum licentiæ, obviam ire pro sua virili, contendat.

(b) Joanne nempe Michaelio Veronæ Episcopo, & Pauli II. ex Sorore, Nepote.

plurimum debeo, interrogatum: quidnam ea mihi de re videretur? respondisse: Recte. Cumque ille vel levitatem, vel malignitatem in me arguere jam inciperet, quasi de Christianorum, & Romanæ in primis Ecclesiæ ruina gauderem, addidisse: eos ad perficienda ea venisse, quæ etiam jubente Pontifice, ab iis, quos antea dixi, Cardinalibus perfici non potuerant. Neque enim aliter intelligere possum illud, quod in Deuteronomio protestatur Dominus: *ipsi me provocaverunt in eo, qui non erat Deus, & irritaverunt in vanitatibus suis; & ego provocabo eos in eo, qui non est populus, & in gente stulta irritabo illos*; aut illud, quod in Psalmo testificatur dicens: *si populus meus audisset me, Israel sibi in viis meis ambulasset, pro nihilo forsitan inimicos eorum humiliasset, & super tribulantes eos, misisset manum meam*. Ac melius, & utilius esse existimo perire cum vitiis, quam cum eis vivere, ac bene habere. Hæc igitur, & quæ prætermisi plura multo, atque majora, si quantum Fratri tuo Viro optimo, molesta fuerint, aliunde scire non potes, ad te redi, & quantum tibi molesta sint, cogita, sciesque quo malo fuerit liberatus, qui, ne quid tale videret, procubuit moriens, & humum semel ore memordit; & tunc defines plorare ut mortuum, cui (si temporum ratio habeatur) non ereptam vitam, sed mortem donatam esse intelliges; defines putare amissum, qui præmissus est; defines lugere ut perditum, qui non pænæ aliquid subiit, sed naturæ debitum solvit, & qua conditione in vitam intravit, ea & exiit; qui quod precario semel acceperat, reddidit; qui post longam peregrinationem, in Patriam sospes pervenit; qui nec primus fuit, nec futurus est ultimus; qui non mortuus est, sed dormit. Dormit, inquam, quo modo amicus Christi Lazarus dormiebat, * vigilavit enim diu, partim Patriæ, * vigilaverat. partim tibi, partim & Filiis; nunc jam æquum est, ut aliis vigilantibus, ipse vicissim dormiat, in supremo Judicii die, tuba Dei, cum bonis omnibus excitandus. Si fratrem te aliquando memineris, memento & Virum, nec Virum modo, sed bonum Virum. Ægrotationes, & Bella, a quibus liberatus fuit, fugere omnium hominum est; vitia vero, tantum hominum bonorum. Itaque, qui (sicut Fratrem tuum decebat) non homo tantum, sed bonus etiam homo fuit, vel ob hæc sola, morti occurrere debuit, * nedum venientem æquo animo præstolari.

Consolatus hæcenus sum, Homo, Hominem; & primum quidem, quod discipuli consolari, de industria feci, ut ne prius vulnus confriear, quam superductum ulcus viderem; exemplo eorum, quos ad Job consolandum, cum venissent, sedisse cum eo in terra septem diebus, & septem noctibus, legimus, & nihil ei interim locutos; videbant enim dolorem esse vehementem. Quod vero deinde ad nostri temporis ægrotationes, bella, & vitia animum applicare coegi, feci, ut Homini, Homo mederer, quem sæpe & alienæ mortis conspecta atrocitas, & vicinum incendium, & cervici jam, jamque periculum imminens, sui luctus oblivisci facit. Indignatio autem, qualis te, adversum scelera,

Ecce 2

& sce-

Epist. 138. & scelera auctores, accendit, sicut & illum, qui ait: *nonne qui oderunt te Domine, oderam, & super inimicos tuos tabescebam*, in alium prorsus affectum deducit. Nunc jam quid Filius, Patri dicam, adverte. Si non Fratris vita defuncti, causam doles, quod periculis subtratum, quiete vitam agere credas, superest ut Filiorum, aut Familiae, aut tuam ipsius, aut postremo etiam Patriae causam doleas. His, si luctu profici quicquam potest, non nego quin omnes pariter lugeamus, & quicquid ubique lacrymarum est, unum effundamus in locum. Lugeant illi, quia Patre optimo orbatii sunt; fleat Familia, quia praestantissimum Virum amisit; plores tu, quia Fratrem carissimum, & rerum tuarum studiosissimum perdidisti; lacrymetur Civitas universa, quia Senatorem, totius Orbis consensu, nobilissimum extulit; meream ego, quia tuam, & Patriae jacturam, magnam feci; tristetur totus Orbis, cui tu natus cum sis, ob Fratris mortem, vacare non potes. Quod si lacrymis & nihil proficitur, & his praeterea omnibus vehementer nocetur, quid causae est, ut mærore confectus, malum malo malis adiacere, quam, consolatione recepta, lacrymis temperare, & his te omnibus servare incolumem, quorum vicissitudinem doles? Filii, primam omnium, patrimonio amplo sunt, valetudine integra, ætate, quæ nec Gerulæ, nec Nutricis indigeat, indole præstanti, doctrina, quantum ætas patitur, supra quam mediocri, qui cum te intuentur (intuentur autem & oculis sæpe, & cogitatione sæpissime) Parentum, puto, desiderio non moventur; quibus tu, ut vivis Parentibus, sic etiam mortuis, omnia es: Tutor, Procurator, Præceptor, Pater. Nihil eis, te vivo, atque incolumi, potest deesse, hos quoties intueris, orare te credas, uti valetudini tandem tuæ, ex qua salus quoque sua dependet, curam habeas. Nec moleste feras, quod pro duobus Parentibus, ambobus mortalibus, alterum jam habeant immortalem, gaudentem in Cælo, & suorum, quos haud dubium, ibi plures invenit, quam hic perdidit, Consanguineorum aspectu, alloquio, consuetudine persfruente. At vero Familia, quæ sex & triginta annis in Urbe nostra, Patruo tuo Francisco Fuscaro, Viro omni laudis genere cumulatissimo, Duce, cum magno Reipublicæ incremento, & gloria majore, primatum tenuit, ac multo tempore Marco Patre, Templi D. Marci, cujus tu Primicerius eras, Procuratore, proximum primo, Magistratum gessit, & sequenti sæculo in

* Patruis
lis. Fratribus, & * Consobrini Filio Nicolao, Decemviratum, & complures alios magistratus honorifice administravit, ab aliis vero sese honorificentius abdicavit; nuncque in te Pontificem Patavinum, ac eum, qui apud nostri ordinis Viros, supremo proximus Magistratus habetur, Cardinalem gerit; Familia, inquam, tua quæ omnibus his, & multo pluribus ornamentis insignis est, nihil sibi ad summam gloriam putat deesse, nisi, ut quomodo Pater tuus, supremo proximus, Patruus supremum in Urbe nostra Magistratum gessit; sic Patris, & Patruus, in te unum, dignitate collecta, & aucta, tu, qui supremo proximus in præsentia Magistratum gerens, Patrem imitaris, & superas, supremum etiam,

etiam, totius orbis consensu, Magistratum adeptus, Patruī virtutem referas, & excellas. Id vero, quoniam nullo pacto, nisi a vivo, atque incolumi, effici potest, orat ut, quem sua causa suscepisti dolorem, abs te prorsus amoveas, & vitæ primum, deinde etiam bonæ valetudini, studeas; quorum alterum dolore minui certum est, alterum vero etiam perdi. Quamobrem, si qua tibi Familiæ tuæ cura est, ut certe summa est, tui curam ne in ultimis habeas, & tantisper ei bene fore credas dum vivus *, atque incolumis fueris; hoc enim si caruerit, labare incipiet, sin etiam illo, protinus corruet. Porro si tuam ipsius causam doles, quod amantissimum, & rerum tuarum studiosiorem multo, quam tu, Fratrem amiseris; eum, inquam, Fratrem, qui in servanda, atque augenda dignitate tua, neque labori, neque sumptui ullo pepercit; qui Cremensem, & Brixiensem amplissimas Præfecturas, quas, summo totius Senatus consensu, fuerat affecutus, ut ne abs tuis negotiis distraheretur, dimiserit; qui, quo ea, quæ ad te pertinent melius intelligeret, totum, etiam ferventissimo Sole, Patavinum territorium, perambulaverit; bono sis animo, velim. Perfectum est, cui insistebatur, opus, voti compos obiit, & voti compotem te reliquit; quæ ab aliis aut nullo pacto, aut non ita bene geri poterant, cæpit ipse, atque perfecit; quæ autem per multos, si non fidelius, certe vel honestius ministrari poterant (neque enim minimis quibuscumque rebus, talem, tantumque Virum immisceri oportebat) aliis, ut ne omnino oculos forent, perficienda dimisit, quibus & studio tuo, & necessariorum, qui tibi plurimi sunt, diligentia singulari, facile providebitur. Etenim, quod sæpe cum summa admiratione adnotavi, domui tuæ (sicut omnes esse Episcopos oporteret) *bene præpositus*, & qui ex rei familiaris cura, qualem, quantamque Ecclesiæ Dei curam habiturus esses, facile omnibus patefeceris. Denique si Patriæ causa doles, memento plus illi in te spei esse, quam aut in illo nunc erat, aut ullo postea tempore putabatur fore. Per te enim, cum sæpe antea, tum superiore in primis anno, Senatus nostri majestas defensa est, adiuta est, aucta est, usque adeo, ut quod potentissimi Reges, nobilissimi Principes, Respublicæ opulentissimæ, apud Summum Pontificem per Legatos impetrare non potuerunt, solus ipse impetraveris, & cum eo, Senatus nomine, pacem prius firmaveris, quam tractari eam quisque alius sciret. Pacem dico, an firmissimam benevolentiam? certe firmissimam benevolentiam; neque enim Senatui nostro quis ita unquam fuit infestus, qui Summo Pontifici per te nos multo cariores nunc simus, & ubi abundavit iniquitas, ibi superabundasse gratiam experiamur. O mutatio dexteræ excelsi! O incomprehensibile iudicium Dei! Quod in Thuscia adversus Florentinos gerebatur bellum, Pontifice, de iis, qui in Christos Domini sacrilegas injecerant manus, supplicium sumere cupiente, aliis, & quidem potentissimis, quod iuste necatos dicerent, illos defendentibus, confectum erat. Parere jam, vellent, nollent, victa pertinacia Impii cogebantur; qui victis aliquando auxilio fuissent, suis rebus timere incipie.

* vives.

(sic)

piebant. Et ecce, partim eorum, qui secundam fortunam suam ferre non possent, nimia confidentia, partim tua, qui semper temporis perquam optimam rationem habes, solertia singulari, versa, in Reipublicæ nostræ commodum, atque ornamentum, sunt omnia; qui amicissimi erant, inimici effecti sunt, qui contra inimici, aut certe non amici, amicissimi, & conjunctissimi. Qua ex re, non ego tantum; sed alii quoque plurimi conjecturam faciunt, quid per te Urbi nostræ emolumenti foret si in ejus locum surrogareris, quem ita nobis amicum fecisti. Hoc autem, ut cupiunt fere omnes, ita & aliquando futurum confidunt. Propterea summis te precibus obnixè orant, uti Patriæ tuæ causa, quam semper conservare, adjuvare, augere cupisti, luctum deponas, desque operam, ut quamdiutissime valeas, ne cum amiserimus Civem, Patrem quoque Patriæ pariter amittamus, & dolorem supra dolorem habeamus. Patriæ causa dolere, & suo plus ei, scientem, dolore obesse, quam illud obfuit propter quod dolebamus, plane Patriam odisse est. Quod si de te suspicari, sanæ mentis, nemo potest, reliquum est, ut quando tuo dolore Patriam dolere intelligis, hac ipsa ratione dolorem deponas, qua dolendum tibi esse censebas.

Audisti quid Patri, Filius consolationis attulerit; audi nunc jam quid Cardinali dicat Episcopus, imo quid Episcopus Episcopo proferat. Alia enim mihi nunc, & quidem longe diversa ratione, curanda hæc infirmitas est, palpandaque sunt durius vulnera, ne latente intrinsecus sanie, cutem iterum incidendam, superduci permittam, aut plagam (quod misericordes, ajunt, Medicos facere) sinam putrescere. Et primum quidem; scire ex te cupio: hunc, quem tantopere luges, Fratrem, quis tibi dedit, ut dicere tuum posses? Nonne Deus? Qua conditione dedit? nonne precario? Quis rursus abstulit? nonne qui & dedit? Cur igitur potius quereris ablatam tibi rem non tuam, sed concessam precario, ab eo cujus erat, quod ingrati factitant, atque injusti, quam gratias agis, quod tantisper ejus tibi usum permiserit, dum fuit necessesse, quod Gratorum est, atque justorum? Præterea velin mihi respondeas, qui divino quotidie studiosissime inservis officio: voluntate Dei factum putas, ut diem obierit, an non? Nonne voluntate Dei? Legisti certe dicentem: *ego occidam, & ego vivere faciam*; & iterum: *Dominus mor- tificat, & vivificat, deducit ad inferos, & reducit*. Nonne rursus inter orandum quotidie verbis his uteris, quibus in Evangelio, nos uti debere, Dominus docet: *fiat voluntas tua, sicut in celo, & in terra*? certe uteris; aliter enim Deum, pro Ecclesiæ instituto, laudare non potes. Cum igitur voluntate Dei hoc factum putes, & abs te, ut ita fieret, tandiu oratum sit, donec exoratum est, cur impetrasse te doles, quod ut impetrares orabas? Apostolus in 1. ad Thessalonicenses Epistola, de resurrectione mortuorum scripturus: *nolumus*, inquit, *vos ignorare Fratres de dormientibus, ut non contristemini sicut & ceteri, qui spem non habent*; quibus verbis, quo æquiore animo, eorum, qui naturæ debitum persolvissent toleraremus absentiam, primum omnium, dormientes appel- lat.

Deuter. 32.

1. Reg. 2.

Cap. 8.

lat, non mortuos, quippe quos in supremi die iudicii excitaturus est Angelus; dein qui spem habent, eos non debere contristari, affirmat. Et tu, qui quotidie cum Propheta decantas: *mibi autem adherere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam*; qui cum eodem Propheta, populum adhortaris, & dicis: *sperate in eo omnis congregatio populi, effundite coram illo corda vestra*; Deus adiutor noster in aeternum; qui cum eo ipso Propheta, ad eum te vertis, & ais: *in umbra alarum tuarum sperabo, donec transeat iniquitas*; contristaberis sicut & cæteri, qui spem non habent? Nunquid jam oblitus es, quod in Levitico tam frequenter, tam studiose legisti? ubi per Moysen Dominus ait: *Pontifex idest sacerdos maximus inter Fratres suos, super cuius caput fustum est unctionis oleum, & cuius manus in Sacerdotio consecratae sunt, vestitusque est sanctis vestibus, caput suum non discooperiet, vestimenta non scindet, & ad omnem mortuum non ingreditur omnino, super Patre quoque suo, & Matre non contaminabitur, nec egredietur de sanctis, ne polluat Sanctuarium Domini, quia oleum Sanctae unctionis Dei sui super eum est*. Aut quod in eodem Levitico: Aaron cum Moyse, quod Hircum, qui oblatus fuerat pro peccato, reperisset exustum, irascenti, sese, ac superstitibus ab incendio filios excusaret, respondit: *oblata est, inquit, hodie victima pro peccato, & holocaustum coram Domino, mibi autem accidit, quod vides, quomodo potui comedere eum, aut placere Domino in ceremoniis mente lugubri*? Quod si neque oblitus es, (ut certe oblitus non es) & mente lugubri, etiamsi Patrem, aut Matrem extulisses, *placere Domino in ceremoniis*, non posse te nosse; aut lugubrem hanc mentem deponas oportet, aut Domino in ceremoniis placere non cures. Si vero quidquid agis, loqueris, cogitas ad id, veluti signum aliquod, refers, ut Domino in ceremoniis placeas, superest ut lugubrem hanc mentem deponas, & voluntati Dei, tuam quoque voluntatem accommodes. Subiectus Deo esse non vult, qui quod Deus fecit, mallet infectum, nec cum Propheta dicere: *Deo subiecta erit anima mea, ab ipso enim salutare meum; nam & ipse Deus meus, & salutaris meus, susceptor meus, non movebor amplius*. Movetur quippe, & locum suum dimittit, contra quod in Ecclesiaste scriptum est: *Si spiritus potestatem habentis, ascenderit super te, locum tuum ne dimiseris; quia curatio faciet cessare peccata maxima*. Solent homines rebus interdum secundis, multo magis inebriari, quam gulæ dediti, plurimo, ac meracissimo vino. Unde in Proverbiis Salomon: *Duo inquit, rogavi te ne deneges mibi antequam moriar: mendicitatem, & divitias ne dederis mibi; tribue tantum victui meo necessaria; ne forte satiatus, illicitarum ad negandum, & dicam: quis est Dominus? aut aegestate compulsus, furer, & periurem nomen Dei mei*. Hunc interim esse spiritum potestatem habentis arbitremur. Affectus es, summo Pontificis maximi, & omnium Cardinalium studio, nec minori Senatus consensu, Patavinæ Urbis Pontificatum amplissimum, dicissimum, honoratissimum. Convenerant illuc, ex finitimis Urbibus, Episcopi, reque ut par erat, officiosissime salutarunt; tum Civitatis, Sacerdotum, Theologorum, Jurisconsultorum, Phi.

Psal. 72.

Psal. 61.

Psal. 56.

Cap. 21.

Cap. 10.

Cap. 10.

Cap. 30.

Philosophorum, tam docentium, quam discentium, conventus habiti, qui elegantissimis orationibus laudarent, gratularentur, se, suaque studia commendarent. Hoc esse dixerim *ascenderit super te*. Eo tempore: *si locum tuum non dimisisti*, certe vel ægre retinuisti. Non passus autem diutius periclitari te Deus, quod tibi, in rebus humanis, carissimum esse sciebat, de medio subtulit, & hanc, quo tutius locum tuum servares, hujus, velut aquam, calamitatis, rerum secundarum vino, immiscuit, ut bibi absque periculo posset. Fidelis enim est (ut inquit Apostolus) & non permittit nos tentari super id quod possumus; ita curatione cessare fecit *peccata maxima*, quæ aut jamerant, aut esse festinabant. Curantur quippe & qui ægrotant, & qui ut ægrotent in periculo sunt, & cessant non ea solum, quæ cæperant, sed ea etiam quæ adventabant. Quid autem majus, quam extolli, & quasi aliquid ipse habeas, quod non acceperis, gloriari? Potes igitur cum

Psalm. 87. Propheta dicere: *pauper ego sum, & in laboribus a juventute mea, exaltatus autem, humiliatus sum, & conturbatus*; exaltatus ut humiliareris, humiliatus ut exaltareris; sed eo modo exaltareris, quo Deus qui *de-*

Cap. 1. *posuit potentes de sede* (ut apud Lucam legitur) *humiles exaltavit*. Quemadmodum enim maximis quibuscumque voluptatibus, fastidium finitimum est, & (sicut in Proverbis legitur) *extrema gaudii luctus occupat*; quod & in iis, qui vehementer rident perspicitur potest; lacrymas enim, vel ridentes, excutunt; ita maximis mæroribus quibuscumque, consolatio finitima est, & luctus extrema gaudium occupabit. Cujus rei, ne fallor, in Sanctissimo Viro Job, exemplum videre licet; nam ei post Armentorum abactionem, incendium Gregum, repentinum Filiorum interitum, ægrotationem deterrimam, Greges, Armenta que duplicata, Liberi totidem quidem, sed pulchriores, valetudo melior, vita longissima obtrigit. Neque alius aut Joseph, aut Tobix patris eventus fuit; quorum alter a Fratribus, ut vile mancipium venditus, a Madiannitis iterum Putiphari Eunuco, distractus, a Domina, falsi adulterii, accusatus, a Putiphare iniuste damnatus, tandem Ægypti suscepit imperium; Alter vero post multas, atque frequentes eleemosinas, mortuorum sepulturam, cæcitatem oculorum, inopiam intolerabilem, Uxoris jurgia, recuperato demum visu, Filium multis onustum bonis, Nurumque cum ampla, utriusque sexus, familia, & Pecorum, & Armentorum, atque pecuniæ non spernenda multitudine, recepit incolumes. Idem tibi (si quis mihi, ut aliis, quoque multis, præteriti consideratione, futurorum sensus est) obventurum expecta, & multo quidem cumulatius, quam eorum, quos paulo ante commemoravi, alicui. Cum enim nihil tibi in rebus humanis, morte Fratris molestius accidere potuisset, consequens est, ut quod superveniet bonum, tale, tantumque sit, ut nihil eo, in rebus humanis, jucundius assequi potuisses te, fatearis, dicasque cum

Psalm. 93. Propheta: *secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tue latificaverunt animam meam*. Itaque consolemur invicem in verbis istis; & dolorem a nobis omnem abiciamus. Tuque in primis, qui

qui cum tuis virtutibus, tum hominum consensu magnam suscepisti personam, tuere quod suscepisti *, & cura, ut qui te die, noctuque circumstant, consolatores officiosissimi, oculosque in te unum intentos tenent, dicant: scire te non minus adversam fortunam constanti animo ferre, quam secundam. Sic cæteris, qui ex te pendent, & de tuo vultu suos formant affectus, patientiæ præbebis exemplum; sic populi tibi crediti, ac in eo, multorum, qui iniuste vexantur, & vel propter inopiam, vel propter adversam valetudinem lacrymantur, curam habebis, sic Deo, cui (velut alius Samuel) cum primum ablatatus es, dicatus fuisti, ut adversum te consurgat, causam nullam dabis. Nam laudare, & gratias agere, cum quid ex sententia venerit, sciunt omnes, nec illis plane, quod ita agant, gratia magna habetur; agunt enim ita, etiam mali; sed in adversis rebus, in iis, quæ contra quam volebamus, eveniunt, in rebus, quas accidisse nolemus, hoc agere, cum probitatis, tum in primis caritatis egregiæ, argumentum est; quippe qui ita instituti sunt, quæ perdidere, propter Deum, non autem propter ea, quæ perdidere, Deum, coluisse se monstrant. Hæc est, ni fallor, Caritas Dei, quam Apostolus diffusam dicit *in cordibus nostris per spiritum Sanctum, qui datus est nobis*. Hæc est illa Caritas, quam in Epistola ad Corinthios, patientem esse, & omnia sufferre, idem Apostolus memorat, illa quæ operit multitudinem peccatorum, illa, in qua plenitudo legis consistit, illa sine qua neque linguis loqui, neque prophetare, neque Mysteriorum habere scientiam, neque miracula facere, neque eleemosinas dare, neque tormenta subire, quicquam prodest, illa, quæ est vinculum perfectionis, quæ fide melior, nobilior spe, utraque diuturnior est, quam qui habuerit, non esse Deo amicus non poterit. Hæc te, ut Fratris mortem æquo animo feras, precatur, & nisi exaudieris, discessuram se, ex tuo diversorio comminatur. Noli, obsecro, noli te illi ultra præbere difficilem. Si homo es: memento conditionis humanæ, & eum quem uti amissum doles, præmissum cogita, neque solum præmissum, sed adversis nostrorum temporum valetudinibus, bellis, vitiisque subtractum. Si Pater es, Filium, uti ne te diutius mæceres, orantem, ausculta; & Filiorum, qui tibi ex Fratribus nepotes sunt; Familiæ, quæ ex te omnis dependet; Patriæ, cujus primo, post Deum, loco, omnis in te sita spes est, causa, bono animo esto, si tua esse non vis. Si Episcopus es, & Cardinalis, cum neque tuum esse intelligas, quem extulisti Fratrem, & voluntate Dei, quam fieri quotidie oras, elatum scias, & aliquando resurrectorum speres, & lugubri in cæremoniis mente, placere Domino Pontificem non posse, cognoscas, & periclitantem in te, hoc pacto, humilitatem adiutam cernas, & obventuram tibi a Deo supremum bonum expectes, & susceptæ de te semel hominum opinioni satisfacere compellaris, & Caritatis consuetudine privari, * nolis, gratias age, & * nolles. Viri merito imitandi verbis, si accommodatiora ipse non invenis, utere dicens: *Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ita factum est*.

Anecdota Tom. I.

Dd

est: sit nomen Domini benedictum. Hactenus Homo Hominem, Filius Patrem, Episcopus Cardinalem consolatus sum. Nunc, ut alia etiam ratione, tuo succurratur dolori (nam & cantu nonnunquam leniri consuevit) quos Patavii, Belluni, Romæ Versuum, atque Hymnorum cecini Libros tres, tuo jamdudum nomini destinatos, tibi dono do. Tu ea velim mente accipias, qua dantur, & interdum, ubi ocium fuerit, legas; spero enim fore, ut vel omnem abs te, illum expellant, vel certe majorem in modum minuant, si non elegantia, saltem quod animum interrim occupatum tenebunt, ut ne sui doloris memor sit. Vale. Datum Belluni. Idibus Sextilibus MCCCCLXXXI.

P E T R I B A R R O C I I

P A T R I C I I V E N E T I

Dei, & Apostolica Sedis gratia Episcopi, & Comitis Bellunensis, in Versuum, atque Hymnorum libros tres, quos Patavii, Belluni, Romæ composuit; ad Petrum Fuscarum, Patricium Venetum, miseratione Divina, Sancti Nicolai inter Imagines Ecclesiæ Romanæ Presbyterum Cardinalem, Episcopum Patavinum, & Comitem Saccensem.

PROLOGUS, SIVE PROÆMIUM.

FUSCARE Pontificum placidissime: firma Senatus Spes Veneri, quem quo virtus clara altius egit, Hoc magis in cunctis humilem perpendimus esse; Accipe Barroccia, quos Petrus gente creatus Tres dono mittit, prompta tibi mente, libellos. Primi, pene Puer, Patavii cum habitaret in Urbe Carmina composuit, libris & quatuor illa Quos Juveni, ætatis non sanæ expresserat error, Inferuit; sed post exussit cætera; tantum His, quod nil dignum patrassent morte, pepercit. Qui sequitur Liber, in Belluni montibus altis, Materia meliore mihi, cultuque severo Compositus, Cælo caput inserit, atque Tonantis Audet adoratos ad se convertere vultus. Tertius est Romæ, tantilla per ocia, scriptus Auctori paulum, cum respirare licebat; Atque Urbis de more, simul sacra, atque profana Continet, ut ratom * Vatem, sive impetus egit. Hos tibi, cum in lucem cuperent prodire, dicandos Duxi, latrantum ne moribus obiicerentur, Ante foras, ausi si forte exire fuissent.

* forte.
raptum.

Tu,

Tu, quamquam minus ornati sint, quam ut mereantur
 A quoquam tibi, qui sana sit mente, dicari,
 Stare foris, aliumve sibi, ne jusseris, oro
 Quærere Patronum. Si non argentea solum
 Vasa Domus magna, & locuples, atque aurea, verum
 Fictilia, in multos usus, & lignea servat.
 Primus jure tibi debetur, quod Patavina,
 Cujus tu Antistes nunc es, sit natus in Urbe,
 Debetur; quamvis alia ratione, Secundus
 Materiam quod te dignam tractare sit orsus;
 Tertius (etsi alia de causa non tuus esse
 Deberet) tamen, ut Patre quod sit natus eodem,
 Esse suis liceat per te, cum Fratribus, orat.
 Tu, precor, orantes noli contemnere, sed qua
 Mortales omnes tibi mansuetudine jungis
 Hanc ipsis adhibe, excipiendis, atque legendis,
 Et castigandis, ubi deliquisse videbis.
 Auctorem illorum: perquam optime Presbyterorum,
 Ecclesiæ, per quos, in morem Cardinis, unde
 Et cum purpureo, nomen meruere, galero,
 Volvuntur postes, & sustentantur in horas,
 Scilicet (id quod non multum distare putarim)
 Tempus adhuc veniet, cum Petri sceptrum tenebis,
 Qui Petri es nomen sacra sortitus ab unda,
 Suppositumque tuis pedibus miraberis Orbem.
 Marce Pater, Veneti protector magnæ Senatus,
 Qui Maris Adriaci, & stagnantia claustra domorum
 Nostrarum, precibus nunquam defendere cessas,
 Hoc saltem pacto, sæculo succurre cadenti,
 Et Venetos tutare tuos; sat sanguinis, auctas
 Ob culpas, cæsi bis denis fudimus annis.
 Jam pridem in Patavis, te Fuscare, finibus esse
 Roma dolet, quæriturque tuum nimis Amphitheatrum
 Curare, & redeas iterumque, iterumque precatur.
 Quippe ubi, Avaritiæ conjuncta, Superbia terras
 Invasit, cæpere simul venalia cuncta
 Proponi, & raris pretium virtutibus esse.
 Tu miseros stringi in Cives a Civibus enses,
 Et media humano conspergi sanguine Templa.
 Denique supremis, proponi præmia summa
 Criminibus. Sic jam legum reverentia nulla est,
 Nulla Sacerdotum pietas, quæcumque Tyrannis
 Collibere, eadem & sancta, & justa esse necesse est.
 Hinc Germanus Eques, dirum illinc Gallia bellum
 Suscitatur; extremo ducuntur ab Orbe Britanni,

In partes furit indomitus per tela, per enses
 Pannonius, Turci Italiam (quod nemo putasset
 Ante) repentinis trajecti cursibus æquorum
 Invadunt, captaque simul potiuntur Hydrunto.
 Nec tamen instantes depellere finibus Hostes
 Finitimis urget proprius timor; usque adeo istam
 Mentem, ulciscendi pervasit cæca libido;
 Et justus dolor, & suscepti iniuria belli,
 Et quod non tutum est infidis crede cuiquam.
 Nec ego vel nunquam, vel certe serius esse
 Componenda reor, ni, quod nunc consulis, illud
 Mandandi quoque sit tibi delegata potestas.
 Spem mihi de te istam, Franciscus Fuscus ille,
 Promittit, nostræ Dux præstantissimus Urbis, (a)
 Atque idem Patruus quondam tuus, inclyta cujus
 Virtus, vicinis non tantum claruit oris,
 Sed toti est, ob res bene gestas, cognita Mundo.
 Promittit Marcus Genitor, veneranda Beati
 Tempia Procurator Marci, qui tempore longo
 Defendit, donisque ornavit sæpe superbis.
 Promittit virtus pariter tua, quæ male suadam
 Odit avaritiam, detestaturque superbos,
 Cui male concordēs hominū componere curas
 Tam proprium est; ut quam Perusini, Ferrarienses,
 Picentes, Veneti, Insubres, Florentia, Galli
 Pontificis summi nequierunt flectere mentem,
 Hanc facile, atque adeo solus deflexeris, Urbem.
 Ad nostram, unde aditus reliquis levis. Ecceque in omnem
 Protinus Italiam Pax insperata cucurrit.
 Illo ego maluerim privatam ducere vitam
 Tempore, supremosque nunc esse inter honores
 Maluerim. Sic me, precor, adiuvet, inque suorum,
 Cum moriar, numero jubeat Deus esse. Valeto,
 Atque hinc jam primum incipito versare Libellum.

INCI-

(a) Francisco Fuscaro per annos quatuor supra triginta Rempublicam prudentissi-
 mi administrante, longe, lateque promotos fuisse Imperii Veneti fines, urbem etiam
 magnificis Templis, ac ædificiis aliis, eo Ducatum agente, fuisse ornatam, Histori-
 ci tradunt.

INCIPIT LIBER PRIMUS ²¹³

PATAVII COMPOSITUS

Ad Jacobum Aragazonium Philosophiae operam dante.

DE BERTOLDI MORTE,

Qui terrestri exercitui contra Turcos in Peloponeso cum praefset, saxo periit

REDDITA, quæ nobis est nuper Epistola, Amice
 Lætitiae luctum miscuit, illa mihi.
 Gaudebam primo aspectu, quandoque Poetis
 Cedere, quod per te posset Aristoteles.
 Sed postquam a nostris, res legi non bene gestas,
 Et Patriæ nimium funera crebra meæ,
 Obstupui. (neque enim speraram talia dudum)
 Et vox pressa diu, mutaue lingua fuit;
 Nec tantum potui lacrymis æquare dolorem,
 Sic imo prorsus pectore clausus erat.
 Ah dolor! ocebuit casu substractus acerbo
 Bertoldus Patriæ spesque, salusque meæ. (a)
 Quem non Bruma rigens potuit, non Sirius ardens
 Horrida Turcarum non superare manus;
 Qui modo magnanimos hostes, Pelopeaque vices
 Oppida palantum præferat ense fugam;
 Erectis bimarem vix ædificaverat Isthmon
 Mænibus, & Græcas sollicitarat opes;
 Et jam Spartam, Argos, Agamenoniasque Mycenæ
 Ceperat, & multo milite munierat.
 Nec mora, Turcarum passim fugientia cernas
 Agmina, magnanimæ robore, fracta, manus.
 Prosequitur pia Turba Ducem, mactantque Catervas,
 Tinctaque barbarico sanguine, tela rubent;
 Tartareas ruit ad Sedes Gens impia passim,
 Et fontum infernus devorat ossa Leo.
 Flamma volat, nigrum densus petit Æthera fumus,
 Turbaque qua meruit, compede vincla subit.
 Deditur, & pacem supplex, veniamque precatur
 Victa frequentatis Gens Pelopea malis.
 Sola situ confixa loci, murisque Corinthus
 Servabat firmis mœnia clausa feris.

Haud

(a) Inter militari gloria conspicuos Viros, qui ad Venetæ Reipublicæ stipendia in Peloponesiaco bello anno 1463. decertabant primas reapse tenebat Bertoldus Æstensis terrestrium Copiarum inibi ductor.

Haud aliter, quam cum Senonum vastata ruinis
 Excidium timuit Roma superba suum;
 Cum capta a Gallis Capitolia summa, moneret
 Ni celerem ferrent, candidus Anser, opem.
 Jamque aderat multo Bertoldus pulvere, major
 Magnanimum referens arma cruenta Ducum;
 Atque hinc præruptam premere obsidione Corinthum.
 Cogitat: hinc pugna sollicitare gravi.
 Hortatur Patriæ pietas, laudumque cupido,
 Palmaque victrici jam prope parva manu.
 Quod, Superi, tantum facinus, quæ culpa triumphum
 Tam grandem nostris abstulit e manibus?
 Tuque o summe Pater magni Fabricator Olympi.
 Æterna mundum, qui ditione regis;
 Cur sinis infestos iterum consurgere Turcos,
 Et populum dira fundere clade, tuum?
 Sic ne placet, Venetæ deleri nomina Gentis,
 Et tua barbarico, Tempa furore quati?
 En propere efferrî totis victricia, Ductor
 Infausto Castris omine, signa jubet.
 Paretur. Scalæ certatim, ignesque feruntur
 Pilaque, Turcarum sanguine rubra, Ducum;
 Et quæ deturbent muris ex omnibus, Hostes.
 Lecta sagittarum millia nobilium:
 Ducitur hinc, instar præruptæ fusa columnæ
 Machina, quæ muros conterat ære cavo,
 Igneque pulsa gravi tonitru petat Astra minaci,
 Clausaque sulphureo pulvere saxa vomat.
 Hæc postquam certo construxit in ordine, Ductor
 Signa manu capiens, talia dicta dedit:
 Marce Pater, nunquam, quo defendente, peribit
 Religio, nostræ nec minuentur opes.
 Per Patris in Venetq; animum, dextramque potentem
 Perque meam, si quid nunc mea dextra valet,
 Da, precor, audacem vi debellare Corinthum,
 Nos hodie clausos & superare Duces.
 Ipse tibi pario Statuam de Marmore, Templum,
 Et decimas præda de meliore dabo.
 Tu modo cum firmis acue illos dentibus, ungues
 Divæ, quibus cum vis, frangere cuncta soles.
 Hæc ait: & belli signum, iussa ære canoro
 Dat Tuba, terrificis ac ferit Astra sonis.
 Tollitur in cælum clamor, murisque propinquant:
 Ac plena spargunt undique tela manu..

Miri-

Mittitur in muros saxum, pars montis, & alta
 Ingenti quatiens Mœnia mole premit.
 Ipse autem nunc hac, nunc illac Mœnia, Ductor
 Circuit, & quæ sint mox peragenda monet.
 Hi facta subeunt imos testudine muros;
 Hi scalis contra scandere summa petunt.
 Bertoldi, validas urget præsentia Turmas,
 Atque illo, pulchrum est, aspiciente, mori,
 At celsis Turci stantes pro Turribus, hostem
 Deturbant, muris, deiciuntque Trabes.
 Fit sonitus: magnis resonat clangoribus Æther
 Omnis, & effuso sanguine Terra rubet.
 Interea mæsto summum petit ore Tonantem
 Marcus, & incolumen poscit habere Ducem;
 Tum Venetorum armis subdi victricibus Urbem
 Flagitat, & nullo vulnere bella geri.
 Cui Pater, his curas verbis lenire molestas
 Incipit, at Superum regia testæ silent.
 Pro quo sollicitus nunc es, Duce (mitte dolorem)
 Ætate haud minimum vixit, honore satis;
 Ipsum ego stellati jam ferre ad culmina Cæli,
 Et tecum posthac vivere, Marce, volo.
 At Venetis rerum studia
 Officiunt, palmam quo minus obtineant.
 Vulneribus pauci, senio, atque labore peribunt
 (Ni sapiant) Procerum pectora multa tibi.
 Sed, ne nulla feras tanti solatia casus
 Accipe; & hæc, læto pectore, dicta tene.
 Tempus erit, quo se Turci, & sua prælia damnent;
 Civibus & cupiant non nocuisse tuis,
 Cum volet intrepidus totus concurrere Mundus
 Sponteque de patriis pellere limitibus.
 Tunc armis dabitur Venetos, opibusque juvare,
 Et tibi, tunc pœnas Impia Turba luet.
 Nunc age, vade, illum ponat gravia inclytus arma
 Protinus, ut levior scandat ad Astra, mone.
 Dixerat. Ille Polum linquens ingentibus alis
 Devolat, & pavidum sistitur ante Ducem;
 Ac propere ut revocet fessas in Castra Catervas,
 Splendidaque abscedens exuat arma, monet.
 Nulla mora: atque omnis (quamquam victoria pene
 Parta foret) pariter cum Duce Turma redit.
 Vix Galeam exuerat, subito cum Mœnibus altis
 Ingenti saxum turbine provehitur.

Quod

Quod non terga Bovum septem revoluta tulissent
 Non valli firmum sustinisset opus.
 Conclamant Socii, volat illud, & in Ducis ipsum
 Occiput impingens, per media ora fugit. (a)
 Labitur, & nigrum moriens, vomit ille cruorem
 Atque animam lætus mittit ad Astra, piam.
 O dolor! & Venetis nimium miserabile funus,
 Funus magnanimis flebile Militibus.
 Non illum fortis bello superasset Achilles,
 Nec magno genitus patre Neoptolemus.
 Non Laertiadi lingua cessisset Ulyssi,
 Vicissetque ipsum Nestora consiliis.
 Nunc sic occubuit nostrum decus, inclyta Gentis
 Spes Italæ, sanctæ religionis honor.
 Occubuit, miseram vel commutare beata
 Cum vita, vitam, morte pia meruit.
 Haud dubium meruit: nec erit mihi mortuus unquam,
 Pro Patria potuit qui cecidisse mea.
 Hunc tu (ne reliquis non notus Gentibus esset)
 Versibus in Cælum tollis, Amice, tuis.
 Incipiet totis per te notescere Terris.
 Non ullo poterat clarior esse, modo.

QUI DE BERTOLDI LAUDIBUS,

ET MORTE SCRIPSERINT.

BERTOLDUS, Venetæ decus Phalangis,
 Nostrorum, pavor, Hostium, tremendus,
 Per quem Religio Dei sagittas
 Turcarum, procul, improbas fugasset;
 Fortis, magnanimus, pius, fidelis,
 Saxo faucius occidit ruente.
 Hunc Bembus, Venetum decus meorum,
 Hunc Carbo eloquio latiniore,
 Hunc Franciscus item meus, Parentis (b)
 Frater, tollere non ineleganter
 Usque ad Sidera nititur, Polumque.
 Quorum oratio cum trium soluta

Sit; ne

(a) Accidit sane, Sabellico teste, ut dum in Corinthi obsidione, bellica munia sedulus obiret Bertoldus, ac impiger operam daret, ut plutei, quam propius posset, muris admoventur, saxo superne dejecto, grave circa tempora vulnus acciperet, paucisque diebus occumberet.

(b) Tres ex sua Coniuge natos progeniit Benedictus Barrocius: Joannem scilicet, qui Bergomensensem primo, dein Patriarchalem Venetiarum Sedem obtinuit; Franciscum, qui dicendi facundia, & sacrarum litterarum eruditione refertus Pauli II. Datararius fuit, & Episcopus Tarvisinus; & Aloysium, Petri hæc canentis Patrem.

Sit; ne ullum obsequii genus queratur
 In tanto, sibi defuisse, casu,
 Aragazonius meus, Camænas
 (Si quid credimus esse, quas Camænas
 Per ludum veteres vocant Poetæ)
 Ut rerum bene conscias, ab ipso
 Parnasi, unde rei modum notarunt
 Gestæ, vertice montis evocavit,
 Et me legibus interim relictis (a)
 Paulisper sibi compulit vacare.
 Jam multis igitur bonis onustus,
 Quis jam non cupiat mori, necemque
 Qualemcunque, animo ferat modesto?
 Effectus, nece, clarior maligna est
 Bertoldus Venetæ, decus Phalangis.

AD CHRISTOPHORUM MAURUM

VENETORUM DUCEM.

CHRISTOPHORE, egregium Venetum decus, auctor aviti
 Nominis, & Mauræ radians virtutis imago
 Huc ades; & nostros, illo, precor, excipe verius
 Pectore, quo trepidis titubantes erigis artus.
 Sisque licet multis Fortunæ dotibus, omni
 Parte, nitens, & clara tibi bona corporis una
 Contigerint, animusque ambobus clarior istis,
 Oro, hunc ne pigeat quandoque aperire Libellum,
 Si post ingentes curas, tibi parva supersunt
 Ocias. Magna quidem, nostris nec viribus æqua
 Aggredimur, meritas tibi dum componere laudes
 Conamur, dignosque audemus reddere honores.
 Sed nos materiæ series, & prona voluntas
 Impellit, facilemque monet fore carminis usum.
 Tu modo, præclaras laudes cantare paranti
 Annue, & ignavos humili de mente timores
 Discute, & incæptum manda consurgere Carmen.
 Primum de Patriæ, cum sit notissima cunctis,
 Pauca loquar; neque enim multis est versibus illa
 Extollenda mihi; quoniam nec carmine nostro
 Augeri, nec me posset reticente taceri.

Illam

(a) Juri Civili addiscendo eo temporis operam dabat Patavii Barrocius; cui studio per integrum quinquennium inibi se vacasse, in Oratione MS. ad Paulum II. ipsemet asserit.

Illam cornigero, quæ fluctuat India, Gange
 Horret, & australi quicquid telluris in Orbe est,
 Illam, quos helice summo despectat ab Axe
 Formidant Populi. Quis enim tam barbarus, ulla
 Siderei sub parte Poli, quin fenserit, Urbis
 Quandoque auxilium Venetæ, si fidus Amicus,
 Sin Hostis, vires? Non Mauros hic, Arabesve
 Excipio, aut Orbis positos in fine Britannos,
 Non Medos, nigra nec sub regione latentes
 Indos, nec si quæ est Tellus magis abdita. Cunctæ
 Senserunt, Terra Venetos, Pontoque potentes.
 Illyrium, & Venetæ, taceo, ditionis Epirum,
 Euganeasque Urbes, non Oppida gallica dico,
 Non molles Asiæ populos, Diçteave regna,
 Argolicasve Urbes, aut fertilia Oppida multa
 Piceni, aut Italis positas in finibus Urbes.
 Cum tamen, aut omnis, aut pars quam maxima sceptris
 Subdita sint Venetum. Ligures, Turcasque superbos,
 Panoniamque trucem, & Gentes videamus iberas,
 Sicaniosque sinus, & quidquid Thufcia dives
 Circuit, & rerum quondam ditione potitam
 Ingentem Romam; nihil est Telluris ab ortu
 Solis ad occasum, quo non penetraverit, Urbis
 Imperium Venetæ. Quid nunc fera bella, triumphos
 Egregios, multoque, auctam cum sanguine famam
 Enumerem? Non hæc una perstringere luce
 Sufficiant omnes populi, quoscumque sub Axe
 Æthereo, variis habitantes partibus, orbis
 Spectat uterque Polus, nec in omnibus ipse diebus
 Solus, ab incæpti, si longum, termine mundi
 Usque ad nostra, velim conscribere tempora carmen.
 Adde, situm egregium, mediis ut fluctibus alte
 In cælum testis extructa Palatia surgant,
 Et Sacras Ædes, pario de Marmore factas,
 Ornatas auro, donis & ditibus auctas,
 Reliquiisque Patrum Sanctorum rite refertas.
 Quid vero: cunctis quod quicquid partibus Orbis
 Nascitur, est illic, sterilis licet ambitus Urbis
 Nil ferat, & solis subsint loca Piscibus apta.
 Quid quod; nec celsis Urbs est circumdata muris
 Nec Portæ, oppositis, nocturnos, vestibibus, Hostes
 Arcent, sed tota securi nocte, dieque
 Imperia, alternis ducunt communia, Cives.
 Hic neque civilis concordia defuit unquam,
 Nec pia religio, nec tot servata per annos

Liber-

Libertas, raris, quæ contigit Urbibus olim.
 Quæ cum ita sint, multo certe præclarius, atque
 Majus erat, tantis generosæ laudibus, Urbis
 Addere, quam patrio quemquam splendore nitere.
 Sed tua Te tantum, Princeps clarissime, virtus
 Extulit; ut Venetis multo plus Civibus, ipse
 Addideris, quam sis ab eis splendoris adeptus. (a)
 Nec referam, ut celsam Belluni rexeris Urbem,
 Aut Clugiam, aut acri cinctam te Brixia, bello
 Cum ferus audaci pulsaret milite muros
 Sforzia, nec possent defendi tempore longo,
 Ni tua servasset, trepidos, prudentia, Cives.
 Id quoque prætereo, quanta cum laude, potentem
 Dardanii quondam Præses Antenoris Urbem
 Rexeris, haud dico, quotiens tibi credita nostræ
 Cura fuit Patriæ, quotiens Legatus ad omnes
 Italiæ populos, ad Reges ire, Ducesque
 Pontificesque Sacros, pro nostro jussus honore;
 Quodque Procurator Divi, cum credita, Marci
 Essent Tempa tibi, Viduas, Inopesque frequenter
 Juveris, & dotem maturis sæpe Puellis
 Sumptibus ipse tuis dederis, misereque gementes
 Pupillos, propriis opibus nutraveris. Hæc &
 Multa alia invitus taceo, quia plura supersunt,
 Maxima, queis animus jam dudum intentus inhæret.
 Cesserat e vivis, Maripetreæ gloria Gentis
 Pascasius (b), Veneti, cui tradita sceptrâ Senatus
 Contigerant; tanto Cives cum Principe cassi
 Quærent, cui merito res, credi, publica possit;
 Quis tam magna ferat, quassatæ pondera molis?
 Extemplo, Mauræque Domus, Venetique Senatus
 Præsidium, unanimi cuncti elegere favore
 Te Pater, ut Patriam defuncti morte, labantem
 Principis, erigeres. Quis nunc mihi gaudia Patrum,
 Quis mihi lætitiâ Populi, quis facta per Urbem
 Festa canat? Non sic Romanas venit ad Arces
 Scipio, cum victo referens ex hoste triumphum,
 Indomitos Patriæ Pænos parere coegit;
 Nec tanto Augustus Cæsar sociatus honore
 Cum validis totum subiecit viribus orbem;

Ee 2

Quan-

(a) Præclara Ducis hujus facinora, varique bellorum eventus contra Tergestinos, Turcas, Rhodianos, & alia quæ hic, & in sequentibus brevi carmine perstringit Barrocius, vel notiora sunt, quam quæ illustrationem exposcant, aut ex Historiis peti facillime possunt.

(b) Quem *Pascasium* Barrocius poetica licentia appellavit, *Pascalem* vocant Historici; & sane hoc ei nomen erat.

Quanto te, Veneti pariter, Sociique favore
 Suscepere Ducem: Matres, hilaresque Puellæ,
 Et Pueri caris cupidi, cum Patribus, omnes
 Unanimi egregium carmen tibi voce canebant.
 Nec satis hoc: positis spectacula mille parabant
 Muneribus: ludos illi deducere equestres,
 Hi Canibus, Dammas, Cervosque agitare fugaces
 Venantum specie; nonnulli Sacra piorum
 Facta recensere, & dignas componere laudes
 Cælicolis, crebro resonabant omnia plausu,
 Et pia festivos versus, tibi Turba canebat.
 Interea lætæ, non gratus nuncius, Urbis
 Affertur: Sociis aulos indicere bellum
 Tergesti Cives, & raptas ducere prædas,
 Inque dies, fuso majorem sanguine cladem
 Miseri; Sociis cito si succurrere nolis
 Extremum, ante oculos, miseris instare periculum.
 Hic tu continuo Sanctum, de more, Senaturn
 Consulis, & tumido, commotus, præcipis hosti
 Ut subito e Venetis excedere finibus omnes
 Festinent, & rapta simul sine murmure, nostris
 Restituant. Quod si jussis parere recusent,
 Expectent dirum, multo cum sanguine, bellum.
 Hic, cum forte illi, temeraria verba, superbe
 Respondere ausi, socios gravioribus ultro
 Afficerent damnis, Terra vastare, Marique
 Tergestum properas, & Mænia celsa, Domosque
 Prosternis: nec ab hac desistis clade, priusquam
 Sponte sua, niveas victi, prætereant victas,
 Et pacem trepido cogantur poscere vultu.
 Discite nunc stultæ, Venetos non lædere, Gentes,
 Et magnum posthac non irritare Leonem.
 Illi etenim pacem, non æquis legibus, omnem
 Susciperent, & se certatim dedere vellent.
 Sed tu magnanimi, Princeps generose, Senatus
 Pace quidem donas, dedentes abnuis, & sat
 Esse tibi dicis, Populum potuisse superbum
 Vincere. Nunc ultro superatis parcere velle,
 Irent utque prius, sibi libera sceptrâ tenerent,
 Extruerentque iterum prostratæ mænia Terræ,
 Atque Quatergestum, mutato nomine, tanti
 Perpetuum, damni, monumentum, deinde vocarent.
 Vix ea desierant, gravior cum Nuncius Urbem
 Aggreditur: Turcos propiorem, milite multo
 Pannoniam ingressos, Regem cepisse, simulque

Impe-

Imperio, & vita misere spoliasse. Epidaurum;
 Obsidibus missis, pacem implorasse, neque ullo
 Obstante, in Venetum fines jam castra moveri,
 Nec longe a Jadra jam tunc firmata, paventes
 Agricolas passim vicinam currere ad Urbem
 Uxores, Natos, Pecus, omnia cogere, nihilque
 Obstare, ut totam, parvo post tempore, vinci
 Italiam, & dira subverti clade putarent.
 Quod postquam audisti, Princeps generose, coactis
 Civibus, exquiris, quæ sit sententia cunctis,
 Qua Patriam indemnem servent ratione, sed omnes
 Rem referunt ad te, neque enim consultius Urbi
 Esse aliquid Veneræ, quam te Duce cuncta moveri,
 Atque regi. Contra tu Civibus illa vicissim
 Consultis, peragenda putas; tandemque Senatus
 Imperio, mittis qui Jadram muniat, atri
 Præsidio, & Turcis aditum veter, inde paratam
 Continuo mandas Ductorem ascendere Classem,
 Inque Urbes Pelopis, vento dare vela secundo.
 Mox Bimarem, celsis Isthmon præcludere muris
 Quois Turcas arcere queant, si forte reducti
 Ad Patrios fines Sociorum cladibus, ullum
 Afferre auxilium cuperent. Bertoldus & illuc
 Mittitur, ingentes Equitum, Peditumque catervas
 Traiciens, illi celsam oppugnare Corinthum
 Cura datur. Quem si Venetum fors dira fuisset
 Passa frui vitali aura, non inelyta tantum
 Regna feri Pelopis, verum essent Oppida mille
 Debellata Asiæ; tanto fera bella movebat
 Ordine, magnanimo sic pectore in arma ruebat.
 Sed nobis illum invidit Fortuna, nimisque
 Heu pietas! Juvenem, primo sub flore juventæ
 Eripuit. Sed non hoc propter, fracta Senatus
 Majestas Veneti; tanto magis omnibus acres
 Crescebant animi, stimulis urgebat honestis:
 Hinc pudor, hinc Patriæ pietas contendere contra
 Fortunam, & validis invitam vertere dextris.
 Nec mora: diripiunt Argos, prostrataque ad imum
 Æquant tecta solo Tegeem, claramque Corinthum
 Oppugnant; totam Venetis se dedere cogunt
 Arcadium, Lennos capitur, clarissima Lesbos
 Obsidione mala premitur, Spartanaque nostris
 Mænia deduntur Ducibus. Quid plura? supremum
 Instabat Turcis, misera cum morte, periculum.
 Tum vero ingenti damno, crebrisque coacti

Fune.

Funeribus, revocant viſtricia caſtra, ſuiſque
 Auxilium implorant, mærenti pectore Turce,
 Donec re infeſta Jadram dimittere, & ultro
 In Patriam remeare, ferox exercitus ille
 Cogitur, & rebus tarde ſuccurrit egenis.
 Sic inde indemnem Patriam ſervavimus, illinc
 Æternam tulimus, Duce te, per ſæcula famam.
 Quæ poſtquam delata Pio, cui cura tuendæ
 Religionis erat; damno, pariterque pudore
 Motus, in arma Duces quamprimum ſedulus omnes
 Sollicitat; magnam parvo poſt tempore ſtragem
 Turcarum, & certæ promittens præmia palmæ.
 Nullus erat, qui non opus hoc laudaret, & omni
 Officio ſeſe, vel ſi mors certa pateret,
 Aggreſſurum acri promitteret undique bello.
 Verum mendacis linguæ certiffimus index
 Exitus, oſtendit ſimulata mente locutus.
 Omnes, te præter; nam jufſo tempore, nullum,
 Te ſolo excepto, Piceni in finibus, Ancon
 Dorica conſpexit: neque enim te longa ſeneſta,
 Nec labor, aut Ponti tumidæ potuere procellæ
 Vertere; quin clypeum velles, enſemque decorum
 Stringere, & emeritum Galea caput impiger ultro
 Contegere, ac diros primus contendere in Hoſtes.
 Dicite nunc: ſi qui Venetarum Annalia rerum
 Volvitis, & veterum præſtantia facta Virorum
 Noſcitis: hoc ne aliquid quæſo præſtantius unquam
 Legiſtis facinus? Nullum, mihi credite, nullum
 Legiſtis, non ſi fundatæ ab origine Gentis,
 Uſque ad noſtra avide, percurrere ſæcla velitis
 Omnia geſtarum numeroſa volumina rerum.
 O magna, & præſtans aliorum gloria Regum
 Divitiis, armisſque Duces, opibuſque potentes,
 Atque ipſo primæ præſtantes flore juventæ;
 Servandique, rei, voti, promiſſa negabant
 Auxilia, & cauſas ſimulato pectore, inanes
 Neſcebant: unus bellis exhaustus iniquis.
 Dux Venetum, longa conſectus membra ſeneſta
 Nullius, & prorfus voti reus, impiger arma
 Corripuit, juſſamque hilaris pervenit ad Urbem;
 Atque ultro in Turcas viſtricia ſigna tuliffet,
 Ni mors atra Pii, turbaffet cuncta, paratam
 Feciſſetque, omnes pariter, dimittere Claſſem.
 Non tamen hoc propter, meritæ tibi gloria laudis
 Dempta fuit Genitor, quoniam tibi gratia verbis

Acta

Acta Patrum, & magnum est argenti pondus, & auri
 Donatum, cunctaque aderant quæ forte Biremes
 Decretæ: Egregium suscepti insignis laboris.
 Interea reliqui, dimissa classe, redibant
 Ad patrios fines; solus tu, maxime Princeps,
 Audenti aggressus communem, pectore, curam
 Quidquid videbatur, cunctis grave pondus, id unus
 Sponte subire humeris, & firmæ robore mentis
 Ferre ausus, Turcas instructa Classe laceffis,
 Et patrios intra fines ita pellis, ut ultro
 Cogantur placidam superati pascere pacem.
 Non vos præteream Rhodii, quibus ira Senatus
 Nota nimis Veneti, cum iussa facessere, iussi
 Principis, & captos nolletis reddere Mauros.
 Præstiterat certe dictis parere, nec ultra
 Pergere, quam vires, tanta cum clade, probare,
 Magnanimive Ducis, Venetive animosa Senatus
 Prælia. Quid Mauros referam, quos tanta superbi
 Pectoris ambitio retinet, tam stulta libido
 Ut se totius Terrarum marginis, unos
 Esse ferant Dominos? Atque hos tamen inclyta nostræ
 Fama Ducis, notumque alte super Æthera nomen
 Impulit, ut vel bis Legatos mittere ad ipsum
 Non dedignati fuerint, positaque superbi
 Ambitione animi, nudis incedere plantis
 Principis ante oculos, mirantibus omnibus, ultro
 Optarint, tulerintque suo, data munera, Regi.
 Quid narrem! ut reliqui, cum aristia bella moverent
 Italix Populi, solus sic gesserit, ut nec
 Auxilio sociis poscensibus esse negaret,
 Et Patriam incolumem tranquilla in pace teneret.
 Dent pia, tam multis dignas tibi, Numina grates
 Pro meritis, omni, Princeps dignissime, laude;
 Non te dira movent atrocis munia belli,
 Non tumidæ revocant Calive, Marisque procellæ,
 Non labor, aut senium retinente, non mille pericla,
 Quo minus ex omni tuearis parte, potentem
 Imperio Patriam, terra seu bella gerantur,
 Sive mari, Populos seu debellare superbos
 Contendas, ultroque velis ignoscere victis:
 Sive juves Socios, Veneti quos certa Senatus
 Spes fovet, & fulvi defendit fama Leonis.
 Non te justitia Minos, non Scipio bello
 Æquiparet, non te longævi Nestoris, acre
 Consilium superet, nec te, qui Sacra feroci

Prima

Prima tulit populo, mentita Coniuge, latus
 Religione pia, vincat Numa. Quid cupit ergo
 Urbs Venetum? quid Plebs? quid sanctus habere Senatus
 Amplius affectat? liceat modo Principe tali
 Posse frui; clarum tollemus ad Æthera nomen,
 Et crebros, tumido referemus ab Hoste triumphos.
 Post, ubi vitali fueris revocatus ab aura
 Ad superas Sedes, unde huc demissus, amicis
 Quandoque aspicias oculis, tua limina quondam,
 Sacratasque Domos, & sancti scepra Senatus,
 Patronus, tueare tui, precibusque Tonantem
 Assiduis places, ut rara in bella ruamus,
 Cum minimo veniat victoria læta, cruore,
 Et captum Venetis subdamus legibus Orbem.

DE JOANNIS BARROCI

PATRUISUI,

*Qui Bergomensis primum Episcopus, mox & Patriarcha Venetiarum fuit,
 morte, & rebus ab eo gestis.*

ELEGUM CARMEN.

BARROCIÆ splendor Gentis, Patriæque potentis
 Rector, & Ecclesiæ firma columna Sacra.
 Cui modo Bergomeos Cives in pace regenti
 Tradiderat Venetum scepra tuenda, Deus,
 Occidit. Heu! miseræ nimium successibus Urbis
 Invida fors nostro cognita sæpe malo.
 Heu Domus infelix! Infortunata meorum
 Conditio Fratrum, fors gravis atque Patris.
 Flete infelices, jacturæ incommoda vestra
 Unguibus humentes, & lacerate genas.
 Victus Joannes morbo decessit iniquo
 Ille decus nostræ gentis, & una salus.
 Ille, inquam, fuerat, quo non præclarior alter
 Ingenio, aut Sancta religione prior.
 Quem cum Bergomeos regeret, sensere furentes
 Magnanimum belli tempore, pace pium.
 Forte loca, infensis Franciscus Sfortia turmis
 Vastabat, sancto proxima Pontifici. (a)

Oppida

(a) Hoc a Francisco Sforzia Mediolanensium Duce Venetis illatum bellum, ex
 Historiis nostris jam satis notum.

Oppida nunc armis, nunc obsidione premebat,
 Tentabat positis nunc capere insidiis.
 Extulerant animos Insubrum, nostra timebant
 Agmina, spes illis, his metus acer erat.
 Fidaque vicinis trepidabat Brixia, Castris
 Solum Bergomei nil timuere Patres.
 Antistes niveo vestem contextus amictu
 Armatos Proceres inter, inermis erat.
 Sæpe catervatim Juvenes in bella ruentes
 Edocuit, possent quo superare modo
 Sæpe Sacerdotum cætu stipatus honesto,
 Ut Moses, casto fudit ab ore preces.
 Officioque suo duplici sese obtulit Urbi,
 Pontificem precibus, consilioque Ducem.
 Nec minus ad Venetam, promissis ocus Urbes
 Finitimas, multis sollicitare, fidem.
 Aligeri oppressas Gentes, & signa Leonis
 Ad pia, diversis conciliare modis.
 Larius est testis, testis celer Addua, testis,
 Quæ fuit hostilis tunc ditionis humus.
 Et Tritium in primis Venetum quod sceptrum subisset
 (Nam multo, Custos, munere victus erat) (a)
 Ni Patriæ, & Barbæ columen domus agmina Paulus
 Junxisset veteri rursus amicitia; (b)
 Ociaque egregiis, hilari cum pace, tulisset
 Civibus, ingenii nobilitate boni.
 Urbibus illa quidem Sociis multum, & Regioni
 Finitimæ, rerum contulit utilium.
 Verum Bergomeæ genti, tanto amplius, ut nec
 Conferri reliquis omnibus una queat.
 Prona minabantur Palatia forte ruinam,
 Jus ubi consueant dicere Pontifices

Hæc

(a) Quæ paucis verbis hic innuit, suo calamo enarrat in oratione MS. ad Paulum II. cujus in Præfatione meminimus, & in sequentibus notis utemur. Ait ergo: Invenit Trecii, quod trans *Abdæ* ripas, haud longe a *Lario* lacu Oppidum munitissimum est, Præfectum, quem ad Senatus amicitiam, adduci posse sperabat. Hunc artibus & rationibus perentavit tantisper, dum Nuncios & suscipere missos & ipse mittere consueveret. Tum vero confectum sibi laboris meliorem partem ratus, (Episcopus nempe Joannes Barrocus) rem per litteras Senatus indicat; illi matures negotium jubent jamque ad eum locum redacta res erat, ut nihil, nisi Senatus assensus, deesset, cum subito Mediolanensem Dux pacem fecit.

(b) Inviatum Pauli Barbi animum, quem exardesciente adhuc bello ostenderat, sic deinde celebrat: Non possum Beate Pater, quin Pauli Fratris tui fidem, atque animi magnitudinem predicem. Sub idem quippe tempus, mutato habitu, in mediam Hostiam Urbem, ante Civium, quorum sæpe agros depopulatus fuerat, ante Militum, quos toties collatis signis fugaverat, ante Ducis, quem sibi esse infensissimum noverat, oculos ingredi ausus, quæ e te nostra forent tanta dignitate tractavit, ut non majora in Urbe Veneta tractaturus fuisset; omnibus, Viri simul constantiam admirantibus.

Anecdota Tom. I.

F f

Hæc ipse ingenti sumptu dejecit, & alte
 Rursus Dedaliis struxit in Astra modis.
 Vincenti prior & jam Ædes, ubi forte ruebat
 Nobile ibi, e pario marmore cæpit opus.
 Cænofoque Foro simul, angustoque nitorem,
 Et spacium, mira sedulitate, dedit. (a)
 Atque obscura vias tegeter cum Porticus, egit
 Ut clarum sciret diruta ferre diem.
 Quid dicam; Viduas, Pupillos omnium egentes
 Rerum, quam larga sæpe levarit ope?
 Quid; dum parva sui decorat Sacraria Templi
 Munera magnanimo pectore missa, canam?
 Non illo infirmos juvit studiosius ullus
 Sive animo, sive ii corpore deficerent.
 Denique nemo mali quicquam toleravit, ut illi
 Non oculis lacrymas protinus excuteret.
 Mortem præterea, pro Religione, Fideque
 More Patrum veteri, ferre paratus erat.
 Nec dubiis, levibusve animum hunc prætereundum signis,
 Sed facere, ut toto notus in Orbe foret.
 Turca, quid irritas Italorum pectora, nunc, nunc
 Pontificis vires experire Pii;
 Nomine quem fausto Æneam dixere priora
 Sæcula, dixerunt posteriora Pium. (b)
 Ut tibi jam (profugus vicit siquidem ante Latinos
 Æneas) credas nil superesse Ipei.
 Quatenus & nomen, cognomenque illius, unus
 Hic habet, & magnum præterea Imperium.
 Ibit Joannes comes, & quo, maxima tandem
 Sedulus ostendet, quæque gerenda, modo.
 Vaticinor: Bellum Turcis, Pius æquore toto
 Præparat, & Ratibus litora curva replet.
 Quæritur instructam valido qui milite, Classem
 Compleat, & lectos cogat in arma, Viros.
 Nec mora: Joannem ad nostrum concurratur: illum
 Unius curam Navis, habere jubent.
 Non quia non multas posset curare, sed ut vel
 Partito, levior cura, labore foret;
 Vel certe fama unius, quæ tota fuisset
 Communis multis millibus ut fieret.

Paruit

(a) Templum, nempe, S. Vincentii, quod proximam jam minabatur ruinam, dejecit, ut novum a fundamentis excitaret marmoreum; Forum quoque Civitatis, lateribus coëctis, eo fuit auctore, constructum.

(b) De hoc contra Turcas, promovente Pio Papa II. qui Æneas Sylvius prius nuncupabatur, suscepto bello, jam Historicorum avi illius nemo, qui sciat.

Paruit haud aliter, quam si non bella, nec enses,
 Sed decus, atque ingens fama petenda foret.
 Pro Patria, atque Fide, pro Religione pericla
 Quælibet intrepido certus adire pede.
 Prima quidem fidei, Patriæ mox cura subibat;
 Utraque grata Viris, utraque grata Deo.
 O fortunatos Venetos, quos sancta tuetur
 Ecclesia, Imperium servet ut ipsa suum.
 Felicem Ecclesiam, quam (quo sibi libera servant
 A Turca Veneti sceptrâ furore) juvant.
 Felices ambo, tu felicissimus Austris,
 Qui potes in Turcos pandere vela, Duces;
 Et Patriam, Ecclesiamque, una pietate, juvare
 Dans Patriæ Civem, Pontificemque Deo.
 Juvisti; Pelagi nec te tenere pericla
 Barbaricæ rabies, nec violenta manus.
 Illyricque sinus omnes, Urbesque petisti,
 Ut legeres acres, ad pia bella, Viros.
 Tu quoque Marce Pater, Barbæ spes altera Gentis
 Junxisti socias lætus in arma manus. (a)
 Ambo ætate pares, ambo pietate, fideque
 Ambo animis, ambo religione boni;
 Ambo excepturi, Petrum, cognomine, Barbum
 Ornabat pilei, quem diadema, rubri.
 Insignem forma Heroem, virtute secundum
 Nulli, conspectum, quem metuas, & ames.
 Quid tibi tunc animi, scires cum talia, Turce,
 Quæ populi facies aut trepidantis erat?
 Non te si Libiæ fugiens Deserta petisses,
 Aut Tanaim gelidum, Sauromatasque tuos;
 Vel si prærupto Terra abscondisset hiatu
 Istorum poteras eripere ex manibus.
 Continuo infernas migrasses cæsus ad umbras,
 Ac tua vidisses Castra subacta prius.
 Verum ablata, Pii nobis victoria, morte,
 Ac tibi præter spem reddita vita fuit.
 Res mæsta in reliquis; sed in hoc lætissima, Petrum
 Quod nobis Barbum Pontificem tribuit.

Ff 2

Petrum,

(a) Hæc magis, magisque elucescent, si ea attendantur, quæ in memorata Oratio-
 ne habet Barrocius. Cum bellum, inquit, adversus Turcos Pius II. gerere statuisset
 Joannem Barrociū, cujus spectata jampridem virtus in rebus bellicis erat, Bergomensē,
 & Marcum Barbum Tarvisinum Antistitem; quos tu (Paulum sic alloquitur) cum S. Mar-
 ci Cardinalis esses, Episcopos decerni curaveras, tibi Comites tradis; ut eum qui excipien-
 dus esses Biremem armamentis, Naviculatoribus, & armis instruerent His onustam
 Biremem in Illyrium sinum, delectus habendi gratia, provehis inde delectū habito An-
 conem transmittis.

Petrum, qui Pauli Fratris de nomine, Paulus
 Dicitur, & nomen suscitatur exanimis;
 Petrum, qui Christi duo nomina Discipulorum
 Sicut habet sedem, sic utriusque tenet.
 Principe, quo patuit stellati Janua Cæli,
 Tartarei clausa est, & cataracta Ducis.
 Nec mora: Joanni Venetæ committitur Urbis
 Cura, diem functus quippe ibi Præsul erat. (a)
 Ut qui se dudum Civis, pro Civibus, ultro
 Obtulerat, faceret pro Grege, Pastor, idem.
 Nec minus in Patriæ studiosus honoribus esset,
 Externæ in rebus quam modo Gentis erat.
 Quis mihi Bergomez mærorem prædicet Urbis?
 Quis Venetum referat gaudia quanta Patrum?
 Illis tristis erat vultus, suspiria crebra,
 Mæsti oculi, facies plena dolore gravi.
 His hilares contra aspectus, nitor oris, honesta
 Lætitia, & certi spes manifesta boni.
 Tristes Bergomei, lacrymas compescite, Cives
 Sic etiam vestræ, nam Pater, Urbis erit:
 Illum jam Venetis paulum concedier æquum est.
 Noster erat: Patriæ restituisse decet.
 Nonne videtis ei, (quod nulli contigit ante)
 Obvius ut prompta mente Senatus eat?
 Ipseque dux (aliquid ne summo desit honori)
 Ad Castellanam devehat usque Domum?
 Cernite; quam læta Patriarcham fronte saluent
 • Turba Sacerdotum religiosa suum.
 Quanto sacratæ studio imprimat oscula dextræ
 Ex omni properans, Virque, Puerque, loco,
 Sed quo Bergomez nunc me suspiria Gentis
 Fertis? ad incæptam stat remeare viam.
 Paucaque, sed magno nimium attentata labore,
 Magnanimi tandem dicere facta Viri.

.

 Nec minus, & quæ pars ad solem versa cadentem,
 Est Castellanzæ nunc magis ampla, Domus:
 Hanc ipse antiquis neglectam Patribus olim
 Aggreditur miris ædificare modis.

Ven-

(a) Ipsum audiamus Paulo II. in memorata oratione dicentem: *moritur interea Pontifex tu Pontifex summus miro Cardinalium assensu crearis; Et horum quos paulo ante commemoravi, tuorum Comitum, alterum (Marcum scilicet Barbum) Vicentinum, quod tu eras, Antistitem, alterum (Joannem nempe Barrocium) Venetorum Patriarcham decernis.*

Venturoque aptum (nam sic promiserat ipse)
 Pontifici summo præparat hospitium.
 Turrim præterea Templo, quæ proxima Petri
 A fundamentis incipit extruere. (a)
 Cum tamen interea, non prætermitteret ullum
 Muneris erga Inopes, officiive genus.
 Ægrorum curam, Pupillorumque virili
 Pro parte, assiduam nocte, dieque gerens.
 Atque hunc (Heu pietas!) tantum, talemque, superstes
 Esse per ætatem, qui potuisset adhuc;
 Quem fore majorem, propter sua commoda, totus
 Sperabat magnis cum precibus Populus.
 Ecce: velut furto ablatum, improvisa repente,
 Mors rapuit Terris, restituitque Polo; (b)

Ne

(a) Eadem repetit in dicta Oratione cum ait: *Castellanam domum, quod Patriarchæ Palatium est, ut tibi (Paulo II.) cum Venetias appulisses, appulsurum autem, quod ita ex te audivisses, sperabat, quam commodissime foret, edificabat, instaurabat, ornabat. Tum Turrim, quæ pro Templo erat, collapsam Marmoream facere (nam latetitia prius fuit) aggressus a fundamētis, ad dimidium fere altitudinis jussu construxit.*

(b) Repentinam Patruī sui mortem pluribus licet verbis, deplorantem Barrociū audire juvat, ut morbi, obitusque circumstantiæ, quæ aliunde resciri minime possent, distincte percipiantur. Ait ergo: *Vix integrum agrotaverat diem, & repente extortus est ex manibus nostris. O miseram, atque infelicem Familiam nostram, quæ multis ante viduam funeribus, nunc omni præsidio spoliata, calamitatem suam non prius adventantem vidit, quam sensit! O fallaces hominum spes! o vanas cogitationes! Homo non Senex, non debilis, non agrotare solitus, absque ullo pestilentia: ictu, vel seli, uno die, renitentibus peritissimis Medicis absumptus est. Quatriduo ante, cum in B. Petri Templo inter divina officia solemnes olivarum ramos, pro instituto Ecclesiæ, manu sua populo distribueret, molestie paucillum quid sensit; domum rediens projecit in Stratum sese aliquantisper, & recuperatis, ut sibi videbatur, viribus in prandio neque boram mutavit, & domesticos, sicut ei mos erat, convivæ adhibuit; per domum quoque, quod facere Valitudinariū nec possunt, nec solent, huc atque illuc diutissime anibulavit. Postero die, cum surreperet occulte morbus, debiliior aliquanto factus, quam prius, in lectum tamen se deicere noluit, sed cum Laurentio Mauro Avunculo meo, Viro Consulari, de rei Ecclesiasticæ statu graviter, & copiose multa disseruit, compluresque se diversis de causis advenientes, perinde atque solebat incolumis, audivit. Ego, suadere, orare, obsecrari, ut seorsum Ecclesiasticas occupationes tantisper poneret Esse illi Vicarias spectatissimos Viro, interque eos, Pharensē Episcopum, cum probitate, atque scientia, tum in primis experientia, & auctoritate insignem Ipse vero non sibi se tantum natum respondere, sed aliis, neque familie sic meminisse debere, ut rei ecclesiasticæ, quæ sibi credita fuerat, oblivisceretur; industriam in his peragendis non Vicariorum esse dilectam, sed suam; neque illorum quemquam in cruciatibus sibi Vicarium fore, si quid aut perpetravi, aut negligenter egisset, aut si quid recte, & diligenter, in Cælo Vicarium habere, malle, quam ipse esse Quid multa? ne uno quidem die, uti feriatuſ esset, persuasimus. Ita ingravescente morbo, & nemine (curari quippe nolebat) remedium adhibente, postridie ejus diei surgere de stratu non potuit. Acerſus tum demum sunt Medici ex tota Civitate delati habita inter eos colloquia, remedium prætermiſsum est nihil. Morbus tamen magis, magisque in boras, immo vero in momenta invalescebat; jamque fauces, ut ne loqui libere posset, arctabat. Medici mustrare, squalloſis, luctus, & planctus omnia plena esse At ille, neque enim præ magnitudine morbi loqui ultra jam poterat, innuens chartam, & calamus postularuit, & manu sua conscripsit: bono quidem pro se animo esse, etiamsi moriendum sibi foret, quod antea vite memoria ea sit, ut mortem ultro possit optare; pro nobis vero non bono, quod merentes deprehendisset latitum se equo animo*

Ne foret, aut in quo Patriæ spes tota maneret,
 Aut fama veteres, qui superaret, Avos.
 Heu dolor! Heu lacrymæ! communem flete Parentem,
 Communis tangit, quos pia cura mali.
 Flete Sacerdotes, quorum defendere causam
 Cœperat, ut vobis libera cuncta forent,

.....
 Flete Inopes, Ægri, & Pupilli, perditus ille est,
 Qui placidam vobis ferre solebat opem.
 Vos quoque Bergomeæ Gentes, lugete: jacet nunc
 Exanimis, vestræ, qui Pater Urbis erat.
 Sed Veneti ante alios, Civi, Patriæque Parenti
 Tristia, conjunctis fletibus, ora rigent.
 En nigrum obscuri condensant Æthera nimbi,
 Vixque potest mæltum Sol retinere diem.
 Omnia collacrymant: quid enim lugubrius unquam
 Accidit? Heu! Patriæ fors inimica meæ.
 Heu! male Barrociz Genti Fortuna secunda,
 Et nostris nunquam mors satiata malis.
 Te ne Virum talem nobis rapuisse decebat
 Impia? dic odii, quæ tibi causa fuit.
 Te ne meam, & Patris, Fratrumque, simulque Sororum
 Spem subito nigra præripuisse manu?
 An tibi Barrociz nimium generosa propago
 Visa domus, vixet si super * ille diu?
 Heu! quantum Veneti, quantum Gens nostra, Deique
 Religio, lumen perdit, & auxilium.
 Jura tuebatur Patriæ, cultumque Tonantis
 Augebat; nobis spes erat una boni.
 Et tenuem Patris fortunam sponte ferebat
 Ingenuis Natos artibus erudiens.
 Omnia sed Ventis jam sunt commissa, nec ulla
 Proh dolor! afflictis spes superesse potest.
 Ni Patriæ, & nostræ Franciscus gloria Gentis
 Erigat infirmam, sustineatque Domum.
 Te petit istud onus, solum te nostra Parentem
 Gens habet, in te uno spes manet una boni.

* idest
 compositum.

Surge

animo cuncta ut loquendi facultatem recuperes; esse quippe quod dicere, priusquam e vis excedat, peruelles . . . O mors crudelis . . . Cur si eras ventura, una saltem hora tardius non venisti? ut loqui posset, quæ sanctissime cogitaveras; ut a nobis audiretur . . . Heu me quam cito nobis ereptus est, quam repente, quam subito . . . Qui tibi primus agrotationis dies fuit, idem vite ultimus fuit; mortem infirmitas attulit, non præcessit; neque te prius Civitas agrotare sensit, quam mori; immo vero, non ante agrotum vidis, quam mortuum.

Surge igitur, Fratrisque simul virtute, tuaque
 Barrociæ nomen Gentis ad Astra leva.
 Ut tibi cantando, meritos celebremus honores,
 Atque tua erectos nos videamus ope.

AD FRANCISCUM BREVIUM

DE VIRI SORORIS MORTE.

<p>VIRUM tuæ optimæ Sororis Periisse, Amice, sic moleste Tuli, ut molestius nihil, jam Diu tulisse me, recorder Tua potissimumque causa; Quem amo, colloque, ut alterum me, Velimque, si liceret, æquam Doloris hujus esse partem Datam mihi, ut minus doleres.</p>	<p>Sed hoc vetat Dei voluntas, Tuumque non finit levare Dolorem; At ipse forti, & alta Feras id omne, mente, damnum. Quod ut velis precor, precorque, Habent locum meæ, si apud te Preces. Et interim si opus sit Mea utere, & tua Domo sic Ut una, si esset, aut tuæ ambæ.</p>
--	---

PETRI BARROCCI

PATRICII VENETI

*Dei, & Apostolica Sedis gratia Episcopi, & Camitis Bellunensis, in Versuum,
 atque Hymnorum librum secundum Belluni compositum; ad Petrum
 Fuscum, Patricium Venetum, miseratione Divina, Sancti Nicolai
 inter Imagines Ecclesia Romana Presbyterum Cardinalem,
 Episcopum Patavinum, & Comitem Sacensem.*

PROLOGUS, SIVE PROÆMIUM.

FUSCARE, qui illius sequeris vestigia, quæ se
 Fuscæ, & formosæ dicere, sola potest.
 Non Patris, aut Patruum tantum tibi gloria laudis
 Attulit, a summis nec Domus orta Viris;
 Nec Patriæ, totum celeberrima fama per orbem,
 Mansueti quantum nobilitas animi.
 Doctrina multos, plures probitate, sed omnes,
 Haud dubium, miti mente supergrederis.
 Hæc te sublimem tulit hætenus, atque ita donec
 Extolli nequeas altius, utque feret.
 Tum majora dabunt alii. Nunc accipe versus,
 Versus, elegit quos pia cura tibi.

His

His ego, Belluni, fastidia mesta levabam
 Curarum, quotiens pondere præssus eram.
 Tu lege, cum vacuum fuerit tibi, metra videbis
 Pauca quidem, multis, sed variata, modis.
 In quibus invenies, si quid non rite locatum
 Id mihi; sin contra rite, Deo tribues.
 Ut neque deceptum me gloria tollat inanis,
 Vera nec immemorem gratia destituat.

INCIPIT LIBER SECUNDUS

Ad Deum Patrem, ut nobis adversus Diabolum, Carnem, Vitia decertantibus, & ferme captis, auxilio sit.

O Pater, o Regum Rex inclyte (namque aliud quid
 Implorare inopes jam possumus) aspicias ut nos
 Impia tartarei circumstent castra Tyranni,
 Nee turmis contenta suis, nostram insuper in nos
 Sollicitent carnem, quæ proditione nefanda,
 Mortem per patulas induxit iniqua fenestras.
 Non jam vel Fossæ, vel Propugnacula, clausos
 Alta tegunt; ipsa interius certatur, in Urbe,
 Et bellum in nobis geritur civile, forisque.
 Non minus interea tumido oppugnamur ab Hoste.
 Nonne vides, quanto sublata superbia, fastu
 Inflet, & assiduis maculans congressibus, almam
 Virtutem invitæ vestigia sancta sequatur?
 Non cernis, quantis odiis, nos Ira furentes
 Exagitet? non quo mentis confecta dolore
 Torqueat Invidia? & nullis expleta rapinis
 Crescat Avaritiæ rabies? Ignavaque rursus
 Ocia consecretentur? Et ardens membra Libido
 Turpia commoveat, neu dempto exhausta calore
 Frigescat, ventrem dapibus male sana voracem
 Farciat, & puro se proluat improba vino?
 His pressi vitiis, perjuria, furta, rapinas,
 Stupra, simultates, rixas, convicia, cædes
 Miscemus, tumidave, ingrati, mente movemus,
 Nec promissorum spes allicit ulla, minarum
 Nec metus, audaces, jam facto absterret ab ullo.
 Tu tamen interea patiens, nimiumque benignus
 Avertis, claudisque oculos, ne crimina nostra
 Aspicias, scelerumque iratus præmia reddas;
 Justitiamque tuam lento procedere passu
 Mavis, nostrorum si nos ita forte malorum

Pani-

Pœniteat; nobisque ignosci aliquando velimus.
 Nec vero in quemquam tanta unquam accenderis ira,
 Protinus ut non sis, flenti placabilis, una
 Contentus lacryma, ac festines erigere ad te
 Prostratum, verbis & consoleris amicis.
 Eja igitur captis tandem succurre benigne,
 Omnipotensque Deus: sine te quia nostra fatiscunt
 Consilia, & gravium sub pondere pressa malorum
 Deficiunt. Tu causa boni, tu causa salutis
 Sola, homini manuum quid opus finis Alme tuarum
 Everti? & nullo modo succurrente, perire?
 Propter quod quondam servile assumere corpus
 Sustinuit Cæli Dominus, mortemque cruentam
 Pertulit immortalis, & arma superba, nefandi
 Dæmonis, asportans, spoliis remeavit onustus
 Ditibus ad Superos, Cæloque invexit aperto.
 Totum hominem, nigri quem nunc infensa Tyranni
 Castra premunt, cum nos illius membra fatigant,
 Atque expugnabunt, ni jam succurrere fessis
 Festines: magni omnipotens donator Olympi.

A D D E I F I L I U M,

*Ut sibi peccata sua fatenti, ac deploranti veniam det, quo Corporis, &
 Sanguinis ejus particeps, absque ullo animæ, vel corporis
 detrimento fiat.*

CHRISTE Deus noster, cunctarum maxime rerum
 Conditor, humanam, qui quondam assumere carnem,
 Et miseræ tormenta Crucis tolerare, necemque,
 Ut vilem erigeres nigro de carcere Turbam,
 Corpore dignatus tenero perferre cruentam.
 Peccavi: atque oculos jam non sum dignus in altum
 Qui tollam, impuro pœnam vel deprecere ore.
 Verum tu mortem, qui peccatoris iniqui
 Non vis; tu manuum qui nos opus esse tuarum
 Nosti; tu salvos evadere qui cupis omnes;
 Christe Deus miserere; tuus ne forte, meam nunc
 Ad pœnam, vultu truculento rideat Hostis.
 Simque licet Cælo, Terraque indignus, & aura
 Vitali, quia me peccato immergere totum
 Non timui, effigiemque tuam in me, crimine multo
 Corrupti: miserere tui, bone, plasmatis, Auctor
 Oro. Sic Mulier te movit adultera; Latro
 Vicina potuit, veniam, sic morte mereri;
Anecdota Tom. I.

Gg

Sic

Sic quicumque pio, parci sibi, corde poposcit.
 Cur ego despiciar solus? cur mittar in atrox
 Exilium? Miserere, oro, miserere, nec ultra
 Sydereos averte oculos, faciemque serenam.
 Jam peccatorum pondus grave tolle meorum,
 Omnia qui Mundi quondam peccata tulisti.
 Scimus enim ad justos te non venisse vocandos,
 Sed magis injustos; iccirco a pectore sædo
 Ablue nequitias omnes, & pectora munda,
 Ut Sacro merear satiari pane, pioque
 Sanguine; nec mihi sint mysteria sumpta, tremendo
 Juditio; si te Regem, Dominumque, Deumque
 Nunc, veneror; si me vitiorum sæpe meorum
 Pæniter; occultæ confessus crimina mentis
 Si tibi sum; trepida veniam si voce rogavi,
 Et justam demum pœnam si sponte subivi.

A D D E U M F I L I U M.

*Se quidem indignum affirmans, ut sub corporis sui tugurium ingrediatur;
 attamen orans, ut ingredi velit.*

Rex meus, atque Deus, qui Tartara nigra, Polumque
 Volvis, & affiduo radiantia sydera motu,
 Qui Solem, Lunamque regis, noctesque diebus
 Jungis, ut alterno succedant ordine semper,
 Clara dies, nigris, & nox obscura tenebris.
 Non ego de te aliquid merui, Sanctissime, tale,
 Ut fumosam animæ sub tectum pauperis intres
 Istius, immundo quoniam pædore, situque
 Obducta est scelerum, nec habet sedemve, locumve
 Dignum, ubi pro merito, Cælorum Rex caput altum
 Inclinet. Verum cum te submiseris olim
 Nos propter, stabulo non dedignatus in arcto
 Intra Asini, atque Bovis Præsepia reclinari;
 Cum nec adulterii Mulierem in crimine captam;
 Perfida nec miseri, contempseris oscula Judæ;
 Cum Peccatorum convivia adiveris ultro,
 Et dare Latroni, regnum, promiseris ipsa
 De Cruce; cum Justos non descendisse vocatum,
 Sed Peccatores te dixeris, ac simul omnes
 (Quantum in te est) cupias fieri, miro ordine, salvos;
 Nec me Asinum, atque Bovem, stimulis, & verberis dignum
 Abiicias; linguamque meam stultam, atque loquacem
 Respicias; quia per contemptum non venio ad te,

O Pa-

O Pater, illius, sed ne expers solus amoris
 Efficiar, fontes reliquos, quo suscipis, & quo
 Tartareum trepidis fugientes gressibus Hostem
 Arripis, expanso pavidos, & protinus abdis
 In gremio, & blandis fotos sermonibus, in spem
 Erigis, ut vanum discant superare timorem,
 Et crucis ad signum vertentem terga, trucidant.

A D D E I F I L I U M,

*Gratias agens, quod se Corporis, & Sanguinis preciosi participem fecerit.
 Mox ad Virginem ejus Matrem Mariam, ut pro se, Natum exoret.*

QUID tibi pro meritis, Æterni, Nate, Parentis
 Retribuam? qui me cælesti accumbere Mensæ
 Terrenum, & sacro satiari pane, prophanum,
 Et calicem puri pretiosum haurire cruoris,
 Impurum, & vilem permiseris. An mea donem
 Omnia? Sed tua sunt. An me ipsum tradere tentem?
 Sed mihi, quisnam me, nisi tu, dedit? Et tamen effem
 Si meus; hoc quale est? aut quam magnum? ut tibi tradi
 Possit, quis Cælos habitas, rerumque potiris.
 Nilve igitur tribuam? tribuam, Sanctissime, certe
 Vel quæ, te quondam, indignus, tradente recepi
 Arbitrium proprium, libertatemque, recentis
 Sic ut aquæ calicem, duo vel tanquam æra minuta.
 Tu modo, qui justos homines colis, atque reorum
 Non delectaris cruciatibus, accipe Servi
 Quantulacumque, tui, pacata munera fronte,
 Atque tua in nobis custodi dona vicissim;
 Ut quos inferni rapuisti ex ore Leonis
 Non circumveniat sinuoso, astutia flexu
 Callida Serpentis, perque aures improba sensum
 Occultum inspiret, lingua fallente, venenum.
 Et tu Sponsa Dei, tu Virgo puerpera, tu, quæ
 Sola tui, & Patris Genitrix, & Filia Nati-es;
 Tu per quam miseræ sententia tollitur Evæ,
 Et postliminio reduces in recta redimus
 Quisque sua. O blandis dulcem, placidissima, Natum
 Vocibus-exora, valido ut defendar ab Hoste.
 Nos turbam imbellem vitiorum alimenta gerentem
 Sensibus immundæ stimulo, atque cupidine carnis
 Illectam, & primi contagia dira Parentis
 Corpore gestantem, misero: Fiducia Matris

Gg 2

(Tu

(Tu modo Diva velis) est maxima ; nil tibi Natus ;
 Alma , negare tuus poterit ; sunt vota , precesque
 Illi iussa tuæ , pectus modo , & ubera monstres
 Illa , quibus tenerum lactasti lacte beato ,
 Et pressis nudum mammis persæpe rigasti .
 Sic per te vestri , quæ quondam infamia sexus
 Intulit , hæc vestri depellet gloria sexus ;
 Tardaue , sed grandi cum sænore , præmia adepti
 Fæmineas grata , laudes tibi mente canemus .

A D C H R I S T U M D E I F I L I U M :

*Contra Turcos Forumjulii depopulantes . Hymnus Dactylico , Pentametro ,
 Saphico , & Adonio constans ; Dicolon tetastrophon .*

USQUEQUO , Gentem pateris profanam
 Christe Servorum , laceris tuorum
 Carnibus pasci ? miserere Regum
 Rex , miserere .
 Diruunt Urbes pariter , Domosque ,
 Polluunt Aras , jugulant Ministros ,
 Vasa de Sanctis pretiosa Templis
 Eripiuntur .
 Virgines sæde violant pudicas ,
 Debiles morbo perimunt , Senesque ;
 Fortium neštunt gravibus Virorum
 Colla catenis .
 Quumque nostrorum , per eos , luamus
 Criminum pænas , proprio Superbi
 Jactitant sese superasse nostram
 Robore Gentem .
 Vindica Servos igitur fideles .
 Sensimus justum nimis , ac severum
 Hactenus , versa vice nunc benignum
 Experiamur .

A D C H R I S T U M D E I F I L I U M

*Contra Turcos Forumjulii depopulantes . Hymnus alter Tetrametro , trochaico ,
 catalectico constans , quod Archilochium Carmen vocatur .*

POST tuum , peccata , tergum Christe nostra proiice
 Obsecramus , namque mentes si tueris improbas
 Non erit , qui possit iram sustinere vindicem .

Vel

Vel colentes te Fideles, si necare præparas
 Reade nobis tu, nec Hostes introire barbaros
 In tuum permittite Regnum, supplicamus; Optime.
 In suis, ne forte læti, glorientur Idolis,
 Teque, quod servare possis, Rex tremende, neminem
 Non tuos a morte Servos liberasse prædicent.
 Nos quidem perferre dignos hæc, fatemur, omnia;
 Sed per hoc, non tu vicissim dignus ista perpeti,
 Cujus ob nos nomen, omni nunc in Urbe, spernitur.
 Ergo propter temetipsum, nos Redemptor adiuva,
 Deque dura, liberatos Hostium tyrannide
 Sempiternæ læta pacis fac habere gaudia.

AD CHRISTUM DEI FILIUM,

*Contra Turcos Forumjulii depopulantes. Hymnus alter Jambico, Dimetro,
 Acataleptico constans, quod genus Metri Archilochium vocatur.*

<p>UT quid repellis flebilem Turbam, Redemptor sæculi Quondam malam subvertere, Qui noluisti Ninivem? Hædi cruorem postibus Insuperimus sanctissimum: Cur Angelus pertransiens Intus latentes percutit? Signata Thau litera Frons est, tuis mærentibus;</p>	<p>Ut quid Crucis charactere Audent notatos perdere. Cessent, quiescant, desinant Cædes, rapinæ, compedes Horror, timor, captivitas Ignes, ruinæ, prælia. Et mæsta te laudantium Nunc ora, qui vult claudere Conversus, ultro concinat. Laudes tuas, exercitus.</p>
---	--

CUM IN ICTERITIAM INCIDISSET,

*Ad Circumstantes, quod vitæ præsentis tædio duceretur. Mox Oratione
 ad Christum conversa, ut miseratus, animam saltem,
 servet incolumen.*

TÆDIA me miseræ cepere ingentia vitæ,
 O Socii, & cunctis jam jam miserabilis esse
 Incipio. Nil mensa mihi, nil candida profunt
 Fulcra, nec ornatos juvat infedisse Tapetas.
 Namque Dei vindex tetigit me, dextra, superbum,
 Perdomuitque animum. Quæ tanta in sanguine nostro
 Utilitas? Æterne Deus. Cur perdere Sontem
 Me cupis? An recte factum tibi forte videtur
 Si me; me manuum perdas opus, Alme tuarum?
 Quidquos; sic punis. Homines sumus, Inclyte mundi

Con-

Conditor. Ingentem cum fulmine concutis Orbem;
 Cum premis Inferni tenebrosas Demonis Arces,
 Cum verbo Cælum, Terram, Mare, Sydera terres
 Ostendis, roburque tuum, dextramque potentem,
 Et paleas idem tenues, stipulamque caducam
 Perlequeris? digni fuimus nos forte perire,
 Sed non te perdente: malos, ne contra, cruenta
 Cum nece, famosæ comitetur gloria mortis.
 A te vita mihi, Pater, est concessa, tuæque
 Me fecere manus, & sic opus ipse regente
 Præcipitare tuum properas? Tot probra subisti,
 Tot rigidas pænas, & tot ludibria Gentis
 Judaicæ, miseramque necem, ne funditus omnes
 Et quos primorum retinebat culpa Parentum,
 Et quos angebant superaddita crimina, ut ante
 Interitu misere condemnaremur eodem.
 Et nunc in cassum, tantos subisse labores,
 Vis Pater? atque hosti moribundos linquere sævo?
 Et tanquam superatus, ei concedere quicquid
 Abstuleras, cum sancta Crucis vexilla ferenti
 Tartareæ patuere Fores, trepidusque refugit,
 Cum Duce sacrilego, furibundi exercitus hostis?
 Contra felices animæ, quæ nocte sub illa
 Adventus majore tui, lucisque coruscæ
 Forte tenebantur studio, pia carmina lætæ
 Cantabant, cupidasque manus e valle profunda
 Tendebant, redimique atra de nocte rogabant.
 Tuque Crucem læva retinens, cantantibus, almam
 Porgebas dextram, tractosque a nocte maligna
 Victor in Æthereum duxisti protinus Orbem.
 Id mihi contingat, Genitor, sustolle jacentem
 Teque penes retine, & cujusvis dextera contra,
 Me pugnet: nullum timeo, modo proximus ipse
 Sim tibi. Supremi, pulcherrime Nate, Parentis.

EST IN ECCLESIA BELLUNENSI CORONA,

*Qua coronatus a Militibus fuit Salvator Christus; cujus quod adulterina
 non sit, non semel, neque presentibus paucis, periculum factum est.*

*De hac Hymnus Jambicus, dimetre, Acatalecticis, quod
 Archilochium Carmen vocatur.*

<p> EN ferta, Christus, qualia Nos propter, ultro pertulit, Judæa, cum sævissimum, Gens, flagitasset Barrabam. </p>	<p> Cæsus flagellis turpiter, Sputis, & atro pulvere Deformis, omni sanguinem Rorabat, actum corpore, </p>
---	---

Pal-

Palmis, genas acerrime
 Contusus ambas acribus
 Barbam, capillos, lumina
 Vix erigebat languida.
 Tum vulgus ad deterrimum
 Jussu Pilati, prodiit
 Portans coronam spineam
 Vestemque tinctam murice.

Missus, remissus ducitur
 Hinc inde per ludibria,
 Annæ, Pilati, Caiphæ,
 Herodis, Ædes circuiens.
 Tandem triumpho nobili
 Mortem, cruentus, perdidit,
 Ut se, redempti jugiter
 Læto canamus carmine.

DE EADEM. HYMNUS ALIUS.

*Archilochius, Tetrametro, Trochaico, Catalectico constans
 Ad Plebem Bellunensem.*

ECCE frustum, Plebs, Coronæ delicata spineæ,
 Qua tui sunt Regis olim vulnerata tempora,
 Cum pio, sædos pararet nos lavare sanguine.
 Spina nullis prorsus agri comparanda floribus;
 Spina, tetri pacta rumpis, quæ nefanda Demonis,
 Et beatos rursus ad nos, huc reducis Angelos.
 Te parumper vult in isto, qui tenere sæculo.
 Instar alti Regis, illum mors ut alma venerit
 Candidis utrinque cinget Gens beata liliis.
 O superni, magna, Patris, nec tacenda largitas!
 Qui caput tam dulce, cari perforare, Filii
 Serta Servi ferre possent ut decora, pertulit.
 Quos creavit, quos ab atra substulit voragine,
 Quos redemit, quos coronis ambiit virentibus,
 His, & alti regna Cæli pollicetur incluta.
 Gloriam cantate Patri, Filio, Paraclito,
 Cujus olim spina, nobis, hæc tributa munere
 Passionem corde fixam nos habere commonet.

DE EADEM HYMNUS ALTER.

*Ex alemanio, dimetro, Acatalectico, & Eripideo dimetro, Catalectico
 constans. Trochaicum, & dicolon distrophon.*

AD CHRISTUM JESUM.

QUÆ, repositam prorsus alta
 Passionem mente, cunctos
 Spina ferre commonet.
 Hanc in unum congregata
 Cum piis, Rex Christe, laudat
 Civitas, suburbiis.

Nam

Nam pedum scamnum tuorum
 Ut colendum, sic & alti
 Est Corona verticis.
 Hac iniquæ dira terræ
 Tollitur vindicta, primis
 Facta sub Parentibus.
 Jamque spinas quisquis istic
 Fert acutas, huic coronam
 Polliceris auream.
 Magna summi, nec tacenda,
 Sed canoro digna cantu,
 Patris, ista largitas
 Serta fecit ferre Servum;
 Filium jussit coronam
 Sustinere spineam,
 Non sit ultra dura nobis
 Res, paci, quod jam, Redemptor
 Noster, ante pertulit.
 Nam caput Christi coronam
 Ornat, os exornet omnis
 Cum corona cæteris.
 Putruerunt ligna, ferrum,
 Saxa, sed non spina marcet
 Hæc, tot una sæculis.
 Et nitentes parva sensim
 (Quod magis mirer) sicco
 Trudit ore lacrymas.
 Pro rubis uvas dedere
 Asperis Spineta, vepres
 Prodiere Vitibus.
 Vulneravit dira Christum
 Sentibus Judæa, spinas
 Germinante Vineæ.
 Ille spretas ante Gentes
 Traxit, & mutata nasci
 Cæpit Uva vepribus.
 Sic eorum morte, nobis
 Vita venit læta, sæclis
 Qua fruamur omnibus.

AD VIRGINEM DEI MATREM MARIAM. ²⁴¹

*Ex Francisci Petrarce Cantilena, vernacula lingua composita; bis, quæ
amorum ejus mentionem faciebant omiſſis, & aliis, juxta eamdem
ſententiam, quæ convenire omnibus poſſent ſubrogatis.
Phalæuticum Carmen.*

○ VIRGO ſpecioſa, amiſta Sole,
Et Stellis redimita mille, pulchram
Frontem; juſtitiz placere Soli
Quæ tantum potuiſti, ut ipſe lucem
In te ſponte ſuam; Deus, locaret.
De te, me pia Caritas perurget
Fari, ſed ſine te, tuique, qui in te
Propter nos homo factus eſt, amando
Nati præſidio, tacere cogor.
Te nunc invoco, cum fide vocanti,
Quæ nunquam renuiſti aſſeſſe cuiquam,
Virgo, ſors hominum maligna, ſi te
Unquam ſeſtere quivit innocentum,
Inclina precibus meis, benigna
Aures obſecro, ſubvenique, pugnam
Pugnanti rigidam, licet lutum ſim,
Et tu Sydereum Polum gubernes.

○ Virgo ſapiens, & una pulchro
Prudentum ex numero, magiſque prima;
Quæ das, lampade clariore, lucem:
Afflicti Clypeus benignus, Orbis
Fortunæ, ac necis iſtibus ferendis;
Sub quo, quæritur inclytus triumphus,
Ne dum protegimur; caloris apta
Cæci temperies, malos, ſceleſtis
Qui mortalibus, ingerit labores.
Virgo ſydereos eos ocellos,
Squallentem, quibus unci, videre
Vultum contigit, & cruenta Nati
Membra, ad me, dubio in ſtatu labantem
Volvas; qui rationis omnis expers
Ad te, ut conſilium petam, recurro.

Virgo tota opere, corde pura,
Cunctis integra partibus, tuique
Partus, Filia nobilis, Parentſque
Vitæque tribuis decoris, iſti
Multum, & non aliam, minus perornas;
Per te Natus enim tuus, Patrisque

Anodoſa Tom. I.

H h

Summi,

Summi, Syderei fenestra Cæli
 Captos abstulit ultimis diebus
 Immitis ditione de Tyranni,
 Et sola decorans, peculiari
 Dono, prætulit omnibus creatis.
 Jam Virgo benedicta, luctus Ævæ
 Per quam, in gaudia vertitur, jocosque;
 Fac me, fac (neque enim nequis) ut ejus
 Dignus sim, rogo, gratia, superni
 Quæ Regni egregiam geris coronam
 Jamdudum, sine termino, beata.

Virgo, gratia quam replevit omnis,
 Cujus vita humilis, pudica, sancta
 Cælum scandere quivit, unde voces
 Nunc (ut credo) meas precantis audis;
 Tum fontem pietatis, & Serenum
 Solem justitiæ, pudica, ventre
 Intacto peperisti; ut obvolutus
 Errorum tenebris, serenior
 Lucem cernere posset, omnis Orbis,
 Atque in te tria diligenda multum
 Sanctæ, nomina plena, caritatis:
 Mater, Filia, Sponsa collocasti.
 Jam Virgo inclyta, nupta Regis ejus,
 Nostros qui laqueos pius resolvit,
 Et Mundum nece propria redemit
 Vitam viveret ut beatior.
 In Sanctis, precor, ejus, Alma, plagis
 Cordis duritiem mei retunde.

O pulcherrima Virgo, sola nullo
 Exemplo, bene comparanda: Cælum
 Formæque specie tuæ ligasti,
 Cui nusquam similem nec ante, nec post
 Humanum potuit Genus videre
 Sanctæ munia cogitationis,
 Et castæ pietatis actiones,
 Vulvam, virginitate permanente,
 Fecundam tibi præbuere; vero
 Vivum rite Deo, Sacrumque Templum.
 Per te vita potest mea, o Maria
 Virgo, nectare dulcior, beari,
 Illic, si precibus tuis abundet
 Regis gratia, ubi error, hostis olim
 Antiqui invidia, malus resedit.
 Te, mentis genibus, Maria, flexis

Oro,

Oro, jam mihi Dux velis ut esse,
 Pravam dirige nunc viam meam tu,
 Ad finem valeam ut vehi beatum.
 O clara, & stabilis per omne tempus
 Virgo, Stella Maris tumultuantis,
 Dux cujusque fidelis alma Nautæ,
 Oro, respice: Solus in procellis
 Quantis, undique jacter absque clavo,
 Et vicinior, in dies, supremæ
 Horæ, terga premente morte, fiam.
 Sed spes ex te animæ meæ tamen nunc
 Pendet, criminibus quidem refertæ
 Multis, non nego, Virgo; sed te oro,
 Hostis ne tuus, ob meam ruinam
 Risu rideat improbo. Memento
 Factum criminibus fuisse nostris
 Erepturus ut hostis a maligni
 Nos olim rabie, Deus nefanda
 Humanam acciperet, Decora de te
 Servato, Genitus, pudore, carnem.
 Virgo; quot subii miser labores,
 Quantis me gravium, scelestus ultro
 Ingressi cumulis molestiarum
 Damnum, atque interitum meum requirens
 (Tamquam non aliter perire possem)
 Omni sedulus arte in hanc, & illam
 Alterno, recidens, dolore, partem
 Nil jam vita fuit mea hic, nisi error,
 Et mixtus fatuo timor dolori,
 Ingens futilium cupido rerum,
 Et falsi ambitio frequens honoris;
 Totam criminibus, laborem, curis
 Involuere animam mihi repente.
 Ne quæso ulterius moreris, Alma
 Virgo. Forte etenim miser, supremum
 Nunc vitæ annum ago, vel diem, vel horam;
 Contorta citius mei sagitta,
 Culpas funditus inter, atque pœnas
 Transivere dies, & una mentem
 Jam solummodo mors manet, scelestam.
 Virgo; quæ mihi lucra, stultus olim
 Duxi, pro quibus improbos labores
 Ultro sustinui, & pericla mille,
 Nunc jam stercora fæda judicare
 Cogor, vel patulæ fimum cloacæ;

Hh 2

Et quæ

Et quæ flens, prius assequi volebam;
 Ac forsam, miser, affecutus essem,
 Servasses nisi me, pudet petiisse.
 Quare tu nitidi Poli Imperatrix,
 Tu certe Dea nostra, si liceret
 Tali nomine, quampiam vocari
 Virgo sensibus alta, quæ videri
 Quicquid luminibus potest, tueris,
 Cui, quod non poterat probata virtus
 Cujusquam facere, est nihil putandum
 Nedum difficile, aut laboriosum.
 Tandem pone modum meo dolori
 Quod laudem tibi, det mihi salutem.

Virgo, in qua mea spes locatur omnis
 Possis, atque velis necessitate
 In grandi, trepidum quod adiuvere;
 Ne me, ne, precor Alma, derelinquas
 Supremo in spacio periclitantem;
 Nec me respice, * sed creare qui me
 Dignatus, similem sibi creavit,
 Non virtus mea te, sed alta imago
 Ejus, quam gero, qualis ipse qualis
 Cogat, fuscipias, homuncionis
 Ut curam, miserata, plenior.
 Artes Dæmonis improbæ, meusque
 Error, me rude fecit esse saxum;
 Quod dum grandibus hinc, & inde mentis
 Tellurem, lacrymis rigat frequenter
 Pungentes scelerum, periculoso
 Fecit semine, pullulare spinas.
 Virgo tu lacrymis piis adimple
 Cor mæstum, precor, ut bonus, suprema
 Hora, sit mihi fletus ille saltem,
 Quem quondam queror improbum fuisse.

Virgo prædita moribus benignis
 Contractis inimica, præ rigore
 Multo, fontibus imperitiorum
 Communis moveare caritate
 Ortus, & miserere cordis hujus
 Contriti atque humilis, precor, vacare;
 Mortalis quia si luti, caducæ
 Curæ sum solitus labore tanto,
 Quo te prosequar igne Caritatis.
 O res nobilis, a mea revertens,
 Per te, conditione si resurgo;

Virgo,

* forte
 despice.

Virgo devoveo tibi, dicoque
 Curas, ingenium, cor, ora, gressum,
 Rem, suspiria, lacrymas, laborem.
 Deduc me miserata, quæso, tandem
 Ad vitam meliorem, & innovatos
 Læto, suscipe grata, corde, mores.
 Adventare diem, nec esse longe
 Cerno, sic rapitur, volatque tempus;
 Et nunc conscia criminum sibi mens,
 Nunc mors, exanimem metu fatigat.
 Tu Virgo unica, sola, singularis
 Commendare tuo, periclitantem,
 Nato vero homini, Deoque vero;
 Cura spiritus, ut supremus olim,
 In Sancta, mihi pace, colligatur.

AD VIRGINEM DEI MATREM MARIAM,

Ut sibi cum in præsentia, tum vero in mortis hora auxilio sit. Ex Cantilena, quam vernacula lingua, eodem metro, sed aliis verbis compositam, harmonia non insuavi, cani auditur. Trochaicum trimetrum, quod tertio semper loco, pyrrhichium, cæteris trocheum, ultimo etiam spondeum recipit, & cum secundo semper pede dictionem terminari vult.

O Maria benedicta, Virgo Mater
 Subvenire mihi, quæso, ne moreris
 Nunc, & hora prope stare cum suprema
 Incoharet, & iniquus hinc Tyrannus,
 Inde culpa mea me pavere, coget.
 Cum Leonis, inimicus, incitati
 More, frendet, inopem vorare quærens,
 Et repente male facta, singulatim,
 Atque dicta (venit mihi minor sit
 Spes ut inde) mea, perfidus probabit.
 Cogitantis etenim frequenter ista
 Mens, cor, omne quatitur timore membrum;
 Unde semper eadem ferenda si sint,
 Criminumque ratione singulorum
 Aggerenda tolerare, quis valebit?
 Non valebit Homo prorsus ullus, etsi
 Sanctitate sit ea, loco revulsos
 De priore, queat, ut movere montes.
 Ipse mille mihi conscius malorum,
 Cujus omnis alitus peracta dudum

Vita;

Vita, vincla trahit, & flagella secum.
 Quo valebo tolerare tanta, pacto?
 Proinde Sontis ades Advocata mundi,
 Et juvare, miserata, supplicansem
 Ne moreris, ut ab invida Tyranni,
 Te jubente, ditioe liberatus
 Regna, Virgo, ferat ad superna tecum.

AD VIRGINEM MATREM MARIAM,

*Ut degentium in hac vita suscepto patrocinio ab antiqui hostis impugnatione
 defendat, quorum causa Christus est mortuus. Ex eo quem Rusticorum
 nostratum Tibia plurimum usurpatur sono Iambicum dimetrum
 Brachycatalecticum, quod Euripideum dicitur.*

O Quæ jacentibus
 In morte sæculi
 Hujus, tenerrimam
 Vel sponte porrigis
 Pacata dexteram;
 Nos de tyrannide
 Hostis tui cito,
 Oramus, eripe,
 Quos propter, unicus
 Fuso, tuus, semel
 Jam mille pertulit,
 Tormenta, sanguine
 Ne forte lætior
 Nunc ille perfidus
 Ad nostra protinus.
 Fiat pericula.
 Tu Sponsa maximi
 Patris, miserrimam
 Attende, quæsumus,
 Sortem precantium.

Tu sola Virginum
 Virgo puerpera,
 Nostra, libidinem,
 De mente, submove.
 Tu mater illius,
 Qui te creaverat
 Nobis, tuum, pia
 Ostende Filium.
 Tu nomen expians
 Ævæ miserrimum
 Videre fac, die
 Nos, in novissimo.
 Attolle flebilem
 Turbam jacentium
 Fulci cor undique,
 Corpusque stantium,
 Ut fronte jam Deum
 Spectare libera
 Possimus inclytum
 Per cuncta sæcula.

IN BEATI MAMETIS MARTYRIS LAUDE

*Ex Dactylico pentametro, sapphico, & adonio constans
dicolon tetastrophon.*

Hic Puer dulcem Patriam reliquit, (a)
Liquit, & caros pariter fodales
Idolis cernens Populum scelestæ
Sacrificantem.

Montis, & Sylva residens opaca,
Quem Deum, Gentes miseræ negabant,
Bestias Christum docuit fateri
Nutibus omnes.

Huic Feræ mammas tribuere, multo
Lactæ distentas, quibus ipse multis
Caseum fecit, Viduis alendis
Pauperibusque. (b)

Inde Liſtores capiendus, ultro
Intulit prodens, saturisque sese
A repentino, timidos redemit
Ore Ferarum. (c)

Vicit ætatem simul, & flagella
Carcerem, flammæ, lapides, Leones,
Persecutores, voluitque Christo
Conciliare.

Ergo nunc ejus meritis ovantes
Martyris palmam veneremur alti,
Et Deo dignum celebremus omni
Laude triumphum.

IN

(a) Cæsaream. S. Cappadociæ ut habent Acta Martyris hujus, Bollandi tamen Continuatoribus, ad diem 17. Augusti de eo differentibus, nimium suspecta.

(b) His consonant Acta ex Godefrido Lingonienſe dicente: *Silvestria animalia, divina ad se virtute deducta, mulgens faciebat caseos paucis ad usum sibi reſentis, reliquos Cæsaream descendens Pauperibus distribuabat.*

(c) Clarius hæc percipiuntur ex Actis sic habentibus: *Alexander Dux Cappadociæ milites suos, qui illum ad se deducerent transmittit; eis obviam (Mamas) occurrit, cui Milites, quis esset penitus ignorantes, locum in quo Mamas maneret ab ipso sciscitabantur; quibus ille: Vos, inquit, primum quiescere, & ad cenam recumbere convenit, & post hæc, Mamantem quem queritis ostendam. Quo concesso, diligentius preparat cenam, aquam manibus infundit, panem, & caseum apponit Ecce Feræ, more solito conveniunt, & ad emulgendum se exhibent Milites timore, & stupore correpti, relinquentes cenam, confugiunt ad Martyrem quos ipse leniter consolatus ego sum, inquit, Mamas quem queritis, precedite, ego vos e vestigio sequar.*

IN EJUSDEM B. MAMETIS MARTYRIS LAUDEM

Hymnus alius. Jambico dimetro acatalectico, quod archilochium carmen vocatur, carmine constans.

APERTA ventris intima
Mames Beatus Impigre
Nihil dolens, nequissimo
Dedit videnda Præsidi. (a)
Retrusus inde carcere
In abdito, cibum dedit
Reis, & intus ipse stans
Eos abire compulit. (b)
Dies in igne postea
Furente, quinque perstitit (c)
Nec interim, vel antea
Deum vocare destitit.

Feris vorandus horridis
Inerme corpus obtulit,
Eas, sed ore, cerneret
Pedes, timente, lambere. (d)
Leo locutus, Angelo
Jubente, rursus Impios
Premit ungue sæviens
Eumque dente vindicans. (e)
Canamus ergo gloriam
Nato, Patri, Paraclito,
Qui Martyri victoriam
Dedit triumphis inclyto,

IN EJUSDEM B. MAMETIS MARTYRIS LAUDEM.

Elegum Carmen.

ET Puer, & solus multorum exempla senumque
Pro Christi, Mames, religione tulit.
Carceris, ut Paulus, referati limine mæstos
Ipse intus remanens, jussit abire Reos.
Missus, ut Abdenago, Sidrac, Misacque, furentem
In flammam, angelico munere, sensit opem.
Dentibus abiectus variarum sæpe Ferarum
Ut Daniel, placidas comperit esse sibi.

Utque

(a) Quo martyrii genere vitam finierit, non plane constat; nonnulli quidem referunt, quod adacto in viscera ferreo tridente supremum consecerit diem; alii capite plexum fuisse; apud Mombrinium vero legitur collectis fuisse lapidibus obrutum.

(b) Recluditur puer, (sic habent Acta) in carcerem, ubi 40. Christianos inveniens, a vinculis solvit, vestes carceris, & omnia claustra amovit, januas aperit, eos quidem foras exire jubet, ipse vero ad futuros agones, angelica presentia confortatus, solus in carcere remansit.

(c) Triduo tantum inter flammam innoxium, ac Dei laudes læto ore canentem, perstitisse, in Actis legitur.

(d) Leopardus itaque, & Ursus (sic Acta) qui jam multos interfecerant, ad discerpendum Martyrem dimittuntur. Ursus quidem cum magna modestia inclinans caput, Martyris pedibus provolutus, vestigia ejus deosculari videbatur. Leopardus vero, quasi quoddam domesticum Animal in pedes se erigens, sudorem, quem ob dolorem Sanctus emiserat, totum corpus lambendo, leniter desergebat.

(e) Leo (sic in Actis sequitur) qui ab ipso mandatum acciperat (nempe ut Gentiles, Judæosve, qui impio ore Christi nomen blasphemassent, invaderet) frendens, & furorem spirans ocuis de Monte descendens, turbam, quæ ad spectaculum convenerat, terrendo disperdens, alios dentibus, alios ungulis discerpebat.

Utque Asinam perhibent Balaam, sic voce locutus
 Humana, astantum terruit ora Leo.
 Quin etiam crebræ, crepitantia, grandinis instar,
 Ut Stephanus, lacero corpore laxa tulit.
 Denique, qui se per tormenta necare parabant,
 Ut Christus, voluit conciliare Deo.

IN EJUSDEM B. MAMETIS MARTYRIS LAUDEM

*Ad illius, quem in Resurrectione Domini, ante Evangelium canimus
 Hymni exemplum, alter Hymnus.*

CONSONAS Mameti voces proferat Cætus omnis.
 Natalis ejus adest, quo bonus malum,
 Cruore tinctus honesto, vicit hostem.
 Multorum, atque Senum res gestas unus, & natum
 Non grandis, gessit ob Christi nomen.
 Dic quos, & quibus secutus Sanctos est modis?
 Paulum, recluso cum solus in carcere orans, sponte permanfit.
 Dic quos, & quibus secutus Sanctos est modis?
 Abdenago, Sidrac, Misacque in ignis vi.
 Dic quos, & quibus secutus Sanctos est modis?
 Mansuetas sensit Bestias exemplo justis Danielis
 Hunc propter, Leo est verbis locutus humanis,
 Ut Balaam pigrum olim Jumentum.
 Hic instar Stephani saxorum est ictibus læsus
 Pro sævis æque orans inimicis.

P E T R I B A R R O C I I

P A T R I C I I V E N E T I

*Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Episcopi, & Comitis Bellunensis, in Versuum,
 atque Hymnorum librum tertium Romæ compositum; ad Petrum Fu-
 scarum, Patricium Venetum, miseratione Divina, Sancti Nicolai
 inter Imagines Ecclesiæ Romanæ Presbyterum Cardinalem,
 Episcopum Patavinum, & Comitem Sacensem.*

PROLOGUS, SIVE PROÆMIUM.

TU qui belligeri mænia Romuli.
 Quondam nobilium moribus inclyta
 Patrum, nunc vitiis clara potentibus,
 O splendor Patriæ, Fuscare, sic probas
Anecdota Tom. I. Ii

Ut

Ut mores reprobos, accipe Terti
 Libri, quem morulæ perbrevis ocium,
 Quod Romæ posito, tum mihi contigit
 Ante hoc composui forte biennium.
 Et si quos in eo videris, improbi
 Conceptus animi, dictave libera,
 Non des id vitio, tam mihi, quam loco
 In quo progenitus. Solis, Aquæ, Soli
 Naturam patrii prodere cogitur.
 Pistrinum siquidem non valet ingredi
 Quisquam, qui (si etiam protinus exeat)
 Non sparsis valeat vestibus egredi.

INCIPIT LIBER TERTIUS

*In B. Martini Confessoris, atque Pontificis, cujus titulo Ecclesia Bellunensis
 censetur, natali die, ex Voto.*

NATALIS, Martine, tuus venit, excipe lætum
 Nobiscum placido sedulus ore, diem. (a)
 Ecce ubi depictis ornantur Templa tapetis,
 Et paries vstro tectus utrimque niter.
 In medio pendent virides, de more, coronæ
 Atque, intertextis floribus, herba micat.
 Ante fores Lauri, & rami pallentis Olivæ
 Densus, & sacrum Buxus obumbrat iter.
 Sternitur omne Solum foliis, gratissima lætos
 Campanis populos, undique turba ciet.
 Aurea succensis radiat Altaria lychnis,
 Et varios edunt organa pulsa sonos.
 Ipsi nos, Domino passim redolentia Thura
 Spargimus, ascendit sydera suavis odor.
 Concurrunt Populi, nuptæ, innuptæque Puellæ
 Extendunt cupida brachia juncta prece.
 Adsis o, magno nimium dilecte, Tonanti,
 Cuique places; placa, Sancte Beate, Deum.
 In te sunt oculi pariter Juvenumque, Senumque,
 Et strepit in laudes, sexus uterque, tuas.
 Te neque militiæ duri potuere labores,
 Nec quæsitæ frangere luxus opum.
 Tu nondum sacra lotus baptismatis unda
 Gessisti Christum re, Paer atque fide.

Et

(a) Si cum iis, quæ de S. Martino scripsit Severus Sulpicius, hæc conferantur, quæ canit Barrocius, nullo deprehendere negotio erit hunc ex illo, ne minimum quidem inverso ordine, singula decerpisse. Hinc nonnisi Sulpicii verbis obitura quædam Barrosii Carmina, esse duximus illustranda.

Et Clamydem gelido glacialis tempore Brumæ,
 Quæ tibi pro multis vestibus una fuit,
 Arrepto mediam scidisti protinus Ense
 Frigore confectus, ne premeretur Inops.
 Tu cum belligeri vitæres castra Tyranni,
 Crederet & Christum te simulare metu.
 Obiicere armatæ voluisti nuda Phalangi
 Pectora, solius munera tuta crucis.
 Donec læta bonam pareret victoria pacem,
 Ne Populi visa polluerentur, nece. (a)
 Non tibi Latrones capto nocuere, sed ultro
 Deductum, ancipiti restituere viæ. (b)
 Obvius humana, non te, sub imagine Dæmon
 Astuti ficta contudit arte doli.
 Tu potes, in falso Genitorem errore manentem
 Deferere, & Matrem conciliare Deo.
 Quamque malus sectam disperferat Arrius ille
 Obniti, multa religionis ope.
 Tu potes exilium, Virgis jam cæsus, iniquum,
 Et sterili latebras in Regione, pati.
 Vivereque, herbarum evulsis radicibus ægre,
 Pellereque admota sumpta venena, prece. (c)
 Tu potes exanimem dilecti, corpus, Amici
 Orando vitæ restituisse suæ. (d)
 Quique sibi laqueo mortem consiverat amens
 Extortum infernis eripuisse locis. (e)
 Mox pia Turrunicum Vulgus, cum forte, Patresque
 Pontifici cuperent subdere colla, tibi.

Ii 2

Et tu

(a) Irruentibus (ait Sulpicius) intra Gallias Barbaris, Julianus Cæsar, caesto in unum exercitu, donativum caput erogare Militibus. Tum vero opportunum tempus existimans (Martinus) quo peteret Missionem: hæcenus, inquit, militavi tibi, patere ut nunc militem Deo . . . adversus hanc vocem Tyrannus infremuit, dicens, cum veteri pugna, quæ postera die erat futura, non religionis gratia, detrectare Militiam. At Martinus instrepidus: si hoc, inquit; ignavia adscribitur, non fidei, crastina die ante aciem inermis adstabo, & in nomine Domini Jesu, signo crucis, non clypeo, protectus, aut galea, hostium cuneos penetrabo securus . . . postera die hostes Legatos de pace miserunt.

(b) Hoc ei per Alpes iter habenti, ut Patriam, & Parentes, quos gentilitas detinebat inviseret, accidisse narrat Sulpicius; refertque Latronem, qui vinctis post tergum manibus, Martinum ad remotiora duxerat, postea eo prædicante, & jam viæ pristinae restituto, in Christum credidisse.

(c) Sulpicium audiamus: Cum adversus perfidum Sacerdotem (Arianum) solus pene acerrime pugnaret, multisque suppliciis esset effectus; nam & publice virgis cæsus est, & ad extremum de Civitate exire compulsus, Italiam repetens . . . ad Insulam Gallinariam nomine, secessit . . . hic aliquandiu radicibus vixit herbarum, quo tempore Helleborum, venenatum gramen, in eibum sumpsit; sed cum vim veneni in se grassantis, vicina jam morte, sentiret, imminens periculum oratione repulit.

(d) Cujusdam nempe ipsius Discipuli adhuc Catechumeni, qui subito morbo correptus, Martino absente, absque baptismo e vivis recesserat.

(e) Servulum nempe Lupicini, honorati secundum sæculum, Viri; ait Sulpicius.

Et tu sub vili malles inglorius , antrō
 Degere , compositis te petiere dolis .
 Jamque , bonæ simulans languorem Conjugis , unus
 Ruricius , tectis egrediare , rogat ; (a)
 Ac te , quem magni studio non cæpit honoris
 Callidus , ostensa sic pietate , capit .
 Exieras : positus & jam Custodibus , omnis
 Excepti , Populus sternitur , ante pedes ;
 Vicinamque frequens invitum ducit ad Urbem ,
 Pastoremque Gregis te jubet esse sui .
 Cessisti : quis enim tam læta mente rogantes
 Sacrato , Populos , respuat ore , pius ?
 Cessisti : sed non ideo mutata voluntas
 Est prior , in latebras , quin procul Urbe , fugis .
 Atque Casas , secta tenues trabe texit , ut essent
 Tecum Discipulis vilia tecta , tuis .
 E quibus , obscuris alii , sub rupibus Antrum
 Pro molli , rigidum , constituere Domo .
 Rimosas alii , texto de vimine Sepes
 Artifici , inter se composuere manu .
 Octoginta illic Socii , quibus una Magistrum
 Cura sequi , atque suum prorsus habere nihil .
 Communes epulas , communia tecta subire
 In medium , studio quærere cuncta , pari .
 Non illic quisquam mercari , aut vendere norat ,
 Non permutatis , anxius ire , bonis .
 Præterea vinum , nisi quod violentia morbi
 Sæva coegisset , sumere , crimen erat .
 Sed quid ago ? aut quo me , Martini facta , canentem
 Discipuli media corripuere via ?
 Quin potius refero , Latronis ut ossa cruenti ,
 Qui populis , falso nomine , Martyr erat .
 Ipso continuo , nomen , vitamque fatente
 Haud dubia ostendit , non veneranda , fide . (b)
 Quemque sequebatur gentilis pompa cadaver
 Cum procul agrestis crederet esse Dei .

Stare ,

(a) Circa Viri istius nomen , variant Codices ; quidam enim habent *Rusticium* , quidam vero *Rusticum* , alii postremo *Ruricium* .

(b) Rem enarrat Sulpicius dicens : *Locus erat , quem falsa hominum opinio velut consepulcris ibi Martyribus sacraverat quodam die paucis secum adbibitis fratribus ad locum pergit Oravit Dominum ut quis esset , vel cuius meriti sepultus , ostenderet . Tum conversus ad laevam vidit prope adstare umbram sordidam , trucem . Imperat nomen , meritumque loqueretur . Nomen edidit latronem se fuisse , ob scelera percussus , vulgi errore celebratum tum Martinus iussit ex eo loco Alcare , quod ibi fuerat , submovere .*

Stare, cruce opposita, firmatam fecerit, & mox
 Opposita notam fiverit ire cruce. (a)
 Dirutaque æquasset cum terra Phana, periculum
 Quam fidei, magnum, fecerit ipse, suæ.
 Pinus erat juxta, multos servata per annos
 Ingenti Veterum religione Patrum.
 Hanc (aliter cum non posset) succidite: dixit,
 Si lubet, inque meum corruat alta caput.
 Nulla mora: oblatas subito illi conditiones
 Accipiunt, & te Sancte Beate, ligant.
 Ardua nutabat crebra succisa securi
 Pinus, in exitium jam ruitura tuum.
 Magna loquor, sed non Martino magna; ruentem
 Desuper, objecta, repulit ipse, Cruce. (b)
 Sic mala, supposito cum Templa exureret igne,
 Ne simul arderet proxima forte Domus,
 Impiger ascendit, summi fastigia tecti,
 Flammarum magnos sustinuitque globos.
 Sic Delubra volens evertere Dæmonis alta,
 Sacrilegis pulsus, cum foret inde, minis;
 Post lacrymas tristes, & post suspiria longa
 Jejunos, Superos sensit adesse sibi;
 Et fundamentis, nullo prohibente, revulsis
 Protinus æquavit Phana prophana, Solo:
 Sic etiam evertens Ædem, & simulacra Deorum
 Impia, diversis, ædificata, locis.
 Cum se præberet strictis mucronibus, ultro
 Haud tamen ullius, læsus ab Ense fuit.
 Verum alius dextra dum istum libraret ab aure
 In duram cecidit sponte supinus humum.
 Ferrum alii, in tenues decussum evanuit auras
 Attonitum vulnus, destituitque manum. (c)
 Sed quid ego, incultis conor sermonibus isthæc
 Pandere? sunt claro lucidiora, die.

Sic

(a) Accidit insequenti tempore (sunt verba Sulpicii) ut Gentilis cujusdam corpus, quod ad sepulcrum cum superstizioso funere deferebatur obviam haberet elevato in adversas signo crucis, imperat Turbæ non moveri loco hic verb mirum in modum videres primum velut saxa riguisse elevata rursus manu, dat eis abeundi, & tollendi corporis potestatem.

(b) De hac arbore jamjam cadente, & super se ruente, quam signo Crucis opposito, in adversam repulit partem; de Domo Fano proxima, quam pari modo ab incendio reparavit; de pluribus ab ipso dirutis Delubris, videri potest, si lubeat, Sulpicius.

(c) In Pago Ædorum (ait Sulpicius) dum templum everteres, furens Gentilium rusticorum in eum irruit multitudo; cumque unus audacior ceteris, stricto eum gladio peteres, rejecto pallio, nudam cervicem percussuri præbuit sed cum ille dexteram altius exulisset, resupinus ruit Cum eum Idola destruentem cultro quidam ferire voluisset, in ipso istu, ferrum ei de manibus excussum non comparuit.

Sic Soli lucem, sic undas addere Ponto
 Possem, sic Praxis gramina Vere novo.
 Quin magis e multis perstringam pauca; rubentes
 Ut tenui Flores molliter ungue legens.
 Ipse & languentem potuit sanare Puellam,
 Cui tremor, in toto corpore, magnus erat. (a)
 Atque tuum eripuit Tetradi maxime servum,
 Cui fera vexabat spiritus, ora, ferox. (b)
 Inde Domum sancto purgans baptismate totam
 Tartarei rapuit de ditione Ducis.
 Ipse Coquum rapido curans a Dæmone pressum
 Cum deserviret dentibus ille feris,
 Misit in os digitos, atque hos (concessa potestas
 Si tibi tanta) prius dixit: inique, vora.
 Ille velut ferro tactus candente, reductis
 Continuo cepit dentibus ire procul.
 Interea, esse illis vicinos mænibus, Hostes
 In populo surgens, undique rumor ait.
 Martinus (fictum nam Dæmonis arte putabat)
 Vera sit hæc, an non dicere fama jubet.
 Nolebat: tandem divino Numine victus
 Præter se Socios fassus habere decem;
 Horum fraude, inquit, ne forte hinc ipse fugarer
 Dispersus, tota rumor in Urbe fuit.
 Donec suppliciis variis exire coactus
 Os, fugiens vetitum spiritus ima petit;
 Fædaque cum turpi linquens vestigia fluxu
 Obfessi, invitus, deserit ora Coqui.
 Nec minus, & turpis, Leprosum, Lepra reliquit
 Sacrata Sancti voce, fugata, Viri.
 Oscula sumpsisset, nam cum Martinus ab ipso
 Mundatam sano retulit ore, cutem.
 Quin etiam vilis detractæ fimbria vestis
 Ægrotos mira sæpe levavit ope.
 Febre laborantem quartana, magnus, habebat
 Arborius, (c) Natam, Vir pietate potens;
 Illam Martini sanavit Epistola, fidus.
 Quam Genitor, miseræ condidit in gremio.
 Nec tanti oblitus meriti, sacrare Puellam
 Perpetua, vovit, virginitate, Pater.

Sed

(a) Patria Trevirensis fuisse Puellam, & dira paralyti, per Sanctum Martinum sanatam, asserit Sulpicius.

(b) Vir proconsularis erat Tetradius, cujus Famulum a Dæmonio correptum liberavit Martinus; Sulpicio teste.

(c) Arborius Vir erat Præfectorius, ut cum appellat Sulpicius.

Sed non alterius, quam qui sanaverat, albas
 Accepit vittas, vota Puella manu.
 Reddita sic uno Martini munere, venit
 Incolumis Patri, Filia Virgo Deo.
 Quo fessum Pauline rapis? tibi lumen ademptum
 Cæperat obducta jam prope nube tegi.
 Martinus solo pariter tactuque dolorem
 Abstulit, amissam restituitque diem.
 Ipseque cum scalis cecidisset promus ab altis
 Livida mærebat turpiter ora tumens.
 Nox erat, & Cælo confestim missus ab alto
 Nuncius æterni visus adesse Dei;
 Absterisque abiit sanie dolor, estque cicatrix
 Crebra, superducta, consolidata, cute.
 Quosque Sacerdotes, Majestas regia, parvi
 Pendebat, cunctis sæpius antetulit.
 Et tua cum tandem convivia Maxime, adisset
 Ausus Presbyterum præposuisse tibi. (a)
 Mox fore victorem, & parvo post tempore, pœnas
 Morte daturum atras, vaticinatus ait: (b)
 Quidquod & angelicas Cælo descendere Turmas
 Et se Martino dedere; vera fides.
 Nam quis tartarei versutas Dæmonis artes,
 Invidiamque trucem commemorare queat?
 Quamquam continuo varias seu sumere formas,
 Sive in se mallet sistere, notus erat.
 Hinc locus invidiæ, hinc iræ mala causa nefandæ
 Hinc dolor, hinc linguæ jurgia sæva, trucidis.
 Irruit oranti quondam, cornuque cruentum
 Ostentans, virtus nunc tua, dixit, ubi est?
 Unum ipse, infensa nuper de Gente, tuorum
 Occidi: en atro dextra cruore madet.
 Martinus, cum nec fallaci credere vellet,
 Nec Socii posset dissimulare necem;

Perqui-

(a) Audiendus iterum Sulpicius ut hæc percipiantur. Tandem victus (Martinus) vel ratione, vel precibus ad convivium venit (nempe Maximi Imperatoris) Convivium adstant summi, atque illustres Viri, Præfectus, idemque Consul Evodius, Frater Regis, & Patruus, medius inter hos Martini Presbyter accubuerat, ipse autem sellula juxta Regem posita confederat. Ad medium Convivium, pateram Regi Minister obtulit, ille Sancto admodum Episcopo potius dari jubet Sed Martinus ubi ebibit, pateram Presbytero suo tradidit, nullum scilicet existimans digniorem, qui post se prior biberet quod factum Imperator, omnesque qui tunc aderant ita admirati sunt, ut hoc ipsum eis, in quo contempsi fuerant, placeret.

(b) Eidem Maximo (sunt verba Sulpicii) longe ante prædixit futurum, ut si ad Italiam pergeret, bellum Valentiniano Imperatori inferens, sciret se primo quidem impetu futurum esse victorem, sed parvo post tempore esse periturum. Quod quidem ita vidimus; nam primo adventu ejus, Valentinianus in fugam versus est, deinde post annum fere, re- sumptis viribus, captum intra Aquileje muros Maximum interfecit.

Perquiri quisnam foret atra morte peremptus
 Imperat, & Socios incolumes reperit.
 Ruriculam tantum, plaustro qui ligna vehebat
 Semianimem, in dura degere sentit, humo.
 Huic femur, excussis terebrarat cornibus imum
 Taurus, dum stulte lora remissa trahit.
 Infortunati sic Dæmon funeris auctor
 Martinus tumuli prospera causa fuit.
 Nec contentus eo, variis illudere formis
 Ausus & effigiem sumere sæpe Jovis:
 Nunc Venerem incestam, tetricæ nunc ora Minervæ
 Fingere, Mercurium nunc simulare malum.
 Contra, Martinus, precibus, signoque tegebat
 Se crucis, & Fidei robore, tutus erat.
 Præterea audiri voces, & jurgia sæva (a)
 Verbaque cum multis insidiosa minis:
 Cur quibus extincta errando baptismatis esset
 Gratia, det veniæ cum rediere, locum.
 O miser, haud miserande, tuo quia crimine gaudes
 Qui tibi vis, & quos pænitet, esse pares?
 Te si factorum, vel nunc, scelerate tuorum,
 Cum prope Judicii cernitur esse dies,
 Pæniteat, tutosque homines dimittere possis,
 Sera licet, veniæ spes tamen una manet.
 Re fuit, & pariter præfago nomine, Clarus
 Martino ante alios, carus amore pio,
 Quem magica urgeret cum sæpe Anatholius arte
 Mentita simulans religione fidem;
 Majora inque dies faceret miracula, & ad se
 Diceret angelicos sæpe venire choros.
 Non tamen astutis decepit fraudibus unquam,
 Nec potuit rigidis exsuperare minis.
 Tandem cum niveam, nigra sibi nocte daturum
 De cælo vestem, diceret esse Deum,
 Acceptamque miser reliquis ostenderet, unus
 Duc ad Martinum, duc age, Clarus ait.
 Cumque renitentem traherent, evanuit inter
 Ducentum attonitas, Vestis (ut umbra) manus.

Sic

(a) Testabantur, ait Sulpicius, aliqui ex Fratribus audivisse se Demonem protervis
 Martinum vocibus increpantem: cur intra Monasterium aliquos, qui olim baptismum di-
 versis erroribus perdidissent, conversos postea, recepisset, exponentem crimina singulorum:
 Martinum Diabolo respondisse: antiqua delicta, melioris vite conversatione purgari.....
 Si tu ipse, o miserabilis, ab hominum infestatione desisteres, & te factorum tuorum vel hoc
 tempore, cum dies Judicii in proximo est, pæniteret, ego confusus in Domino Jesu Christo
 misericordiam pollicerer.

Sic alios, qui non timuisset fallere Dæmon
 Martino sese credere pertimuit. (a)
 Sed non iccirco metuens effingere Christum
 Oranti ingessit se malus, arte nova.
 Vestis erat, Tyrio quam credas Murice tinctam
 Ornabat nitidas fulva corona, comas.
 Pendebant tereti baccata monilia collo
 Qualia, nec rubri vidit arena Maris.
 Præterea facies, vultu jucunda sereno
 Quam mæsti, quivis, Dæmonis esse neget.
 Ac prior: Agnoscis Dominum terræque, Marisque
 Ingentem? Christus qui loquor ipse ego sum.
 Ad terram nitido cito descensurus Olympo
 Me tibi, me volui prodere, Care, prius.
 Obstupuit: tacitosque oculos in Dæmone fixos
 Substitit, ancipiti territus ore diu.
 Cui rursus: quidnam, quem cernis credere cessas?
 Ne dubita: Christus qui loquor ipse ego sum.
 Tum subito afflatus cælesti numine, dixit:
 Dæmona, Martinus novit, adeste sibi;
 Atque ait: ornatum non se diademate Christus
 Venturum dixit, purpureave Toga.
 Ipse, salutiferæ videam nisi certa gerentem
 Signa crucis, scissas cum pedibusque manus,
 Atque Latus patulum crudeli vulnere; jures
 Id licet: haud tibi erit, me penes, ulla fides.
 Vix ea: cum Dæmon, velut umbra, evanuit; atrum
 Invidia frendens, occuluitque caput;
 Fátoremque abiens talem, tantumque reliquit
 Ut facile, inferni Principis esse scias.
 Et jam tempus erat, Sanctum exoptata laboris
 Præmia, Martinum, carpere digna sui.
 Attigerat nonum novies, jam debilis, annum,
 Prædicensque obitum, præscius ipse, suum.

Orta

(a) Clarius hæc enarrantem audiamus Sulpicium. *Clarus quidam nomine, Adolescens nobilissimus, mox Presbyter cum relictis omnibus se ad Martinum contulisset, brevi tempore ad summum fidei, virtutumque omnium culmen enituit cum multi apud eum Fratres commorarentur, Juvenis quidam Anatolius nomine sub professione Monachi, omnem humilitatem, atque innocentiam mentitus, accessit ... procedente tempore Angelos apud se loqui solere, dicebat ... jamque se unum ex Prophetis haberi volebat. Clarus tamen nequaquam ad credendum ei cogi poterat. Ille ait: ecce hac nocte vestem mihi candidam Dominus de Celo dabit ... ad mediam fere noctem ... unum Sabatinum nomine, ad se vocat, tunicamque ei, qua erat indutus, ostendit. Obstupescit ille convocat ceteros, ipse etiam Clarus accurrit Fratres admonet orationi insistere ubi illuxit dies apprehensum dextera trahere ad Martinum volebat ... tum vero reniti, & reclamare miser cepit ... cumque inuisum ire compellerent, inter trahentium manus Vestis evanuit.*

Anecdota Tom. I.

Kk

Orta Sacerdotes inter, cum rixa fuisset,
 Infirmos illuc compulit ire pedes. (a)
 Atque hic certantes vicino in flumine Mergos
 Depasci captis piscibus, ecce videt.
 Protinus, & Sociis, inferni Dæmonis istam
 Effigiem esse docet, forma, rapina, color.
 Ite procul diræ Volucres, fluvioque relicto,
 Deserta Ægypti quærite nigra Soli.
 Dixerat: & lubito verborum turbine pulsæ
 Præcipiti celeres se rapuere fuga.
 Non Avis Accipitrem, non sic Lepus ora Molossi,
 Non Aquilam citius prona Columba fugit.
 Ergo altercantes, cum sedavisset; oborta
 Febre, tremens caput languida membra quati,
 Nec mora, nec requies, non tum quoque vilia passus,
 Vel palæ, quemquam sternere strata sibi;
 Sed cinere immundo, conspergens ora, caputque
 Debilis, in dura, membra domabat, humo.
 Nunquam parte latus fessum mutavit ab ulla
 Quin sacro Æthereum cerneret ore Polum.
 Orabat, vigilique Choros sermone ciebat
 Angelicos, Christum nocte, dieque, rogans.
 Tattareumque videns, contracta Dæmona fronte,
 Nulliusque sibi conscius ipse mali.
 Haud aliter qua si captum religasset, adortus
 Mærentem sævis increpitare minis.
 Sic animam exilio victtricem misit ab isto
 In Patriam ætherei, qua patet, Aula Poli.
 Membra tepebat adhuc, sacrumque repente cadaver
 Discipuli, insolita luce micare, vident;
 Qualem non Lunæ, non clari lumina Solis
 Æquent, Sydereo cum magis orbe, nitet.
 Hoc ubi dispersit, vicina per Oppida, rumor
 Undique concurrat, religiosa cohors;
 Exanimumque, armis contendunt corpus in Urbem
 Ducere Turronici, Pictaviique suam.
 Sed Nox obscuris involuit cuncta tenebris
 Instructos dirimens, ad pia bella, Duces.

Ergo

(a) In Epistola ad Bassulam Sulpicius habet: *Causa exiit qua Condatensem Dæmonem visitaret; nam Clericis inter se, Ecclesia illius, discordantibus pacem cupiens reformare, licet finem dierum suorum non ignoraret, proficisci tamen non recusavit. Ita profectus cum suo illo frequentissimo discipulorum comitatu; Mergos in flumine conspicatur, piscium prædam sequi.... Forma, inquit, hæc demonum est, insidiantur incautis, capiunt nescientes, captos devorant.... Imperat.... ut eum cui innatabant gurgitem relinquentes, aridas peterent, desertasque regiones (ita evenit). Aliquandiu ergo in Vico illo, vel in Ecclesia, ad quam ferat, commoratus, pace inter clericos restituta, cum jam regredi ad Monasterium cogitaret, viribus corporis capis destituit.*

Ergo servatur, positis Custodibus, & jam
 Pictaviis altus presserat ora sopor;
 Cum subito Cives, arrepto tempore, Corpus
 Turronici furtim, surripuere sacrum.
 Quod Cymba impositum lygeris cito protulit undis
 Præcipiti, obnixus Navita, remigio:
 Donec lætitia funebri, & funere læto
 Patronum exciperet Virque, Puerque suum.
 Sacraque odorato component ossa sepulchro;
 Ossa rubri gemmas inter habenda, Maris.
 Ast animus, summo jampridem lætus olympo
 Æthereo, populos despicit orbe, rudes.
 Quosque olim docuit, mutato munere, ducit
 Ad vitam, in Christi religione, piam.
 Nil supra Christum cupidus, nil appetit infra,
 Sed satis, in clara luce, quietis habet.
 Quam neque Nox unquam, diri nec iussa Tyrannæ
 Sacrilega, nec mors auferat atra manu.
 Quin magis æterna fruitur per sæcula, pace
 Inter Sanctorum, Sanctus & ipse, Choros.

IN BEATI JOHATÆ MARTYRIS,

*Cujus in Ecclesiæ Bellunensis altari magno, Corpus collocatum est, laudem,
 Hymnus. Jambico, dimetro, & Brachycatalectico Euripideo constans.*

MARTYR Dei, fer his,
 Qui te vocant, opem,
 Pacem bonis roga
 Semper bonam, Viris.
 Per te malis, quæso
 Sæcli Pater pius
 Laxet vetus, novo
 Crimen, dato, Deus.
 Cives juva bonos,
 Plebem fove sacram,
 Quæ nunc tuum, pie
 Bustum, frequens adit.
 Illum penes Deum
 Quantum queas, doce

Pro quo tuus, nigram
 Tinxit cruor, humum.
 Et quod later, sub hac
 Ara, ferat palam
 Cunctis opem prece
 Corpus, tua, sacrum. (a)
 Morbos leva graves
 Hostem fuga ferum,
 Mæror, fames, timor
 Sint a tuis procul.
 Laudes ut in Dei
 Surgens, ob hæc, novas
 Hymnum canat, sua
 Tutus fide, Chorus.

K k 2

IN

(a) S. Martyris Johatæ (seu potius Joathæ, ut alii scribunt) corpus quidem in Urna ex polito marmore ante Aram maximam Cathedralis Ecclesiæ Bellunensis, servatur. Caput vero in argentea inclusum Theca, in solemnî supplicatione circumfer- tur, fieri quotannis solita, infra octavam Corporis Christi.

IN EJUSDEM B. JOHATÆ MARTYRIS LAUDEM

*Hymnus alius, Asclepiadeo, & glyconio constans, dicolon, tetrastraphon
faciens Carmen.*

MIssus Pentapolim Dadius Impius
Almetam subito venit, & omnibus
Passim Christicolis, protulit horridæ
Edictum, necis, improbum.
Inter quos Johatam perdere, nobili (a).
Natum progenie, cum male quæreret
Primum pollicitis insuperabilem
Flectendum fore, censuit.
Mox & suppliciis frangere pessimis
Aggressus, lapidum contudit ictibus,
Et cæsum gravium verbere fustium
Vinciri, ferus imperat.
Ex atro tumidum Carcere postea
Produci rabide mandat, ad ultimum
Frendens supplicium, protinus Idolis
Ne jussus, ferat hostias.
Discerpi Johatas, sed sua perditis
Elegit potius membra doloribus,
Quam tanti sceleris crimine pollui.
I nunc, & fremere Carnifex.
Tu corpus laceras Martyris, impie
Non torques animam, quam Deus evocat,
Per te, de tenebris, atque periculis
Ad Cæli pia gaudia.

IN

(a) Asta hujus Martyris frustra quæsiere Bollandi continuatores, ut de eo dicerent ad diem 22. Maii; hæc duntaxat ex lectionibus, quibus olim Bellunensis utebatur Celerus percipere potuerunt: Joathas gente Pentapolitanus, apud Dadium Judicem, Roma in Pentapolim a Maximiano, ut Christianos puniret, missum, accusatus, & interrogatus libere se Christianum esse, nec velle inanes Deos venerari, respondit; quibus verbis iratus Judex, os ejus lapidibus tundi, ipsumque fustibus cæsum, & vinctum in carcerem trudi jubet; rotamque interim acutissimis gladiis, quibus corpus Martyris crudeliter dilaceraretur expediti. Postera luce eductus, cum in sententia non colendi Deos persisteret, alligatur, rotæque tandiu circumducitur, donec S. Martyris corpore perfracto spiritum exhalaret.

261

IN EJUSDEM B. JOHATÆ MARTYRIS LAUDEM

Hymnus alius, Dimetro, acatalectico, quod alcmanium vocatur, & dimetro catalectico, quod Euripideum dicitur, ambobus trochaicis constans, dicolon, tetraſtrophon.

HUc ades Martyr beate,
 Et tui natalis istum
 Christianis esse lætum
 Fac diem fidelibus.
 Fac secundum, fac serenum
 Hujus in vitæ procellis,
 Atque densa nube, cursum
 Esse, te sequentibus.
 Tu furentis, qui Tyranni
 Vim, ferendo contudisti,
 Hostis a nobis maligni
 Amove tyrannidem.
 Et patratæ mole culpæ
 Quos gravi crudelis angit
 Præpotenti, ne graveris,
 Adiuvare dextra.

Elevatum, tu superni
 Regis, in nostram ruinam,
 En ferimur, ne moreris
 Detinere brachium.
 Et licet per multa possis
 Duc tamen tecum, rogamus
 Martyres, quorum catervæ
 Non queant resistere.
 Namque summum vi Tonantem
 Turma, cum vult, vestra cogit.
 Eja Turbis ergo pacem
 Impetrate flentibus.
 Mentis ut, carnisque cunctis
 Erutorum de periculis
 Corda, voces, facta, vestram
 Prædicent potentiam.

DE PERTINACIA HOMINUM NOSTRI TEMPORIS,

*Qui Peste, Fame, Bello cum torquantur ad Deum tamen redire contemnunt.
 Ad Cantilenæ, quam vernacula lingua, aliis verbis, sed eisdem metris,
 compositam, cani audivit, Hymnus, similitudinem decantandus.*

HORRIDÆ si tetri
 Dæmonis phalanges
 Unum nunc in locum
 Profluvissent.
 Atque nos in Cælum
 Voce, conquerentes,
 Alta, sævis minis
 Insequerentur.
 Nescio quid nobis
 Amplius valerent
 Terroris, vel metus
 Accumulare.
 Sic fames, & bellum
 Pestilensque morbus
 Urbes, Villas, Agros
 Corripuere.

Jam nihil quacumque
 Vertimur, videmus
 Præter cædes, necem,
 Interitumque.
 Et tamen converti
 Ad Deum recusat
 Percussorem suum
 Mens male sana.
 Scilicet ne justæ
 Causa jam querelæ
 Cuiquam sit, quo minus
 Interimatur.
 O cor induratum
 In tuam ruinam,
 Hæc, hæc reddis Deo
 Omnipotenti?

Num.

Numquid hic non ille est,
 Qui creavit orbem
 Terræ, verbo, tibi
 Supposuitque?
 Numquid & non ille est,
 Qui Polum paravit,
 Quantum est in se, tibi
 Imperiumque?
 Et quis, oro, aut quali
 Fascinavit arte
 Sic te, ut malis humum,
 Servitiumque?

Atque vita possis
 Cum frui beata;
 Mortem quæras inops,
 Exitiumque?
 Erigas o tandem
 Te, piæ, pacemque
 Matris poscas, gemens
 Cælicolumque.
 Sic malum, Patronis
 Talibus, futurum
 Jam quo possis modo
 Exsuperare.

FRANCISCI BARROCII PATRUI EPITAPHIUM

Quod marmore insculptum est.

MAGNUM Barrociæ Domus Alumnum
 Franciscum, Veneti decus Senatus
 Consultum bene juris utriusque,
 Heu! parvus tegit hic lapis, Viator.
 Præsul Tarvisii fuit, precesque
 Quondam Pontifici referre summo
 Consuerat populi, diemque solus
 Sacris scribere literis solebat:
 Mæstos cum subito reliquit omnes
 Lætus sydereum petens olympum.

IN LEONIS BAPTISTÆ LIBELLUM,

De Pictura, elegantissimum.

PINGERE seu discas, seu dicere multa latine
 Baptistæ ingenio, Lector, utrumque potes.
 Auribus, atque oculis fecit satis, & studiosis
 Omnibus hinc lingua profuit, inde manu;
 Scilicet, his quoniam discuntur sensibus Artes,
 Doctrinam ut discat sedula Turba suam.

IN

263

IN RHINOCERONTIS PICTURAM,

*Quam quidam sibi Italicorum Principum, versibus parum modestis
subscribi fecit.*

RHINOCEROS pedibus melior, Leo viribus illum
Qui fugis, hunc qui stas elige in arma, Ducem.
Sed cave, arenosum ne cum te litus ad usque
Pertuleris, falsis præcipiteris aquis.
Nec te, quæ falso jactantur, amara venena
Interimant, tumidi sed magis unda Freti.

IN BARTHOLOMÆI PLATYNÆ LIBELLUM

*Eum quem ipse de honesta voluptate, vulgus (quod verius id esse existimet)
de coquinaria arte, inscribit.*

HUJUS impressum male (quod frequenter
Evenit) casu, titulum libelli
Legerat quidam, Patinæque scriptum
Esse putarat.
Dumque visendi studio, per Urbem
Ducitur tanquam Peregrinus, & qui
~~Non~~ vias nosset bene, forte clivum
Venit in altum.
Nobiles illic oculis, equorum
Offerunt sese Statuæ duorum,
Phidiæ quondam monumenta magni,
Praxitelisque.
Hos diu postquam, Juvenescque lora
Qui tenent ambos, simul & Gigantum
Seminudorum Statuas ab omni
Parte notavit,
Ædium limen jacet in propinquum
Lumina, & scriptum legit: Hospes istic
Si tuum quæris Platynam, patebit
Janua pulsa.
Utque deceptus titulo libelli
Hæc forent, inquit, satis eleganter
Sculpta, cognomen melius fuisset
Si modo scriptum.
Nam per Ypsilon, Patinam per I quam
Nemo, non dico, vigil, & politus
Scriberet, sed nec rudis, & sopore
Tempora pressus.

Cui

Cui Viro, qui tum comes ibat, inquit;
Neminem Romæ Patinam vocamus
(Quod sciam) sed nec Platynam, ni unum
Bartholomæum.

Et, quis est ergo Patina, inquit ille,
Cujus in quodam titulum libello,
Qui coquos omnes docet, ipse legi,
Bartholomæus?

Hic, hic est, ædes, ait ille, cujus
Cernimus: Vulgus Platynam vocavit,
Quod Puer, latos humeros, Platonis
Instar, haberet.

Namque Aristoclex (bene si recordor)
Ex Avi, dictus est paterni
Nomine, is quem mox ideo, Platonem
Dixit Aristo.

Porro quod scriptum Patinam fuisse
Afferis (si non tibi fingis isthæc
Ipse) Scriptoris vitium putarim
Esse maligni.

Talibus dum sic ratiocinantur
Vocibus secum, crepuere Postes,
Et foras ipsum simul intuentur
Egredientem.

Cumque non esset locus ullus, in quo
Abderent sese fuga, nec pateret
Ulla, & auditos quoque se putarent,
Erubuerunt.

Quos verecundo Juvenes rubore
Sponte permotus, Platyna, ut sodales
Admonet blande, simul & pudore
Liberat ultro.

Cuncta, quæ de me pariter locuti
Estis, audiui, neque læsus, Hospes
Prorsus irascor tibi, sed scelesto
Bibliopolæ.

Qui nimis lucris inhians avaris,
Dum coquis morem gerit impudenter
Nobilem, tali vitio, Libellum
Commaculavit.

Cum tamen, sensu, Platynam retento
(Si modo his morem gerere appetebat)
Nam platos, ætas nostra ista, lances
Scribere posset.

Dixit :

Dixit: efferri, Paterasque dulcis
Mox duas Vini jubet, ac futuræ
Ut siti occurrant, animo precatur
Officioso.

Tum recessuris ait, ite, nec me
Amplius, quæso, Patinam vocetis
Si qua tractati male vos Amici
Gratia tangit.

Dant fidem, abscedunt hilares, quod hæc spem
Præter, & præter meritum viderent,
A Viro læso sibi contigisse
Tam bona verba.

Nemo jam legem neget esse quandam
Condiendorum sapide ciborum.
Est, sed ingenti Platynæ labore
Tradita nuper.

Atque cum non sit satis, esse cuiquam
Si caret, quo se sitiens liquore
Proluat, dulcis pariter lyei
Tradita lex est.

Ut dies nullus (siquidem diebus
Omnibus vesci semel est necesse)
Transeat, quò non Platynæ memor sis
Bartholomæi.

Gratiam, seu te juvat esca, reddens
Quod juvet, seu non juvat, edocendi
Quod coqui, nullo tibi sit, facultas
Parta labore.

IN EJUSDEM AUCTORIS EUMDEM LIBELLUM.

RHETOR eram Populo quondam plaudente disertus
Immundis idem sum modo cura Coquis,
Piscator, Lanius, Farctor, Cætarius, Auceps
Gaupo, Coquus, Meretrix, & Parasitus adest.
Discere de nostris quærunt elementa libellis
Prima: vide venter quid facit, atque Gula,
Emptores totidem, non magni habuere Platonis
Libri, quot Platynæ parvulus iste liber.

PLATYNAM AB HIPPOLYTO NACTIO AMERINO,

Milite Hierosolymitano libellum habuisse, unde suum hoc, de quo supra diximus, Opusculum excerpfit.

SCRIPTA, quis hoc credat? si non inventa fuissent
Hippolyti, hoc Platynæ non legeretur opus.
Ergo Culinarum Hippolytus præcepta reliquit?
Non: neque enim fuerant ocia tanta Viro.
Sed tamen est verum, nisi scripta inventa fuissent
Hippolyti, hoc Platynæ non legeretur opus.

I N . Q U E M D A M

Cum, quod sibi vaticinando imprecatus fuerat malum, accidisset, nimium exultantem.

VATIBUS, Astrologis, Furiolis, atque Prophetis,
Et Pueris mos est sæpe futura loqui.
Sed te ætas Puerum, versus negat esse Poetam,
Nec similem Mosis te tua vita facit;
Et vetat Astrologum credi ignoratio Cæli:
Ergo malus fecit te furor ista loqui.

D E E O D E M

In eandem sententiam Epigramma aliud.

VERA canunt quandoque Poeta, Propheta, Puerque:
Versus, vita, ætas te negat his similem.
Nec dici Astrologus debes, qui Sydera nescis:
Ergo male insanis. Hi quoque vera canunt.

QUANTA SIBI PAULUM II. PONT. MAX.

Adeundi fuerit difficultas.

QUI vigilare die, noctu dormire solebam
Nunc didici & noctes, & vigilare dies.
Insomnem me Roma facit: sic hæreo, clausas
Pontificis semper sedulus ante Fores,
Anser aquosam hyemem fugiens, quandoque sub ipsa
Nocte volat, ponit lumina fessa die.
Strymoniasque Grues, sopor instaurare diurnus
Excubias noctis, cum subiere, solet.
Nocte gemens Bubo, feralia carmina cantat
Sole, eadem somnos exoriente, petit.
Quin etiam Fures, vigilant cum tempora noctis
Sopiti reparant corpora laxa die.
Me neque nox vidit, neque lux captare quietem,
Ex quo Pontificis limina surda, tero.

Non

Non hora est: dormit, prandet, cenat, requiescit
 Ægrotat; prima nocte redire potes.
 Expecta: nimium nunc incipis esse molestus:
 Sic omni dantur tempore, verba mihi.
 Me labor iste premit, fastidia longa fatigant.
 Quam sunt nocturnæ tædia dura, moræ.

HELISABETH ZENÆ,

Romæ, diem funclæ, Epitaphium.

BARTISTÆ Helisabeta Cardinalis
 Hoc, Zeni, Genitrix jacet sepulchro;
 Quæ quarti Eugenii Sorore, nata
 Post, Pauli Soror extitit Secundi.
 Horum, qui Patriam, Domumve, nescis,
 Ad dextram huc prope vadito, sciesque.

AD JOANNEM MICHAELM

S. Marcelli Presbyterum Cardinalem, ut se assistentiæ onere liberet.

TU qui principium es, nostri sis finis honoris
 Oro, rite placet nemo, duobus Heris.
 Illo me facies assistere tempore, Summum
 Pontificem, cum te jusserit esse, Deus.
 Aut (si vita negat) veniam da, muneris hujus
 Sub specie, excludi de Grege, nolo, tuo.
 Posthac facturus mihi, si quid es, ante moneto,
 Haud bene habet, sine me, nubat ut ulla mihi.

QUID, ET QUO AUCTORE

Apud Hostia Tyberis widerit.

ESTOUTEVILLÆ Guillelmus gloria Gentis
 Quem pilei decorat purpura clara rubri,
 Visendi studio nos ad Tyberinam profectos
 Hostia, tractari jussit honorifice.
 Tot fuimus, numerum, quot eum qui primus habetur
 Inter perfectos, æquiparare valent.
 Pontem, Ædes, Hortum, Muros, Templum, omnia præter
 Arcem, quæ minima est, vidimus esse nova.
 Incola, ad hæc aderat, novus, & novus ordo, novique
 Patres conscripti, Plebs nova, Rura nova.
 Omnia cum nova sint ab eodem facta, dolendum est
 Quod seipsum, tantus Vir, renovare nequit.

AD CURIAM ROMANAM,

*Ut vel mores mutet, vel eandem de se præstetur vindictam, quam ex
 Urbis ruinis Romam sabisse advertit.*

CURIA, curarum plenissima, plena laboris
 Invidiæ Genitrix, Mater avaritiæ
 Quid fuerit, quid sitque vides: Illa inclyta Roma
 Cui totus quondam subditus orbis erat;

Ll 2

Ver.

Vertice tangebant ubi multa Palatia Cælum;
 Nunc ibi, vix paucae sunt, humilesque casae.
 Quæque olim populi tantum cinxere Theatra
 Armentis præbent jam, Gregibusque cibum.
 Parietibusque ausus, trepidum deducere longis
 Flumen aquæductus non habet altus aquam.
 Et qua rostratae remos duxere Carinae
 Villicus, impresso vomere, scindit humum.
 Quid Pontes referam? quid opus mirabile Thermas?
 Quid diversorum Tempa superba Deum?
 Milleque non uno casus de Monte columnas,
 Et pulchre variis Marmora picta modis?
 Aspice Pyramides, ingentia cerne Sepulchra,
 Et sculpti vivas marmoris effigies.
 Contemplare Cavas, terebrato in Monte Gavernas,
 Et cæcas atra sub regione vias.
 Planitiem, summis æquatam montibus, & quæ
 Plurima, nec solers enumerare queat.
 Præcipue Imperium terraque, marique superbum.
 Dic: ubi sunt Veterum, tot monumenta Patrum?
 Invidia, atque fames auri ostentare ruinas.
 Præter, de tanta te nihil Urbe finit.
 Ergo vel illius sceleratos desere mores,
 Vel similes pœnas, jam luitura, fuge.

AD PETRUM FUSCARUM,

*S. Nicolai inter Imagines Presbyterum Cardinalem, Libræ totius Conclusio;
 & quid ab eo fieri velit.*

Hic tres, Fuscare, finiunt Libelli
 Nostri, de quibus antea dixeramus,
 Jam pridem tibi mente destinati;
 Sed nutu Dominj, ut puto, latenter
 Auctorem penes hætenus retenti,
 Ut desiderium pium, profecti
 Ad cælestia regna Fratris, a te
 Auferre, ad minus aut levare possent.
 Tu, si quid vitij vides inesse
 Iphis, corrige, quæso, & Invidorum
 Sævas ne prius in manus venire
 Orantes sine, quam tuo probati
 Tandem judicio, legi valebunt.
 Tunc illos legat, opto, totus Orbis.

BESSA-

B E S S A R I O N I S
C A R D I N A L I S N I C E N I
E P I S T O L A , E T O R A T I O .

P R Æ F A T I O. ²⁷¹

NEMO mihi, puto, vertere jure merito in crimen poterit, ac si extra fines fuerim deprehensus, quos, de hac Monumentorum collectione præloquens, mihi metipso constitueram, dum Veneta editurus Anecdota, Epistolæ, ac Orationi Bessarionis Cardinalis Niceni hominis Græci, locum inter ea ultro concesserim. Plura enim præsto sunt, quibus ab hac qualicumque nota facile absolvar. Satis ad id, superque fortasse eris si in Lectorum memoriam revocem, me, nedum quæ a Venetis Viris lucubrata fuere, verum & quæ vel ad Venetos data sunt, vel rem quoquomodo Venetam spectare possunt Opuscula, quemcumque illa Parentem habuerint, luci donare proposuisse. Hinc nemo non statim percipiet, locum jure concessum Bessarionis Epistolæ ad Franciscum Fuscum Venetorum Ducem, necnon Orationi ad Christianos Principes hortatoriæ, ut fœdere inito Turcis bellum indicerent, in quo Veneti, aut potiores habituri partes erant, aut impetum primi, solique sustinere. His accedit (quo certius a criminatione quacumque in tuto collocer) Cardinalem Nicenum, Veneta fuisse nobilitate donatum; quod ex eo Senatus Decreto innotescit, quo die 23. Martii 1468. libenti, gratoque animo excepit, nongentorum Codicum Bibliothecam, ingenti prætio ex tota pene Græcia comparatam, quam Venetiis collocare, & nostrorum, suorumque Civium utilitati, ac commodo consecrare deliberaverat. Cum igitur: sit nobilis noster, & de nostro gremio (ipsissima Senatus Veneti verba sunt, quæ usurpamus) quos sorte propitia reperimus, præclarissimi illius Viri, fœtus a Venetorum Monumentorum classe, veluti extraneos, repellere, injuria profecto nonnisi esset. Epistolam ad Fuscum Ducem datam, ex Ducalis Bibliothecæ Codice, humanissimo Joanne Antonio Zanneti Custode permittente, transcripsimus; Orationem vero, ex perpolito membranaceo Codice Conventus nostri S. Secundi in Insula Venetiarum. Non unam quidem Epistolam dedit, plures etiam Orationes ad Christianos Principes habuit ille, quibus bellum Turcis omnino esse inferendum suaderet, quæ semel, & iterum Latino, & Italico idiomate typis consignatæ, jam publici juris sunt. Hanc vero, quam nunc edimus,

edimus, Orationem, quæve, ut conferenti facile deprehendere erit, ea ipsa est, quam Gobellino teste in Commentariis Pii II. (seu potius Pius ipse in Commentariis suis), Bessarion coram Pontifice, circumsedentium Cardinalium nomine, ad Christianorum Principum Legatos Mantuæ habuit, & in Labbeana Conciliorum collectione, & in supplementis Patris Mansi, & inter Consultationes, & Orationes Turcicas Nicolai Rausnerii frustra quæsiimus; nec in pluribus tum latinis, tum italicis operum Bessarionis editionibus, quas Amicorum etiam adhibita opera, evolvimus, reperire hucusque licuit. Epistola tandem F. Mauri Lapi Florentini Camaldulensis Monachi ad Bessarionem data, cujus exemplar obtinuimus e Cænobio S. Matthiæ de Muriano, in quo per annos circiter quadraginta vitam religiose transegit, quasi pro coronide erit.



D O M I N O

FRANCISCO FOSCARI
DUCI VENETIARUM.

ILLUSTRISIME, & Excellentissime Princeps. Distuli ante hunc diem, infelicem, & calamitosam Urbem nostram Constantinopolim, tuæ celsitudini commendare, tum pudore quodam sub mystico retractus, ne pro commodo, & salute Patriæ (a) rogans, meum ipsius commodum viderer quærere; tum quod sponte sua Inclitus Senatus vester, ut est erga omnes afflictos clementissimus, tantum operis, præsidiique pararat, ut omnes indubie existimarent, satis id, superque esse ad eam Urbem tutandam, ad arcendos a mænibus Barbaros, ad impetum crudelissimi Hostis reprimendum. Quod utinam eo tempestive applicuisset, non enim essemus spe, atque opinione nostra fraudati. (b) Verrum non negligentia vestra, cujus in tanta re, ne simulacrum quidem ullum apparuit unquam, sed & vicinitate hostis, & importuno anni tempore, & Fatis ita volentibus factum est, ut dum in medio cursu est Classis, dum spe victoriæ alacres Copiæ in hostem feruntur, prævenit Barbarus, Urbemque & situ loci, & Mænibus, & comæatu, & omni genere præsidii munitissimam, quam omnes annum integrum pati posse oblidionem sperabant, viribus expugnaverit. (c) Me miserum!

(a) Facile ex his, similibusve Bessarionis verbis, in nonnullorum sententiam trahi quispiam fortasse posset, qui eum Patria Constantinopolitanum fuisse perperam distulerunt; cum constans sit reliquorum omnium opinio, Platina & Perotti familiarium ipsius, aliorumque Concivium suorum calculo comprobata, Bessarionem e Regia Ponti Urbe Trapezunte suum ortum duxisse. Sed nec ex eo Constantinopolim Patriam appellat, quod Civitatis illius, hæc scribens, Præsul jam esset; cum certo certius sit nonnisi decennio post, anno scilicet 1463. Isidoro Cardinale Rutheno vita functo, Patriarchæ Constantinopolitani titulum, Pio II. deferente obtinuisse, non autem statim ac regiam eam Urbem, Florentina soluta Synodo, ressalutavit, ut scribit Michael Le Quien, sed nec immediate post mortem Gregorii Protosyncelli, ut Nicolaus Papadopoli, alique dixerunt. Hinc non alio sensu, quam ex diuturniori incolatu, eam Civitatem Patriam appellat; Puer enim eam Urbem adiit, Grammaticæ, ac Poesi sub Chrysococæ disciplina daturus operam, dein a Dositheo Doriensi Præsule dicendi arte, & Philosophia imbuendus. Iterum e Peloponeso, ubi Georgii Gemisti Platoniam Philosophiam docentis, auditor fuerat, Joannis Paleologi jussu revocatus, & in regia aula susceptus, mutuique Constantinopolitanum inter, & Trapezuntinum Imperatores Legationibus perfunctus, ad Concilium usque Florentinum, seu potius ad usque consecutam Purpuram in ea constitit Urbe; quam proinde, ex longiori inibi ducta mora, jure merito Patriam appellat. Hæc, & alia accepimus ex Christiano Friderico Boernerio, de Doctis Hominibus Græcis, Literarum Græcarum in Italia instauratoribus differente.

(b) Mox ut obsidionis, & extremi illius Urbis periculi nuncium Veneti perceperunt, Classem triginta Triremium, cujus supremum, penes Jacobum Lauretanum, imperium esse voluerunt, ad Byzantii præsidium comparaverunt. At nimia locorum distantia effectum est, ut Classis hujus, quæ jam ad Eubæam Insulam pervenerat, inopinata Civitatis expugnatio, adventum præcederet.

(c) Et id quidem die 29. Maii, anni quinquagesimi tertii, supra millesimum quadringentesimum.

Anecdota Tom. I.

M m

rum! Non possum hoc sine maximo dolore scribere; rem ut dictu incredibilem, ita ab omnibus, qui aliquid in se humanitatis habent, ac præsertim Christianis, deplorandam. Me miserum! non possum hoc sine maximo dolore scribere. Urbs, quæ modo tali Imperatore, tot illustribus Viris, tot clarissimis, antiquissimisque Familiis, tanta rerum copia florebat, totius Græciæ caput, splendor, & decus Orientis, Gymnasium optimarum artium, bonorum omnium receptaculum, ab immanissimis Barbaris, a sævissimis Christianæ fidei Hostibus, a truculentissimis Feris capta, spoliata, direpta, exhausta est; publica pecunia dilapidata, privata opes extinctæ, Tempa auro, argento, gemmis, reliquiis Sanctorum, aliaque pretiosissima supellectili opulentissima, nudata; Viri instar pecudum trucidati; abductæ Mulieres, raptæ Virgines, Infantes e Parentum complexibus sublari; & si qui in tanta clade superfuerant, vel in vinculis, ut ære redimantur servati, vel omni genere cruciatus affecti, vel ad turpissimam servitutem redacti. Fana, atque Delubra Sanctorum maledictis, verberibus, cruore, & omni flagitiorum genere sædata, Castra in templis Dei, Sacra in Castris habitata. O miseram, & infelicem, & in brevi celerem, & variam Civitatis commutationem! Quis, cum hæc legeris istarum rerum ignarus, facta, non ficta esse crediderit? Sed nolo calamitates Patriæ apud te deplorare, cum hæc fortasse notiora sunt, quam mihi ipsi; & præsertim ne videar refricare vulnus tuum, quem Fata voluerunt miseriarum nostrarum esse participem; clausis in ea Urbe tot Civibus Venetis, tot nobilissimis hominibus, tot Patricii ordinis Viris, qui utinam meliorem, quam nostri, fortunam experti, incolumes aliquando in Patriam revertantur. Certe verendum est, ne eadem procella vexati, pariter perierint. (a) Mihi vero data est facultas libere implorandi auxilium, non jam pro Patria, non pro Civitatis meæ salute, sed pro tutela omnium, pro Christi gloria, pro Christianæ fidei conservatione, pro Christianorum honore. Quo in loco pluribus exponere poteram quantum periculi immineat Italicis rebus, ne de reliquis dicam, nisi truculentissimi Barbari impetus comprimantur. Verum neque me later eas rationes Senatui vestro notiores esse, quam mihi, & ad finem festinat Epistola. Hoc unum breviter dicam: e duobus alterum necessarium fore; vel ut Celsitudo tua, una cum cæteris Christianis Principibus, furor, ne dicam rabiem, Barbari in hisce principiis comprimat, atque infringat, ne solum se, suæque tuendo, verum etiam ostendendo hostem; vel ut ille mox reliqua Græcia, quæ nunc Imperio vestro subiecta est, Insulisque omnibus vestris, præterea etiam Pannonia, atque Illyria potitus, Italicæ quoque res in maximum discrimen adducat. Deventuros autem ad hoc quam facile Christianos Principes, cum tales causæ sint, tam acerbæ, tam graves, tam novæ, cum de communi salute, de Christiana Religione, de Christi gloria agatur, nemo est qui

(a) Multi sane Veneti eo die aut cæsi sunt, aut capti; quos inter septem, & quadraginta Patricii sanguinis Viros extitisse, narrat Sabellicus Deça. 3. lib. VII.

est qui non speret; præsertim a Celsitudine tua, vestroque Senatu, cuius auctoritas amplissima est, invitatos. Quapropter te hortor Inclite, atque Illustrissime Princeps, & quibus possum, precibus rogo, obtestor, obsecro, ut compositis aliquando Italiæ rebus, sineque bellis, quibus Christiani Principes sævitis, imposito, ad majora convertas oculos, vagantemque per Christianorum fines furibundum Hostem, & cuncta minantem, prostrantem conspicias. (a) Unde putas in tantam insolentiam prorupisse? Nimirum quia vos cernit Christianos Principes invicem bella gerentes, manus nostras nostrorum sanguine madentes, arma Christianorum oruore sædata. Hæc illum audacem faciunt; his fretus, præcipuam Græciæ Civitatem nuper aggressus, expugnavit, diripuit, exterminavit. Quod si vos, ut Christianos Principes decet, posito hostili animo, concordēs, atque unanimes intelligeret, ad Christianæ Religionis amplificationem incumbere, mihi crede, non modo alienis abstineret, sed loco maximi muneris duceret infra fines suos posse consistere. Eja igitur Princeps Inclite, expergiscere aliquando, & extinctis Christianorum inter se odiis tibi qui animos, induc, & ut tecum una ad ulciscendam Barbarorum injuriam, ad extinguendum Christianæ fidei Hostem, ad eam Civitatem, quæ olim vestræ Reipublicæ fuit, quæque, adepta victoria, futura est, antequam Barbari etiam Peloponnesum occupent, recuperandam, incumbant, hortare, provoca, allicere. Nihil hoc utilius Imperio tuo, nihil Italiæ, & universæ Christianorum Reipublicæ commodius, nihil immortalī Deo acceptius, nihil nomini tuo gloriosius facere potes. Qua in re, si quid parvitatem meam posse, Celsitudo tua intellexerit, vel in leniendis nostrorum animis, vel in iis ad bellum Barbaris inferendum adhortandis, nullum laborem, curam, sollicitudinem recusabo. Bene valeat Illustrissima Dominatio vestra. Ex Bononia die XIII. Julii 1453.

B. Cardinalis Tusculanus, & Bononicus Legatus. (b)

M m z

REVE-

(a) Adiutrices manus ea tempestate exhibuerant Veneti, Alphonsus Neapolitano Regi, contra quem Mediolani Dux, inito cum Florentinis fœdere, & novo excitato ex Galliis hoste acriter dimicabat; unde mutuis cædibus, incendiis, vastationibus, vexabatur undequaque Italia.

(b) Episcopi Sabinensis, dein Tusculani titulum obtinuisse Bessarionem cum primum ab Eugenio Papa IV. Cardinalis renunciatus fuit, falso scripsit Lambecius; ex titulo enimvero Sanctorum XII. Apostolorum, quo designatus primo fuerat, nonnisi anno 1449. tertio Non. Martii, juxta Ughellium a Nicolao Papa V. translatus fuit ad Sabinensem, & paulo post, nono scilicet Kal. Maii, ad Tusculanum; teste Cl. Dominico Georgio in vita Nicolai V. hæc ex Vaticanis Regestis habente: die 26. Februarii 1450. Bessarionem Cardinalem Nicenum appellatum ex titulo SS. XII. Apostolorum, ad Tusculanum translatum, Civitatis Bononiæ, ac totius Ecclesiæ Ravennæ Legatum, & Vicarium renunciavit; qui Roma die IV. Martii discessit, Bononiamque profectus Legati munere perfunctus est, quoad Nicolaus Pontifex vixit, integro nempe quinquennio.

REVERENDISSIMI PATRIS CARDINALIS NICENI ORATIO

*Nomine Sacri Romanorum Cardinalium Collegii Pont. Max. subsequitur
pro defendenda fide.*

Cum Turcæ, expugnato, sexennio ante, Byzantio, Græciam, & Illyricum armis invasissent, & inde Pannoniam ingressi, Hungarorum gentem cladibus affligerent, cæterorumque Christianorum Principum cervicibus minarentur; Pius Papa II. Mantuæ Conventum (quem perperam nonnulli Concilium nuncuparunt) anno 1459. indixit, quo & ipse, senio licet confectus, accessit, ut de bello in immanem fidei Hostem suscipiendo, pari consilio, Christiani tandem Principes convenirent. Hinc VI. Kal. Octobris, pluribus jam adstantibus Principum Legatis, exhortatoriam orationem habuit, quæ in magna Conciliorum collectione videri poterit; cui sine tandem imposito, Cardinalis Nicens, nulla mora, Sacri Collegii nomine, sic ait:

QUÆ Dominus noster SS. Pontifex Maximus, Christi Salvatoris nostri Vicarius, pro sua, tum sapientia singulari, tum erga dominicum, suumque Gregem universum summa pietate, gravissime, eloquentissime differuit, intenti audivimus omnes. Ita certe locutus est, ut dictis suis nihil addi, nihil detrahi possit; tanta cum elegantia, tanto cum artificio omnia complexus est. Nec id sane mirum, cum omnis scientiæ, omnisque eloquentiæ principatum teneat. Quæ vero ego in præsentia, longe impari ingenio, ac studio, non modo humili, verum jejuno, Sacri Collegii nomine, impetrata prius a SS. Domino nostro venia, dicturus sum, ideo dicam, ut omnes intelligant, quemadmodum consiliorum, laborum, ac omnium, quæ in tanto periculo, pro defensione Christianæ fidei, necessaria sunt, hi præstantissimi Patres participes fuere, ita nunc ejusdem voluntatis plane esse, ac pro virili sua, huic rei, una cum SS. Domino nostro, miro, flagrantique desiderio in-eumbarere. Omnis namque christiana fides, omnis nostra religio in periculo est. Repetatur memoria quam latum, quam amplum fuerit Romanum Imperium, cujus fines, ut Appianus inquit, claudebat ortus Solis, atque occasus; quam arctum, quamque angustum factum sit, consideretur. Non satis totam Libyam, majorisque Asiæ priscis temporibus a Persis, & Numidis Populo Romano, & Christianis ademptam fuisse, non sufficit. Deinde minorem Asiam, Lyciam, Paphlagoniam, Phrygiam, Ciliciam, Cappadociam, Pontum, & Bithyniam, vilissimæ, ac spurcissimæ Turcharum gentis Imperio cecidisse. Novissimis quoque temporibus, magnam Europæ partem, Thraciam, Macedoniam, Achajam, Epirum, Mysiam superiorem, atque inferiorem occuparunt. Qui tandem unicam illam Urbium reginam, sedem Imperatoriam, novam Romam, Civitatem Constantini; heu rem miseram atque afflictam! nostris temporibus captam, vexatam, dilaniatam perspeximus, omnibus rebus, omni ornatu fœdissime, ac crudelissime spoliatam, Viros partim cæcos, partim acerbissimæ servitutis iugo subactos, Matronas stupratas, Virgines raptas, Sanctimoniales fœdatas, Adolescentes immaniter trucidatos, Liberos a gre-

gremio, & complexu Matrum ad cædem, & cruorem abstractos, Pueros partim gladio transfixos, partim ad turpitudinem raptos, Senes tum hominum, tum Equorum calcibus dilaceratos, Matronas prægnantes (o crudelitas inaudita!) divisas, & Fetus, ac semiviva corpuscula pari ictu morti traditos. Quid Tempa illa, illa inquam sacratissima, & ornatissima Tempa commemorem? ea omnia Turcharum fædissimæ gentes polluerunt, Sanctorum Statuas in frustra diviserunt, Imagines vero parietibus depictas, partim luto, partim stercore deturparunt. Vestibus sacris, cæterisque Templorum ornamentis, quibus sacra tegebantur mysteria, heu quibus verbis hæc perloquar! equos & canes, in opprobrium fidei nostræ, texerunt. Dicamne, an fiteam nefandissimum facinus? Dicam, etsi timidus, tremensque: super venerandissimam, ac sacratissimam B. Virginis imaginem, quam totus ille populus, præ cæteris omnibus, cum religione venerabatur, evulso prius argento, & auro, lapidibusque pretiosis, quibus refertissima erat, aliquandiu scelerati illi, ac vere Carnifices inciderunt, deinde pedibus eam conculcantes; sed non finit animus, ut hoc exprimamus; ad extremum securi in particulas divisam flammæ tradiderunt. Ipsas autem Christi Salvatoris nostri imagines, testudinibus Templorum musaico depictas, sagittis, & telis, ut quondam Judei lancea latus Domini, petebant, & quemadmodum illi olim, ita nunc isti: sinite, inquiebant, videamus si seipsum, quasi Deus, juvare possit. O *Quis dabit capiti meo aquam & oculis meis fontem lacrymarum, & plorabo cum Jeremia die, ac nocte interfectos populi. Sedet enim sola Jerem. Cap. Civitas plena populo, facta est quasi vidua Domina gentium, Princeps Provincia- 9. v. 9. vinciarum facta est sub tributo, nec est, qui consoletur eam ex omnibus caris ejus; omnes amici ejus spreverunt eam, & facti sunt ei inimici. Tan- Tben. ta est autem rabies infidelium, tanta dominandi libido, tantus extin- Cap. 1. guendæ fidei Christianæ ardor, ut nihil aliud Tyrannus ille cogitet, nil dies, noctesque moliat, nisi ut Pannonia superata, Italiam, cæterasque Provincias spurcissimæ sectæ suæ subiiciat. Et jam in Pannoniæ finibus, e duobus munitissimis oppidis, quæ in ipsis Danubii ripis, sola transitum hostis prohibere poterant, altero jam potitus est, alterum mirum in modum occupare desiderat. Nos vero, prohi dolor! cunctando, & præstolando negligimus. Hem Christiani Principes, & Reges; hem sacro baptismatis fonte renati, & Christi Salvatoris nomine insigniti, per quem Reges regnatis, & Domini dominamini, & universi populi salvamini; Vos, vos inquam, appellamus, pro quorum salute pretiosum sanguinem suum Salvator noster effudit. Insurgamus contra inimicos ejus, contra fidei hostes arma sumamus, non dubitemus pro eo etiam vitam exponere, arripiamus honestam mortem, ut ille Philosophus inquit, dum licet, ne paulo post mors quidem eveniat, non tamen cum pari decore. Quamquam enim magna, & ardua videtur, volentibus tamen nobis, facilis res erit eos aggredi, & superare; neque enim sua vel industria, vel virtute Infideles aucti sunt, sed inertia, desidia, negligentia, discordiâ nostrorum; ita ut paulatim devictis,*

vici-

vicinis, eorum tolerantia, qui ob privatas inimicitias eos perire sinebant, eo usque pestis ista serpuerit, ut & cæteros omnes sociis nudatos, subiugarit, & ad usque Pannoniæ fines accesserit, jamque de occiduarum partium periculo agatur. Resistamus igitur illis, & furibundum eorum impetum comprimamus, imo vero, quæ Græcis arrepta sunt, latino nomine, gloria, virtute, rei que militaris scientia recuperemus. Vestra illa erant, quæ amissa sunt, vester Principatus fuit; siquidem Principatus Romanus vester est, vobis iniuria facta est, imo vero Salvatori, & Domino nostro; contra ejus religionem Barbari, omni conatu, nituntur. Nomen Græcorum extinctum est, periit, nusquam est. De re latina nunc agitur. Pannonia tota in periculo est, contra eam omnes suas vires exercet hostis; scit enim, quod illa (quod Deus avertat) posita, magnus, latusque campus patebit ad totam Europam invadendam. Magna concipit animo, magna desiderat. Ne igitur, illis succumbentibus, de nobis postea agatur, succurramus. Satis tamen de nobis agitur, cum de Fratribus, de Fide nostra, de Religione agitur. Reprimamus, resistamus, iniurias Christi nomini, & nobis illatas, ipsa natura, divina, humanaque lege muniti ulciscamur, ne ultra ea Pestis serpat, provideamus. Per Samuelem Dominus præcepit Saul, ut Agag Amalecitem caperet, eo quod multas intulit Israeli iniurias, & ipsum, ac ipsius omnia, a Viro usque ad Mulierem, parvulum, atque lactentem, bovem, & ovem, camelum, & asinum interficeret. Quod mandatum cum Saul transgressus fuisset, Samuel ipse, missus a Deo, ut Agag propriis manibus, & Saul regnum sibi jam ablatum iri minatus est: *Scidit*, enim inquit, *Dominus regnum Israel a te hodie, & tradidit illud Proximo tuo meliori te*. Virum vero Dei, qui venit de Juda in sermone Domini in Bethel ad Jeroboam, quod contra præceptum Domini manducaverat panem, & biberat aquam, in illo loco, quamquam ab alio sene Propheta seductus fuerat, revertentem, pro pæna transgressionis divini mandati, Leo devoravit. In Gabaa, Levita quidam, quod concubina, Viri Civitatis illius Filii Belial, ita abusi fuissent, ut e vita discessisset, cadaver ejus in duodecim frustra divisum, duodecim Tribubus Israel transmisit, & ita illos per hunc modum ad ultionem inflammavit, ut quamquam his pejores in bello partes habuerunt, eo usque tamen perseveraverunt, quoad multa hominum millia interfecerunt, & ipsam Civitatem Gabaa, cunctas Urbes, & Vicos Benjamin voraci flamma consumpsere, omnesque reliquias Civitatis, a Viris usque ad jumenta gladio percusserunt. Romani, quod Legatos suos Tarentini injuriis affecissent, ita eos punierunt, ut fines fruendarum opum, quibus ad invidiam abundaverant, imponerent. Nos vero, non contempti mandati, non Legatorum, non Concubinæ injurias, sed Matronarum, sed Virginum, sed Sanctimonialium stupra, fornicationes, incestus, omne denique genus libidinis, cuius etiam meminisse turpe est, non execrabimur, non ulciscemur, non puniimus? Theodosius Christianissimus Princeps, cum Antiocheni, ob novi vestigalis impositionem, indignati Statuas.

1. Regum
Cap. 15.

3. Regum
Cap. 13.

Judi. Cap.
19.

tuas Placidia depositas per Civitatem traxissent, præter cædes Civium in ipsa seditione a regiis hominibus patratas, gravissimis eos puniendos censuit pænis, affecissetque, nisi religiosissima illa Lex Ambrosiana obstitisset, ob aliam contra Thessalonicenses ejusdem sævissimam ultionem, lata, quorum septem millia, nullo inter nocentes, innocenteque discrimine habito, interfici iussit. Nos vero ita segnes, & ignavi, ac vecordes erimus, ut imaginibus Sanctorum, Beatissima Dei Genitricis, & ipsius Salvatoris nostri conculcatis, cælis, derisus, sædatis, pollutis nullam pœnam, nullam ultionem de Hostibus sumemus? Omitto Xersem Persarum Regem, qui quod Legati noluissent, cum Terræ, Marisque Principem profiteri, ac Daciam terræ, & Cyathum aquæ, tributis gratia, solvere, coactis quinquagesies centenis millibus hominum, teste Herodoto, acriter eos, quamquam infelicitè, invasit. Prætereo Tamarlanum illum Scythem, qui, quod hujus impii Turchi Proavus verbis eum lacefferat, ætate nostra ingenti coacto milite Asiano, illum turpissime captum, trucidavit. Ad ea, quæ in dies fieri videmus, venio. Nemo est tam humilis, atque abiecti animi, qui contemptum suum æquo animo ferat. Subditus, Principis sui jussa transgressus est: gravissime punitur. Vicinæ vires ultra fines suos quicquam sibi ascivere: non modo Ærarium publicum, sed privatorum quoque hominum res exhauritur, dispergitur, consumitur, ut ultio de Hostibus sumatur. Quin etiam, laceffit Princeps quis a subdito, usque ad exitium eum persequitur; si a Tyranno, vel Populo libero: omnes fortunas suas, omnem statum, se denique ipsum in discrimine ponit, ut illatam sibi injuriolam ulciscatur. Nos pro Christo, proque injuriis ei ab Infidelibus & verbo, & re multifariam illatis, non movebimur, non flagrabimus ardore, non nostras, subditorumque nostrorum fortunas exponemus; non omnia, potiusquam Hostes cæde, malisque nostris debacchantes, patiemur? At Majores nostri, pro Parentibus, non modo fortunas suas omnes, sed sanguinem, sed ipsam vitam exposuerunt. Meminisse libeat Fratrum illorum, qui Patrem, & Matrem humeris suis per medios Ætneos ignes portaverunt. Non prætereant nos Aod, qui suo manifesto periculo, ut servitutem a Filiis Israel auferret, Eglon Regem Moab, solus in laribus ejus, omnibus suis stipatum, occidere ausus est. Non Jephthe Filia, quæ Patri dolenti, quod prima ei occurrerat post partam ab hostibus victoriam, redeunti: quandoquidem voverat primum, qui e foribus Domus suæ egressus ei obviam procederet, holocaustum se Domino oblaturum; minime quidem expavit, neque hominem deprecata est, sed magno animo, & Patrem, ut pietatem Deo servaret, hortata est, & seipsam Patri obtulit ultro. Quid vero Judith alia Mulier contra Holophernem: quid elegantissimus Juvenis Mutius Scevola, contra Porcenam fecerint, nemo est qui ignoret. Quæ ideo legimus, ideo meminimus, ideo admiramur, ut imitemur, & eadem, cum opus sit, faciamus. Si Codrus, si Curtius, hic ne vasto hiatu Urbis Roma subideret, præcipitem si in illud profundum egit, ille ne Athenæ hostili

*Judic.
Cap. 3.*

*Judic.
Cap. 11.*

*Judic.
Cap. 13.*

stili impetu succumberent, hostibus se obiecit, ac unum ex iis falce percussum, in eadem suam compulit; si Brutus, Cassius, Postumius, Mamilius, filios pro Reipublicæ libertate occiderunt; Camillus mala Patriæ in se transferri precatus est; Horatius Sororem suam, quod Maritum hostem Reipublicæ a se superatum, plangeret, occidit; si Zopirum Vir præstantissimus, & a regia stirpe Persarum, ut Babylonem in Darii potestatem redigeret, tot atrocissimis, acerbissimisque vulneribus sese laceravit, ut Darius, quamquam propterea Babylone potitus fuisset, dixerit tamen maluisse se Zopirum illesum, quam Babylonem expugnatam; quid est quod nos homines Christiani, quibus major, certior, veriorque spes futurorum, quam Gentilibus reposita est, haud levibus ex causis, sed pro libertate, pro salute totius populi Christiani, pro Dei honore, pro fidei ampliatione, non dicam Filios, neque nos ipsos, ut illi fecerunt; nec enim tantæ sunt Hostium vires, ut hæc omnia sint ad eorum interitum necessaria; sed fortunarum, sed rerum nostrarum vel aliquam partem, non conferamus, non concedamus, ut per nos ipsos Serenissimi Principes, communi consensu, & ductu Pontificis Maximi, milite vel proprio cujusque, vel alieno, atque inimicis vicino, sub Vexillis, & Ducibus, & propriis, prout magis Reipublicæ utile fore videbitis, conducto, amissa recuperemus, servitutem discutiamus, libertatem vendicemus, & iis, qui eam amiserunt, restituamus? Nec enim hoc insolens, neque novum est, non a nobis inchoandum, nec a nobis finiendum, pecuniam, ac fortunas ad tale peragendum bellum suppeditare; cum non modo bellorum tam necessariorum gratia, sed etiam ad ornatum Templorum, & Sacrarum rerum, & ad sustentationem Pauperum multi sæpe liberalissime contulerint, vosque in dies magnifice conferatis. Non enim & pilos Caprarum, & pelles Arietum, cæteraque viliora tantum, sed argentum etiam, & aurum, & quæ preciosa sunt offerri ad ornatum Sacerdotalem, & Templi, ac sibi primicias tolli, in Libro Exodi, mandavit Dominus. Hierusalem a Caldeis capta, igneque incensa, reliqua Judæorum multitudo, ut apud Baruch legitur, pecuniam, secundum quod potuit uniuscujusque manus, collegerunt, eamque in Hierusalem ad Joachim filium Helciz miserunt. Quoque *Vir fortissimus Judas facta collatione duodecim millia drachmas argenti misit Hierosolimam*. Paulus vero Apostolus de Collectis, ut apud Galatiæ Ecclesias ordinaverat, in Hierusalem perferendis, ita & Corinthios, ut facerent, admonuit. Sed quid nostros commemoramus? Nonne exteri quoque idem fecerunt? Quid Publicanis avarius? hi tamen cum secundo bello Punico Romanæ Urbis Ærarium exhaustum foret, Censores hortati sunt, ut omnia sic locarent, tanquam Respublica abundaret, seque præstituros cuncta, nec ullum assem, nisi bello confecto, petituos polliciti sunt. Qui magis ornatui incumbunt quam Mulieres, & Pueri? Illæ tamen, quicquid auri, & argenti habebant; Pueri etiam insignia ingenuitatis, ad sustentandam temporis difficultatem contulerunt. Nec Punicis similis Feminarum defuit virtus, quæ

Exod.
Cap. 25.

2. Machab.
Cap. 12.

1. ad Cor.
Cap. 16.

quæ præter hæc ; cum obsidione Carthago premeretur ; nec haberetur unde funes ad Machinas necessarii componerentur, abscissos capillos huic necessitati contulerunt ; verum enim ornatum, & verum decorem, non argentum, & aurum, non capillos, & crines, ac fucum, sed libertatem extimabant. Fabiumque maximum scimus, pro captivis redimendis fundum suum vendidisse. Hæc si nunquam ab aliis ante nos acta fuissent, nos exemplo cæteris esse deberemus ; nunc vero tot exempla ante oculos habeatis, non imitabimur ? Imitabimur profecto ; virtus enim, & religio in nobis certe major est, majora pericula imminet. Tam Ecclesiastici, quam ~~Seculares~~ Christianissimi, piissimique Principes, de vestris pauca offeretis, sequetur Populus Christianus, omnis ætatis, dignitatis, conditionis. Magna a Salvatore nostro simul omnes adepti sumus beneficia, magna ei debemus, omnia sua sunt, partem ei aliquam, & quidem minimam, de suo si præstabimus, imo vero si pro salute nostra conferremus, satis, superque huic nostræ necessitati faciemus. Tantum enim, ex minima tanti populi Christiani collatione, conduceatis militem, Piissimi Principes, ut facile victoriam de inimicis, cum magna vestri nominis gloria, reportare possitis. Pudet duntaxat cogitare, quæ, qualisve Gens, quam vilis, quam fæda, quam sordida contra Christianum populum sapientissimum, nobilissimum, potentissimum debachatur. Etsi enim multas Civitates, atque Provincias earum desidia, atque discordia occuparunt, tantæ tamen adhuc, Christi gratia, vires sunt ; tot potentissimorum Regum Occidentis, tot Principum, ac Populorum Christianorum, ut non modo omnes simul, verum etiam una pars, major illis sit populo, fortior, ditior. Omnis profecto hostium exercitus octoginta millium bellatorum numerum non excedit, & eorum quidem partim levis, partim nullius armaturæ. Cæteri si qui sunt, sunt autem quando majorem exercitum cogere possunt, vix centum millium, omnes pedites, nudi, inermes, sine stipendio publico, absque omnibus opibus propriis, præda duntaxat, & incursionibus viventes, nullum ordinem adstricti servare, non coacti Principis incumbere custodiæ, nullis denique legibus subiecti, quorum arbitrio est, & manere, & fugere, & quorum neque mors, neque vita Duci curæ est. Hos igitur metuemus ? hos fugiemus ? hos imperare nobis permittemus ? Memiserum ! Italia sola, nec illa tota, non jam prisca temporibus, & a memoria nostra remotis, sed heri, ut ita dixerim, aut nudius tertius, magnis sumptibus, & gravissimis stipendiis, non quidem brevi tempore, sed triennio, quadriennio, supra sexaginta militum millia & armis, & scientiæ rei militaris, & fortitudine, & robore præstantissimorum, omnique machinarum genere fortissimorum contra se invicem sustentabat, qui non modo Europa, sed tota Asia hanc immanissimam belluam repulissent, & Dominicum usque sepulchrum libere penetrassent. Si res fieri non posset, si vires Christianorum excederet, non esset cur dolendum, cur ægre ferendum videretur. Verum cum facilis, cum volentibus Christianis, nullius fere momenti sit, hoc profecto indigne ferendum, hoc vitio-

tribuendum est. O utinam Deus, vel aliquis Orator, vel gloriæ cupiditas alicui Christianorum Regum, aut Principum persuasisset, ut hanc gerendi belli hujus provinciam sumeret, certe victoria in manus Christianorum foret. Si numerum Militum nostrorum, quos cogere possunt Fideles, si volunt, exercitui Hostium comparemus, ille profecto minor est; si virtutem, industriam, rei militaris scientiam, quidni nostri antecellant; si fortunas fortunis, felicitatem miseriæ comparabimus. Præter enim Tyrannum illum, qui omnes deprædatur, omnes spoliatur, & suos etiam, confectis criminibus, ut pecuniam contra nos conflet, persequitur, & præter alios quam paucissimos, cæteri omnes pauperes, egeni, inopes, vix degunt. Cur ergo cunctamur? cur differimus talem hominem aggredi, vel potius talem Belluam invadere? Equidem facilius sperarem quicquid ille Europæ occupat recuperare, quam minimam alicujus Christiani Principis Provinciam, vel munitam Urbem velle subigere. Tantum interest inter potentiam, & strenuitatem vestram Serenissimi, & Christianissimi Principes, (vos enim sæpius partim absentes, partim præsentibus alloquor) atque illorum ignaviam, inermen, & effeminatam multitudinem. Sed quid est, quod quasi semper vincunt? Inquies. Perseverantia, audacia, temeritas illorum hoc facit; nostra vero negligentia, & nescio quo modo hoc honestius possum: dicere tollerantia. Præterea illi quidem fugientes persequuntur. Nullum prælium quinquaginta jam annis cominus gessere, nullus eis restitit. Quid igitur mirum si fugientes insequuntur? Quod si aliquando eis restiterunt, aut vicerunt, aut non fuerunt victi, aut minime incruentam victoriam illis reliquerunt. Magnanimus juvenis Ladislaus Hungarorum Rex piissimus, cum quatuordecim millibus, equitum, nam qui plus asserunt, non excedunt decem, & octo millia; & aperto bello universæ Turcarum potentie se opposuit, & atroci prælio commisso, superavit, vicit, profligavit, immanissimum illum Tyrannum in fugam vertit. Et nisi gloriæ cupiditate supra modum accensus, prætermisso Ducis officio, militem exercuisset, & in medios hostes prolapsus occidisset, profecto Europæ pars occupata, jam multos ante annos Christianorum esset, nec in præsentia sermo de Turcis haberetur. Quid strenuissimum illum, ac sapientissimum Ducem commemorem Joannem Vaivodam, cujus memoria nobis quoque suavissima est? quotiens cum parva manu, magnum Turcarum numerum contrivit, prostravit, fugavit. Quot ab eis reportavit triumphos? Quid proximis annis? Nonne exiguus Crucesignatorum numerus, miles tumultuarius, ac pene inermis Turci copias eo præsentibus, in munitissimo Belgradi oppido, dirutis, atque prostratis, vi machinarum, manibus, Turcisque jam intra oppidum strictis gladiis discurrentibus, vicerunt, profligarunt, fugarunt, magna hominum multitudine cæsa, & ipso Imperatore graviter vulnerato, tandemque Oppidum receperunt, & omnibus simul impedimentis hostium sunt potiti? Hæc virtus nostrorum; hæc est fortitudo hostium. Dum resistimus, superantur, dum tolleramus, facile persequuntur fugientes. Quod si hac negligentia, & tollerantia de-

posita.

posita, animum sumptimus, si vires christianas contra hostes exercere voluerimus, omnes eorum profecto, Deo propitio, conteremus vires. Si eum ardore fidei, & religionis nostræ induerimus, quo Summus Pontifex, Princeps noster, nostrorum omnium caput, fidei Doctor, Magister, & Defensor, tenetur, & flagrat; qui divinitus nobis in verum, unicum, & universalem Pastorem datus, mox in sublime fastigium hujus dignitatis evectus, contemptis otio, & deliciis, omissis omnibus, quæ novi Principes pro tuitione, & confirmatione Status sui cogitare, & agere consueverunt, adversa valetudine superata, huc se, hujus rei gratia, multis, maximisque cum incommodis contulit; si ejus salutaribus monitis paruerimus; si jejuniis, fletu, & emendatione vitæ, gratiam Dei meruerimus impetrare, & preces effuderimus; non instar Persei, qui e prælio fugiens sacrificabat, sed Pauli Emilii, qui hastam vibrans, & manum cum hoste conferens victoriam precabatur, Deum invocabat, hisque rebus muniti, hostes nostros aggrediemur, sentietis profecto quam turpe, & indecorum fuerit tanto tempore, ignavos, & vilissimos homines malis nostris, ac nostra cæde debacchari potuisse; quam facile sit eos, non e finibus nostris, non Europa tantum, sed tota Asia fugare, exterminare, proicere. Nulla me dubitatio tenet, quod si antequam ad hanc calamitatem illæ Christianorum Provinciæ pervenissent, hoc omnino futurum intellexissetis, omnem conatum, ne eveniret, omnem operam, omne denique studium impendissetis. Quæ ergo, ne evenirent prohibuissetis, hæc facta tollerabitis, cum recuperare possitis, vel ut similia fiant patiemini? Imo vero non potius omnia tollerabitis, omnia patiemini, quam ut rursus cogamini miseriarum, ac malorum vestrorum pænitere? Eja igitur Serenissimi Reges, Potentissimi Principes, Christianissimi Populi aggrediamur, aggrediamur hanc rem adeo sanctam, ac necessariam magno, ac forti animo, non rebus, non personis, non opibus, non vitæ parcentes, spe in Deum, fiducia in salvatorem nostrum muniti, quod ipse nobis victoriam præstabit, ipse hostes nostros confringeret, qui Goliath spurium Philisteum inauditæ magnitudinis, fortitudinis, ac roboris hominem, armis undique, ut Scriptura refert, communitum, per David adolescentem rufum, & pulchrum aspectu, nullis munitum armis, baculo tantum, lapidibus, & funda oppressit, confregit, interemit; qui per Gedeon cum trecentis tantummodo Militibus, multa millia hominum, & castra Madian fugavit, fudit, pro-

1. Regum Cap. 17.
Judi. Cap. 7.
Ibi. Cap. 4.
Isaie Cap. 37.

fligavit; qui per Deborah mulierem decem millibus hominum universam Sifaræ multitudinem gladio interimendam tradidit; qui centum octoginta quinque millia hominum Assyriorum, Ezechiae precibus per Angelum suum, una nocte, percussit; qui Machabeos fortissimos Viros pro lege Dei parva manu, sed ingenti animo contra potentissimos Alexandri Magni Successores, post multa, ac varia prælia, tandem victores effecit; ille, inquam vobis, Christianissimi Principes, hanc ultionem, ille vobis hanc gloriam, hanc victoriam de sædissimis hostibus reservavit; ille procul dubio concedet, pro cujus sacratissimo nomine hæc aguntur.

E P I S T O L A

AD REVERENDISSIMUM D.

CARDINALEM NICENSEM (a)

Legatum Venetorum Apostolicum pro Cruciata.

MAURI MONACHI S. MATTHIÆ SUI SERVULI IN CHRISTO.

D. Bessarionem Patria Constantinop. in Monast. S. Georgii commorantem (b).

REVERENDISSIME, ac piissime, & sapientissime in Christo Pater, ac Domine. Nobis, & omnibus, singularissime ex vestris amplis virtutibus, ut est publica, & antiqua fama, ut omnibus vestra gratissima, nec non pulcherrima præsentia demonstrat, sed magis ex operibus quotidie ampliatur, ipsa vestra laudabilis fama, ut nostra parvitas, & multi aliorum jam experti sunt, in isto vestro utilissimo adventu, unde jam multa bona processerunt, atque processura sunt, per gratiam nostri Salvatoris Jesu Christi Domini nostri, & orationibus suæ Genitricis Sanctissimæ, & omnium supernorum Civium, atque piarum supplicationum assiduarum vestrarum altissimo Domino, nec non omnium bonorum Religiosorum, & Christianorum. Unde humiliter nos vestri Servuli in Christo, instantissime obsecramus vestram clementiam, ut inter vestras ipsas sedulas, lacrymabilesque preces adnumerare nos dignemini saltem aliquando; ut nos peccatores, ex reciproca charitate, idem faciamus, & facimus. Audivimus enim semper multa bona, ac dona Domini nostri Jesu Christi præcipua esse largita in vestra Reverendissima Paternitate, sed ista, compendiose ad minus, non sunt tacenda; scilicet scientiam, sapientiamque sibi conjunctam cum fide Orthodoxa, nec non Romanæ Ecclesiæ, & Monasticæ vitæ honorem, (c) atque observatio-

(a) Falso nonnullos Bessarionem Patria Constantinopolitanum credidisse, jam præmonimus alibi; falso pariter alios ipsum ortu fuisse Nicenum putasse, hic ducimus opportune monendum. Dignitate quidem, quam primo obtinuit, non ortu, dicebatur Cardinalis Nicenus; ex eo nempe quod Joannes Paleologus, Clarissimum hunc, sibi-que pergratum Virum in regia sua Aula versantem, & ad Florentinam Synodum mox secum ducendum, ut cum Marco Ephesi, & Dionysio Sardinum Episcopis, Græcorum partes pro virili tueretur, Urbis Nicæ, quæ tunc temporis jam Turcis suberat, Metropolitam, titulo tenus, renunciavit.

(b) Semel saltem, & iterum Bessarionem Venetiis fuisse, testis est Platina, & alii; primo quidem cum Germaniæ Principes inter sese dissidentes, compositurus, si Diis placuisset, adire, Apostolicus Legatus, deberet; iterum vero hoc anno 1463. a Pio Papa II. cum pari potestate ad Venetos delegatus; quæ vice apud Cassinenses Monachos, in percelebri S. Georgii, vulgo Majoris, Canobio, domicilium delegit. At Venetiis diem suum clausisse supremum, ut scribit Le quien, abludit a vero; cum certum omnino sit, ipsum e Gallica legatione redeuntem, & ex sibi per Regem illata, ut ajunt, injuria mærore confectum, Ravennæ decessisse.

(c) Quod ordini S. Basilii nomen dederit, cumque Basilii in Baptismate appellatus

vationem. De vestra vero gloriosa prosapia (a), ac elegantia, pulchritudine quoque personæ, quis explicare valebit? De subtilitate ingenii, tam in naturalibus, quam in accidentalibus, in universis scientiis, atque variis linguis, non sunt tantum nota doctissimis Viris, sed & omnibus Nationibus. Ergo quis capax tantorum donorum vestrorum esse poterit? De vestro autem regimine Romæ, Bononiæ, & hic, & ubique, ostendunt me non esse mendacem, aut adulatorem, sed operum Altissimi, in suis præcipue creaturis, laudatorem. Sed parvus, insciusque exquisita, & profunda, digne extollere, ut decet, non sufficit, sed balbutiendo, tu valet, aliquid dicit. De vestra lamentabili Epistola, quam audiui, de vestra regali, imperialique Patria, quam digna sit, ipsamet clamat. Quid dicant multi, quam in genere, quam in speciali de multis Prælatiis, & de Romana Curia, vel Ecclesia, & etiam scripserint, ut scire potestis; & quamvis cooperiantur, & defendantur utcumque per optimos Viros, melius fieret, si esset reparatio. Sed vestra Rev. Paternitas, quæ est una ex singularissimis columnis prælibatæ Ecclesiæ Sanctæ, potestis multa sapienter recordare, atque arguere, & per universum orbem vestris præcipuis Epistolis scribere, singulariter per totam Christianitatem, ut aliqua reparatio sit in tantis murmurationibus Magnatorum, & omnium, & singulariter contra istum diabolicum Turcum, ne absorbeat populum, Christi sanguine redemptum; & hoc ex nostris peccatis, invidiæ, divisionum, pomparum, ambitionum, inobedientiæ, infidelitatis, avaritiæ, superbiæ, & omnium vitiorum. Quod absit; ne propter hoc incidamus in manus istius maledicti, & crudelissimi, cum nostris Filiis, ne sic perfidia Macometi augeatur, Antichristi scilicet, ut videtur, & non est qui doleat, aut provideat, ut convenit, contra suam tantam potentiam. Beati ergo illi, qui cavent a peccatis, & stant in fide vera, jam dictæ S. Ecclesiæ, & faciunt quod possunt in omnibus, & singulis necessariis circa istam tam periculosam causam. Sed veh! veh! qui contrariantur tanto bono, & perseverant in peccato mortali. Nunc vero quid sit agendum Vestræ Rev. Paternitati, cum isto felicissimo Dominio, nihil dicendum est meæ gratuitati, nec etiam recommendare, quia hoc officium Magnorum Dominorum est, & etiam D. Noster Summus Pontifex non misisset Vest. Pater. Rev. nisi esset cordialissimus Pater ipsorum, ut ex operibus manifestum lucet omnibus. Singularissime, Pater Patrum, & Domine, multas gratias agimus non solum Vest. Dominationi, & dicimus, sed etiam multis Nobilibus, quia non molestatis nostras parvitates, de illo Monacho, in aliquibus dico præcipuis, sed potius credidistis, & exaudistis nos, & Intercessores nostros,

tus fuisset, Bessarionis nomen, Cucullum induens, assumpserit, devotionis causa erga Sanctum Bessarionem, suæ Civitatis Patronum, cujus & vitam Græce conscripsit, costans est omnium sententia; imo viginti annos in Monasterio exegisse, refert ex aliis, Michael noster Le quien.

(a) Ex nobilibus Bessarionem fuisse progenitum, asserit Niceronius. Parentibus neque regia affinitate claris, ut inepte fabulantes scribere nonnulli, neque nobilibus ortum, contendit Papadopolus. Neuter vero aut testes adhibet, aut monumento aliquo sententiam suam firmat. Hinc lis ista adhuc iudicium expectat.

stros, quam ipsum, vel suos. Et bene intelligimus quia poteratis non tantum præcipere nobis, sed solummodo sic: *volo*; & nolulistis ex vestra innata iustitia, atque clementia. Unde multum obligamur pro semper P. V., sed multum dolemus, quia non potuimus bono modo Vest. Domina. Rev. exaudire sine periculo animarum nostrarum, & hujus Monasterii detrimento; quia si vere penitentia ductus, esset, libenter illum reciperemus, ex debito charitatis, & hoc possunt prudentes agnoscere ex suis verbis, & operibus manifestis; quia omnia mala, & scandala, quæ fecit, & plura mendaciter ordinavit, non agnoscens suam præsumptionem, & insufficientiam ad tantum beneficium regendum, ante tantos, ac tales Patres Nostri Ordinis digniores, non tantum electum, sed etiam alios eligendos, & non, ut ipse, quærendo, & procurando incanonice, sed cordialiter recusando. Benedictus Deus, qui superbos humiliat, & exaltat humiles. Non fecit ergo ipse ut Pat. Vest. & Dominatio Rev., quæ Papatum non curavit, electus, (*) neque scandalum iuste, vel injuste fecistis existere, ad hoc sufficientissimus. Ita faciunt omnes boni, & sapientes Viri; ergo benedicentur a Domino. Dominus conservet semper Vestram præstantissimam Dominationem. 1463. die 22. Novembris.

P. F. RE-

(*) Insignem, quam Bessarion prætulit animi moderationem, his verbis merito celebrat, cum Pontifex pene renunciatus, Pontificatu excidit. In varias, hoc enarrantes, abiit Scriptores sententias, alii id Æmulorum invidia tribuentes, alii Cubicularii sui rusticæ sedulitati. At facile componi poterunt, si cum Boernerio, post Platinam advertatur, bis Pontificatui consequendo proximum fuisse Bessarionem. Primo quidem, cum Nicolao V. viam universæ carnis ingresso, Comitibus pro successore deligendo haberentur; at tunc obstitit Alani Cardinalis Avenionensis præaltus clamor, in Romanæ Ecclesiæ opprobrium cedere distitantis, si ipsi Græcus Pontifex, intonsus præficeretur; ac si dignus Pontificatu, vir inter Latinos minime reperiretur, unde ad Græcos confugere necesse esset. Secundo vero id accidit, vita functo Paulo II., at cur nec tunc quidem tanta fuerit dignitate potitus, non plane convenit. Gregorius siquidem Gyraldus, & alii referunt Latinum Cardinalem Ursinum eum rogasse, ut sibi privilegia quædam se confirmaturum sponderet; cui cum Bessarion minime pro votis respondisset, indignatus ille Franciscum Cardinalem de Ruvere adiit, qui eo procurante ex Pontifex fuit renunciatus. Jovius autem, & alii enarrant, quod cum tres, præstantioribus Purpuratis Bessarionem adiissent, ut eum Pontificem salutarent, ipsum conveniendi facultatem non fecit Nicolaus Perottus Cubicularius, dicens: in studiis occupato Viro tunc esse parcendum; quod illi indigne ferentes, Franciscum de Ruverem collectis suffragiis, Pontificem designarunt. Unde Bessarion dixisse Perotto referunt: Hæc tua intempestiva sedulitas & Tiaram mihi, & tibi Galerum eripuit.

P. F. REGINALDI PANIGHETTI

ORDINIS PRÆDIGATORUM

AD CAROLUM VI ROMANORUM IMPERATOREM

EPISTOLA EXHORTATORIA AD BELLUM.

P R Æ F A T I O.

RECENTIS profecto nimium ævi monumentum exhibeo, cum præmissæ Cardinalis Niceni Epistolæ, & Orationi, aliam nullo medio Epistolam adnecto, ad Carolum VI. Imperatorem datam, a R. P. F. Reginaldo Panighetti, Ordinis nostri, ac nostræ Congregationis Alumno, paucis ab hinc annis, in bocce SS. Rosarii Venetiarum Collegio, vita functo. At omnimoda argumenti similitudo, facile, ut puto, ab ingenuo Lectore, veniam impetratura, consilium iniecit. Immitis Turcarum Gens anno 1715. Peloponesiacum Regnum, quod Veneto tunc temporis parebat Imperio, ingenti Navium constructa classe, & plurimo comparato terrestri milite, inopinato, & dolose occupaverat. Tam fari hostis, cum impetum sustinere, aut sola frangere posse diffideret Venetorum Respublica, Cæsaris auxilium, jure fœderis, quo ipsi obstrictus erat, enixe poscebat. Cunctantem nihilominus Carolum, & ancipiti adhuc hærentem consilio, pluribus perurgebat Petrus Grimanus, tunc ad ipsum Legatus, postea Dux noster, quas, Patri illius Leopoldo Cæsari, pari in discrimine constituto, suppetias tulissent, nec sumptibus Veneti parcentes, nec sanguini, in memoriam revocans, quidve periculi tum Imperio, tum Christiano Orbi, devictis semel Venetis, immineret, multiplici, eoque ineluctabili, argumento significans. Quod igitur per Legatum suum obtinere a Cæsare nitebatur Senatus, supplex petiit per Epistolam, cujus Apographum inter schedas nostras opportune reperimus, Pater Reginaldus, nedum Reipublicæ Optimaribus in primis carus, verum & in externorum Principum Aulis notissimus. Plura de hoc, morum integritate, rerum peritia, & singulari in peragendis dexteritate, insigni Viro, habet in Commentario Historico de Rebus Congregationis B. Jacobi Salomonii Capite XXX. Cl. Pater Bernardus de Rubeis. Nobis au-

O o tem

Anecdota Tom. I.

tem id satis erit, hoc, minimum licet, tanti Viri fatum a certo interitu, quem alia ejusdem lucubrationes jam subiere, edendo vindicasse.



INVI-

INVICTISSIME CÆSAR.

LOQUAR ad Dominum meum, cum sim pulvis, & cinis; sed obsecro Gen. 18.
ne irascaris; quia hic est sermo, quem præcepit Dominus. Verbum Dei Exod. 16.
habeo ad te, Imperator, & licet reluctans animus ægre sustineat jussio- Ibi. Cap. 3.
nem, uti jam Moyses a divino Imperio se subtrahere conabatur, atta-
men, demisso in terram capite, Regis Regum mandata adimplenda cen-
seo. Pro Christo ergo legatione fungimur, nec desiderantur literæ creden- 2. ad Cor.
tiales; quia hæc tuis oculis subiiciet meus calamus, quæ cordi tuo infe- Cap. 5.
ret vox Domini confringentis cedros. Cælestium Animalium imitere for- Psal. 28.
mam, quæ cum fieret vox supra firmamentum, stabant, & submittebant Ezech. 1.
alas suas. Demittens ergo ad terram alas Imperii tui, sta super pedes Ibi. Cap. 2.
tuos; licet enim caput aureum toti Orbi terrorem, & venerationem
incutiat, pedes tamen lutosi, te non extrahunt a pulvere ex quo com- Ex Daniel.
pacta, & in quem resolvuntur Imperia Mundi. Hæc igitur vox Domi- Cap. 2.
ni in virtute, tibi intonat ad intima cordis: accingere gladio tuo super Psal. 44.
femur tuum potentissime, gladio, quem militanti Sponsæ Christi ad mu-
nimen consecrasti, femur, quod jurejurando devinxisti. En Mater tua,
en Sponsa Christi, quæ minis, terroribus, & cladibus Hostium crucis,
concussa, induta sacco, obsecrationis verbis Esther, tuam clementiam
interpellat: dona mihi animam meam, pro qua rogo, & populum meum, Esth. Cap.
pro quo obsecro, traditi enim sumus ego, & populus meus, ut conteramur, 7.
jugulemur, & pereamus. Et quis ad ejulatum Matris non erudietur?
Felix vox illa fuit, quæ Filium in Patriam furem, armis nudavit,
sed felicior vox illa erit, quæ Filium ad arma ruere compellat in Ma-
tris tutelam. Vox Filie Syon intermorientis, expandentisque manus suas, Jerem. 4.
non audietur, non exaudietur a clementia tua? Populus Ægypti in an-
gustias reductus, ad conspectum reparationis suæ, sese projecit lacry-
mabili voce proclamans: cur ergo moriemur te vidente; quasi incompre- Gen. 47.
hensibile foret amantium sub oculis morti succumbere. Et nobis ad
aspectum humanissimi, clementissimi, potentissimi Principis, non fas
erit inenarrabilibus gemitibus voces attollere: cur moriemur te vidente,
vix non dixerim (aufui parce) te jubente, te volente. Eja invictis-
sime Cæsar: apprehende arma, & scutum, & exurge in adiutorium populo Psal. 34.
Dei. Introat in conspectu tuo gemitus compeditorum, & eos qui trahuntur
ad interitum liberare ne cesses; tibi enim subest, cum volueris, posse. Psal. 78.
Si dixeris: vires non suppetunt; qui inspector est cordis intelligit, & scru-
tatorem animæ tuæ nihil fallit, reddetque tibi juxta opera tua. Ne fidas
Consiliariis tuis, qui forte se, non te, quærent in consiliis suis. Domi- Psal. 32.
nus enim dissipat consilia gentium, reprobatur cogitationes populorum, & re-
probat consilia Principum; ut innotescat omnibus, quod per oraculum
protestatur: meum est consilium, & equitas, mea est prudentia, mea est Proverb. 8.

- fortitudo, per me Principes imperant. Non æqua lance excipiat cor tuum extremum fidei periculum, & suspectum in ditiones tentamentum; quia causam Dei agens, exercituum Deum habebis conservatorem, propugnatorem, vindicem. Sin autem prædominetur consilium hominum; vhe tibi!*
- Isaie 30. bi! comminante oraculo: Vae Filiis desertores, ut faceretis consilium, & non ex me, & ordiremini telam, & non per spiritum meum. Quid enim*
- Ibi. 38. supereſt orditui, niſi pavere falcem præcidentem? dum adhuc ordireſ ſuc-*
cidit me. Memento Auguſtiſſime Cæſar eximie pietatis Machabeorum,
- 1. Machab. 4. qui ut viderunt ſanctificationem deſertam, & altare profanatum, ſciderunt veſtimenta ſua, & planxerunt planctu magno, & impoſuerunt cinerem ſuper capita ſua, & ceciderunt in faciem ſuper terram. Tu autem ſiccis oculis conſpicias Infidelium ritibus polluta, non unum, ſed innumera Al-*
taria, non Animalium, ſed vivifico Chriſti ſanguine madentia? Memen-
to, quia tibi imputabitur ſi perierint Nationes, quæ crucis vexillum præferunt, ſi Tempſa in Caulas convertentur, ſi Altaria impiorum ri-
tibus contaminabuntur, ſi Reliquiæ Sanctorum diſpergentur, ut pulvis
- Pſal. 1. ante faciem terræ, ſi denique Sanctum Sanctorum canibus proicietur.*
- Ad Rom. 10. Memento, quia modo, qui dives eſt in omnes, qui invocant illum, in-*
vocat te, ut auxiliſ ſuæ; ideo namque ad apicem Imperii te evexit, ut crucis trophæum cunctis Regibus adorandum terra, ma-
rique protenderes. Invocat te, qui dedit tibi vitam, & inſpirationem,
- 1. Paral. 17. & omnia; qui ſuſcitabit ſemen tuum poſt te, & firmabit regnum & ſtabi-*
liet thronum uſque in ſempiternum. Sin autem obumbraveris cor tuum,
- 17. ut non exaudias vocem Domini, quid ſperandum? quid timendum? Hæc*
- Matth. 6. recolens in corde tuo, intra in cubiculum tuum, claude oſtium tuum*
ſuper te, non ſit tibi alius Conſiliarius, niſi pietas tua, & Patrum tuo-
rum; in his ſta, in his delibera. Meque Majeſtati tuæ Auguſtiſſimæ to-
to ſpiritu provolutum iis adice veris Servis tuis, qui tibi non placentia
loquuntur, ſed vera, qui tibi non prurientes auribus, ſed in ſpiritu, &
veritate extremum agunt fidei, & Imperii negotium, Dei ſcilicet, &
tuum.

F. Reginaldus Maria Panighetti
 Ordinis Prædicatorum.

JO. MICHAELIS ALBERTI

DE CARRARA

ORATIO, ET CARMEN.

P R Æ F A T I O.

QUÆ publicam, nunc primò, lucem aspiciunt, Oratio in Ludovici Donati commendationem, cum ad nuper sibi desponsatam Bergomensẽ Ecclesiã accederet, pronunciata; & Carmen, de bello per Jacobum Antonium Marcellum in Italia gesto, Parentem habuere Joannem Michaelem Albertum de Carraria, Virum in Humanioribus, Philosophicis, & Medicis disciplinis, adeo, prout ætas illa ferebat, versatum, ut nemini primatum concedere videretur. Filius is erat Guidonis Carrariensis Medici, eo Ævo, celeberrimi, qui vitam cum morte die 9. Januarii. 1457. commutans, quatuor Filios artis Medicæ aque peritos reliquit superstites; Franciscum nempe, Jo. Michaelem Albertum, Joannem Paulum, & Joannem Matthæum. Sæculo Christi quintodecimo floruisse Jo. Michaelem Albertum, & eo labente, anno, scilicet 1490. obiisse, pari consensu tradunt omnes; circa emortualem tantummodo diem dissidentes, dum alii diem signant 26. Octobris, cum Calvio; alii diem 27. ut in Dissertat. Vossian. Apostolus Zenus, alii tandem occubuisse dicunt Mensæ Septembri, E. Jacobum Philippum Foresti, in suo Chroniconum Supplemento, securi. Ex eo quod, in adventu novi Præsulis, selectus fuerit præ cæteris, ut communi Canoniconum nomine verba faceret, facile quispiam in eam posset abire sententiam, quod sacris initiatus, aut Ecclesiæ ministerio addictus esset; quod abludit a vero. Medicinam enim, summa cum laude professus, nobilem Uxorem duxerat, qua præmorta, aliam parvis nobilitatis Feminam sibi iterum matrimonii vinculo copulavit. Ea igitur duntaxat de causa, munus illud ei demandavit Canoniconum Collegium, quod Vir ingenii acumine, & felicitate memoriæ nemini in Patria secundus, imo omnium eloquentissimus ea tempestate haberetur. Viam tandem universæ carnis ingressus ætatis suæ anno quinquagesimo secundo, ut habet Cl. Zenus, plura reliquit ingenii sui monumenta, quæ illum, nedum Philosophiæ, rei Medicæ, & Arti Oratoriæ dedisse operam, verum & in Historiis versatum, & amantioribus Musis amicum,

omni-

omnigena tandem eruditione fuisse refertum, satis evincunt, superque. Plura quidem, etsi non omnia, ejusdem Opera recensent, prœlaudati Philippus Foresti, & Apostolus Zenus, citatis locis; & urinam bis saltem, quorum vix argumenta, ipsi nobis servarunt, frui Eruditis Viris liceret; at vel delitescunt, vel perire, nonnullis exceptis, non sine luctuaria Reipublicæ indignatione, ac detrimento. Superstes adhuc erat, paucis ab hinc annis, Italiae Historia, quadraginta libris comprehensa, at hæc quoque, quo malo fato nescimus, novissime periit, ut Comes Petrus de Caleppio, literis non minus, quam sanguinis nobilitate clarus, dolens, nobis, per epistolam significavit. Effugerunt duntaxat injuriam temporum, seu potius Virorum incuriam: Commentarius de Passione D. N. J. C. Oratio ad Guidonem Patrem in lotionem pedum. Epicedium in funere Illustr. Imperatoris Bartholomei Coleonis (hoc publicam tandem lucem aspexit anno 1732. Bergomi typis Joannis Santini) Oratio ad Senatum populumque Bergomensem in adventu novi Pontificis Ludovici Donati. Oratio habita in die Parasceves. Oratio de B. Virgine gloriosissima ad Guidonem Carrariensem Patrem, habita die, qua assumpta est in Cælum. Oratio habita ad Senatum, Populumque Bergomensem in nuptiis Jo. Petri Vicomercati Patricii Cremonensis. Oratio ad Cardinalem Rangonum, tituli SS. Sergii, & Bacchi; dum ex Pannonia in Italiam rediisset. Epitalamium pro D. Octaviano Martinengo ac D. Antonia Sforciaca Jugalibus. Ad Virginem Mariam in die Parasceves ad impetrandam a Jesu veniam, opus versibus Elegiacis 330. scriptum; quæ omnia manuscripta servat, mox memoratus Comes Caleppius. Quæ vero de Ursula cecinit Patavina, extant inter Codices, quos olim Apostolus Zenus, nunc Bibliotheca Collegii hujusce nostri Veneti, possidet. Codex ille ex ovina pelle confectus, & eleganti caractere exaratus sic habet: Comincia qui la Comedia di Giohanne Michele Alberto figlio del grande Filosofo D. Guido da Carrara, nella quale se canta Madonna Ursola, in tre libri, chiamati: Cupido, Venus, & Diana. Est vero in tres tributum dicatur opus, quatuor tamen reapse libris constat, quorum novissimus inscribitur: Cœlum ejusdem Autoris, & argumenti. Hinc ea nos suspicio tenet, quod Comediarum libri IV.; & De Ursulæ Patavinæ præco-

preconiis, non duo Carrariensis opera sint, ut ea Jacobus Philippus recenset, sed unum potius, & idem; cum hoc, quod de Ursula præconiis servamus, reapse: Comedia inscribatur, Italico carmine conceptum sit, & quatuor libris comprehensum. Apographum hoc esse ex Originali, aliena manu deductum, satis indicat, quod in ipsius calce legitur: Jacobinus Sangallus Civis Bergomi scripsit. Servatur præterea inter eosdem, olim Zeni, nunc nostros Codices, papyraceus alter parvi folii, sed satis elegantis characteris, in quo Carrariensis opus: De Choreis Musarum, seu de Origine omnium scientiarum, Gabrieli Cardinali Rangono inscriptum, legitur. Extant tandem in Cartaceo Codice insignis Bibliothecæ S. Mariæ de Salute Heroicum Carmen de Bello Italico; nec non Oratio ab ipso Jo. Michaele Alberto Bergomi habita anno 1460, ad Capitulum inclyti Ordinis Minorum; cujus initium: Immortalem Christum sæpe, & multum sum obtestatus, ut tandem laceratam Civitatem nostram &c. Ex tot autem Carrariensis opusculis, duo duntaxat locum, sibi in hac nostra Collectione jure merito vindicant; Carmen nempe de Bello Italico, quod, humanissimis æquè, ac eruditissimis Clericis Regularibus e Congregatione de Somascha permittentibus ex præcitato Codice, transcribere licuit; & Oratio in Ludovici Donati laudem, ex membranaceo Codice Conventus nostri S. Secundi in Insula Venetiarum. Carminis tamen illius, nonnisi librum primum Codex exhibet; num reliqui perierint omnino, aut servantur alibi, vel potius curis aliis distentus, aut præventus morte, plura canere Carrarius nequiverit, sane nos latet. Metricas in eo leges persæpe inobservatas, & obscuriora verba Lector deprehendet, quod ne oscitantia nostræ tribueretur, monendum duximus. At Poetæ etiam parcendum. Orationi autem in Donati laudem, quod spectat; cum duo ab Editoribus præstanda esse noverimus, unum quidem, ut antiqui Scriptoris, corrupta verba, alterius Codicis beneficio, si fieri possit, emendare satagat, alterum vero, ut obscurum eorum sensum illustret, utrumque agere pro virili conati sumus. Collato in primis hoc nostro Sansecundiano Codice, cum Bergomensis, cujus exemplar, sæpe laudati Comitibus favore obtinuimus, Orationem hanc meliori lectioni restitutam exhibemus. Aliud vero Editoris munus in se jam susceperat ab anno usque 1734. Abbas dignissimus Angelus

Anedocta Tom. I. Pp Maffet-

Maffetti Lateranensis, qui subobscura quædam eruditæ annotationibus extenebravit. Has quidem intactas, suoque Auctori tributas, ne sibi debita laude fraudaretur, producimus; nostras quoque, data opportunitate, adiicientes, quibus magis, magisque, nunc primum edita, illustretur Oratio. De ipso vero Ludovico Donato, cujus præclara gesta in ea enunciantur, altum duximus servandum esse silentium, ne alienam messem falce nostra invasisse videremur; cum ejus vitam novissime ediderit Cl. Pater. F. Joannes de Augustinis Operis sui Tomo Primo.



ORA-

O R A T I O

HABITA AD SENATUM, POPULUMQUE BERGOMENSEM

In adventu novi Pontificis Ludovici Donati Veneti Senatoris eminentissimi, juris, & omnium Disciplinarum copia refertissimi.

RENUNTIATUM cum esset, Antistes inclyte, Joannem Barroccium Præsulem observandissimum, ex hoc Pontificatu in Venetorum Patriarchalem sedem transivisse, teque Bellunensi ex Episcopatu, ad hujus vetustissimæ, ac magnificæ Civitatis Pastorum venire, tanta confestim alacritas, non solum illustres Canonicos tuos, sed etiam omnium Civium mentes invasit, ut dum tui felicissimi adventus, diem præstolantur, nullum unquam tempus labi tardius, quam ipsum, putaverint. Non quod non molestum esset vetustum Antistitem, optimumque Patrum commutasse, sed quia & eum majora aggressum videbant, & nos te, quem omnium mortalium doctissimum, clementissimumque intelligebamus, consecutos. Protraxisti tu diem ex die (a) melioribus sane negotiis implicatus, & ardentissimos omnium animos in hanc usque lucem glorioso aspectu prohibuisti, ut simul & felicissimum tempus feres *, & nos tecum, quem Præsulem, imo vero Christi loco sumus habituri, gloriosissimæ Virginis Dei Genitricis gaudio confurgeremus * (b). * confur-
 Ecce te jam circumstat Civitas tua, quæ oculos divino aspectu tuo pascit; ille enim tantæ omnium virtutum majestate præfulget, ut mihi apud te, de fausto hoc adventu verba facturo pro Collegio Canonicorum, & Republica nostra, ingenium erigere, verba subministrare, mentem suggerere videatur. Nam ut te ante adventum tuum consideremus, quid tibi ad splendorem, ad gloriamque Pontificalem desit, nemo severus rerum Censor inveniet. Primum enim ex illa vetustissima, ac regia Venetiarum * Urbe progenitus es, quæ alteram, nostra tempe-
 state, Romam refert, sive classico bello, sive terrestre res gestas con- * Veneto-
 templemur. Quod nisi abs re esset, & modum * excederet orationis, * nomen.
 commemorarem quoties Barbaris navali prælio superatis, triumphales coronas reportarit *; quoties bello Turcos fregerit, quam latum * ma-
 ritimi litoris imperium consecuta. Proferrem Bucicalis (c) ac Genuen- * repor-
 sium * cum.

P p z

(a) Esto enim vix exorto anno 1465. (non 1456. ut aperto Typographi errore legitur in Dissert. Vossian. Apostoli Zeni) ad Bergomenses insulas evocatus fuerit, & possessionem die ultima Februarii per Procuratorem obtinuerit, tamen nonnisi sequenti anno 1466. sibi conceditam Ecclesiam personaliter salutavit.

(b) Qua quidem die, primum Ecclesiæ illius limen solemni pompa fuerit ingressus Donatus, non deprehendimus; at id in aliquo Deiparæ Feste, & fortasse Assumptionis, contigisse, satis, si quis dicat, per hæc verba indicatum, non abnuemus.

(c) In Codice utroque, Veneto nempe in S. Secundi Bibliotheca, & Bergomensi apud Comitem de Calepiis servato, Genuensis Classis præfectus, quem Carolus Zenus in fugam vertit, ac vicit: *Bucicalis* appellatur. Mendum dubio procul hoc esse notavit Ab. Angelus Massetti, dixitque legendum: *Bucicaldi*. At Codicis utriusque verbum

* Utoni. sium bellum, atrox quidem, & periculosissimum, tum contra Pisanos, tunc mari potentissimos expeditionem; Yconi *, Antiöchiæ, Jerusalem-que oppugnationes difficilimas in medium ferrem, cæteraque multa illustria, quæ Romæ propemodum æquare hanc Urbem viderentur. Et si omnia prætereunda forent, illud certe suppressendum non esset; quod ea Roma clariorem sine controversia fecit. Nam primo Pontifice (a) Alexandro ex Urbe fugato, cum Federicus Barbarubea dissipasset Italiam, diruisset Mediolanum, & fides Jesu Christi manibus Hæreticorum quassata, labefactari videretur, remansit unica nostræ religionis columna, præclara Civitas Galliæ Transalpinæ (b), quæ oneri se subdixerat. Sed non defuit fidei Sebastianus Zianus, temporibus illis Principatum in Urbe tenens, qui cum apud Basilicam Divæ Mariæ, (c) servili veste tectum Summum Pastorem comperisset, non modo furioso, ac deposcenti Federico, ligatum (d) non transmisit, sed educta ex navalibus Classe, venienti cum exercitu Ottoni Federici filio, profectus est obviam, arduumque hostem crudelitate, ac rei militaris scientia præcipuum, armis potentem, bello fuetum, exercitu metuendum, pugna cruentissima confectum fregit, ac vicit, tantumque magnanimitate potuit, tantum sapientia, ut multis rebus magnifice gestis, quas commemorari temporis, ac loci ratio non finit, religionem nostram, in integrum restituerit, Imperatoris rabiem represserit, Italiam resarciverit, immanissimum Barbamrubeam impulerit ut calceo (e) Pontificis premenda colla ultro præberet, & impetrata pace contra Mauros cum exercitu navigaret (f) in qua

bum citra errorem retineri posse didicimus ex Sabellico Dec. 2. lib. 8. dicente: *apud alios pro Bucicardo, Bucichalum scriptum reperio.*

(a) Alexandrum hujus nominis Tertium, eo sensu primum appellat, quod inter omnes Ecclesiarum Præsules, Papa primatum tenet.

(b) Corrigendo scriberem *Cisalpina*, vel *Transpadana*; nemo enim Venetiarum Urbes; de quibus hic, in Transalpina Gallia constituit, licet a Gallis Transalpinis Veneti, secundum aliquos, originem duxerint. Lege apud Strabonem lib. 5. parum ab initio: *eaque Regio hinc Cispadana, hinc Transpadana dicitur.* Sic Ab. Maffetti.

(c) Vulgo de *Charitate*, in qua Supremo Numini famulantes Lateranenses Canonici divina perfolvunt.

(d) Codex unus habebat: *legatum non transmisit*; sed retinendum potius verbum illud *ligatum* suadet Sabellici, aliorumque auctoritas, enarrantium Venetos Legatos ad Federicum profectos, ut de pace agerent, cum Alexandro ineunda, hæc ab eo subirato audivisse: *Ite, & hæc vestro Principi, & Populo dicite: Federicum Rom. Imp. ab eis hostem, & fugitivum hominem reposcere, quem nisi primo quoque tempore ad se, sub custodia, vincitum, miserint, fore ut pro hostibus Imperii se haberi paulo post Veneti scirent.*

(e) His verbis fati indicat se in illorum sententiam abiisse, qui referunt: Pontificem collo prostrati Imperatoris pedem imposuisse, Davidicum illud canendo: *super aspidem, & basiliscum ambulabis &c.* Tunc Federicum dixisse: *non tibi, sed Petro*; cui ille, subirato similis, impressa fortius planta: *& mibi, & Petro* responderit. At id ab Alexandri clementia alienum putant, & nimis a vero dissonum, cœvis adhibitis testibus, evincunt alii; asserentes Pontificem præ foribus Marciani Templi Federicum expectasse, & ad pedes provolutum, ut exoscularetur, manu confestim sublevasse, & ad osculum pacis admisisse.

(f) Sincera siquidem pœnitentia ductus Federicus, utque tot expiaret patrata crimina, bellum contra Saladinum, qui debellatis in Oriente Christianis, Hierosolymam occupaverat, ultro suscepit.

in qua expeditione apud Iconium Insulam (a) rapidi (b) amnis vor-
 ticibus oppressus interiit. Igitur & servata * est a Venetis fides, & * confer-
 primus Pontifex ex Culina (c), si vera non sunt reticenda, Romam vata.
 Veneti Principis humero reportatus. Abito * hinc, meo consilio, Ro- * abi.
 ma, quæ totiens Sanctis Pastoribus adversata es, matremque religionis,
 & Christianæ gloriæ, perinde ac Camillus, referentem flexo poplite ve-
 nerere. (d) Venetorum pecuniis, Venetorum ingenio, Venetorum ma-
 gnanimitate, Venetorum sanguine, periculo, cædibus res christiana re-
 posita, & magnificata est: Tu multos ex te, Roma, Pontifices profligasti, ista * reduxit; tu septingentos vix annos dominata es, ista mil- * illa.
 lesimum, & centesimum annum regnat, tu in tua viscera sæpe gladios
 convertisti, ista divino ducta spiritu, contra arduos, & superbos semper
 metuenda, contra seipsam nunquam, pugnavit, gentibus exteris sæpe,
 suis nunquam delinquentibus pepercit; unus omnium ad Rempublicam
 augendam * est animus, omnes idem amor publicæ libertatis capit. Ex * agen-
 hac igitur tam amplissima, tam divina, tam inclyta Civitate progeni-
 tus, ne quid forte ad summum gloriæ culmen minus accommodatum
 reportares, id quoque * Dei Optimi Maximi beneficio, fuisti consecu- * idque.
 tus, ut ex clarissima Donatorum gentilitate prodires, quæ, sine contro-
 versia, cum omnibus illius Senatus familiis, & optimorum civium nu-
 mero, & rerum gestarum dignitate, & suæ nobilitatis antiquitate, con-
 tendit. Ut Avum tuum, cuius tibi nomen inditum est, reticeamus, ut
 Hermolaum, ut clarissimum Genitorem tuum Joannem, ut Natalem
 integerrimum Patruum, *, ut Petrum Patavinæ Urbis gloriosissimum
 Pontificem (e), ut res gestas eorum silentio, bona venia, prætereamus,
 ceterosque celebres Necessarios tuos, quorum nuda etiam nomina in
 prolixam historiam consurgerent: conspexerat nostra Civitas Marcum
 Donatum præsidii * olim nostri Præfectum, vitæ integritate, præstantem, * prædii.
 ingenio clarissimum, eloquentia singularem, clementia præcipuum, ju-
 stitia

(a) *Iconium non Insula, sed locus mediterraneus; unde nomen Insulae adiectum, puto Amanuensis errore. Lege Naclerum lib. 2. ubi de Federico ait: Philomeliæ Urbem cepit, & agrum Iconio adiacentem.* Ita Maffetti.

(b) *Rabesi amnis habebant Codices, mutatis per lapsum Scriptorum literis: ait enim citato loco Nacler: rapidum amnem inexploratum ingreditur (æstus nempe refrigerandi causa) tantorum exercitus Imperator, in undis periit. Hoc, juxta eundem, in Armenia contigit, in Flumine vero Cydo juxta Petavium. Idem Maffetti.*

(c) *At de hac re audiendus Sabellicus, qui Deca. I. Lib. 7. hæc habet: sunt qui iradant ad sordidum Culinae ministerium, ut occultius lateret, se ultro demisisse; sed propius fidei est, inopis Sacerdotis habitum, personam, quam gerebat dissimulasse, quod plures affirmant.*

(d) *Venetorum Urbem, Romæ veteri, antepont, hortando nempe Antiquam Romam, ut novæ huic cedat, & veluti Camillus (quo nomine Sacrorum Ministrum appellabant, in sacris flectens genua) cultum exhibeat, matremque Religionis, & Christianæ gloriæ agnoscat. Maffetti.*

(e) *Errore, ut putamus Amanuensis, habet Codex alter, gloriosissimum Principem; at dubio procul legendum: Pontificem; siquidem Petrus Donatus, juris utriusque peritissimus Vir, Cretensis Archiepiscopus renunciatus, ad Venetam sedem anno 1436., & ex ea ad Patavinam insulam post biennium translatus fuit, ubi anno 1447. occubuit, peste sublatus, ut refert Ughellius.*

nitia celebratissimum, ad summum ea cujuslibet virtutis majestate præfulgentem, ut ætatem hanc nostram, vel solus, felicem, gloriosamque reddiderit. Ille te ex ingenio judicabat, ille jam sponte tui cupidus *cupidos. supra opinionem hominum inflammabat. Occurrerent quæ de Patria, quæque de Familia tua, ferme infinita, memoratu pulcherrima, commemorarentur *, verum neque ea nostra oratione recenseriqueunt, neque nos in eis commemorandis vehemens studium adhibebimus. Sic enim clarissimus Genitor Guido Carrariensis, nos sedulo docebat, quod & ab Aristotele deprendimus: veram gloriam non in Patria, non in Familia, sed in nobis ipsis, juxta * Temistoclem, quæri oportere; nam Patriæ simul, ac Gentis magnificentiæ non parum quidem exornant crescentem virtutem, verum si mores ab eis discrepent, nedum non illustrare, sed deprimere, ac obtenebrare *, quodammodo bono Seni, censebantur. Quantum igitur tu splendoris Patriæ tuæ adieceris, quanta cum gloria præclaros omnes virtutum, ac disciplinarum omnium Magistros excefferis, docet nomen tuum tota Italia tam inclytum, & in Gymnasticis certaminibus * longa tempestate celebratum. Qui enim ita vivit, ut tu vixisti, is laudem, gloriam, nominis æternitatem, optima quæque * consequatur oportet. Vix formare teneris labellis literas potuisti, cum Grammaticæ ludo mancipatus es, in quo præcurrente annos ingenio, mirum in modum, brevi tempore, profecisti, ita ut impuber ad Oratorias Musas transvolares, quas non a mediocribus, quorum ingentem copiam habet Italiam, sed a clarissimis Rethoribus Laurentio Vallenſi (a), & Joanne Petro Lucensi ebibere curasti (b); quorum ingeniis omnes nostræ ætatis viri aut verecunde cesserunt, aut se non absque crimine arrogantiae comparaverunt. Horum opera, & diligentia tua ita brevi temporis cursu emerſisti, ut exemplo eorum formatus omnino dicereris. Succedit adhuc illud Joannis Petri verbum, cum tu ad Logicæ disciplinas, ab ejus auditorio, maturares: *Novum Ciceronem Donatis donatum esse*. O quam facile puerorum ingenia diudicantur! veluti enim arbores, quæ cito fructificaturæ sunt, cito & flosculos proferunt; ita & præclara ingenia, quasi * ab incunabulis ipsis, nescio quid dignitatis præferre videntur. Id præclare percalluit Præceptor tuus Paulus Pergulensis, Vir de quo potest nostra ætas cum omni antiquitate contendere, qui cum ab eo Dialectica certamina, & morum, naturæque * Philosophiam brevissimo tempore * didicisses, qualis Vir esses futurus publice prædicabat. (c) In infinitum progredieretur Oratio mea, si digni-

(a) Pro Laurentio Vallenſi, quem nunquam humanas literas Venetiis docuisse constat, Georgio Valla legendum putat Cl. Pater ab Augustinis.

(b) Mirum quod Præceptores inter, quos Donatus audivit non meminerit Carrariensis, Antonii Piceni Bergomensis, qui eum Patavii Rethoricam docuit ut ipsemet Donatus, in Epistolâ ad prædecessorem suum Joannem Barrociū data, testatur.

(c) Theologiæ etiam addiscendæ operam Ludovicum navasse, ne quid ad ingenii sui ornamentum deesset, asserit P. Jacobus Philippus in Supplemento, Ughellius innuit in Bergomatibus, patet ex iis, quos edidit *Commentariis super Magistrum Sententiarum*.

gnitatem morum tuorum, si vitæ integritatem, urbanitatem, clementiam, modestiam, magnanimitatem tuam, ut licenter loquar, in pueritia senectutem, vel carptim enunciare * constituam; ingentes opes, * enumerare. supellectilem splendidam, Atria, Vicos; nam ut magnanimitas opibus, sic opes magnanimitati tuæ suppetunt. Hæc omnia nos rerum numero, & magnitudine pressi, transvolamus, ad majora festinantes; quamvis enim omnia tibi florida, gloriosaque fuerint, ita tamen postea in maximis fuisti, ut non sit mihi multum laudis ex illis repetendum. Licenter quoque formam hanc tuam reticebimus, quam iccirco datam est * exploratum, ut veteres Philosophos, quos vita, & ingenio superas, ore referres. Tamen enim forma a Peripateticis felicitatis aliquid habere scribatur, nos tamen ita eam credimus summis Viris necessariam, ut nihil minus esse possit. Patet ea, & oculis nostris obicitur. (a) Veniamus ad veram illam, & firmam * laudem, immortalitateque dignissimam. Pontificii, & Imperatorii juris apices, quantum attulerint tibi gloriæ animadvertamus; nam si tibi quidquam ad summam defuerit laudem facile sic exploratum erit. O sydera! Unde obsecro illam dicendi figuram, unde illam eloquentiam hauriemus, quæ nodo huic exaggerando satis sit? Miranda profecto, sed vera dicturi sumus, incredibilia propemodum, nisi res ipsa, nobis argumento foret. Adeste S. P. que Bergomenfes. * Audite rem ingentem, ipsamque intelligite, ut quæ propter rerum magnitudinem, parum credibilia posteritati videbuntur, ea tam * clarissimorum testium multitudo affirmet. Minervæ hic pugil, nunc Pontifex noster, brevi tempore tantum vigilantia, tantum ingenii * solertia, studioque pugnavit, ut sive Pontificales Canones, sive Justinianas Sanctiones requiras, nihil inauditum, nihil novum afferri posset. Afferrebat omnia memoriter, ipsi Præceptores cani, consumptique * copiam, acumen, elegantiam mirabantur. Interrogasset quispiam: quis præstaret cæteris? sine controversia: Ludovicus Donato prodibat. Quis in dandis ex tempore pontificalium, civiliumque litium irreprehensibilibus responsis, antecelleret? Ludovicus. Quis eloquentia *, urbanitate, comitate clarus? Ludovicus. Quis vitæ integritate, sanctimonia, continentia præstans? Ludovicus. Omnia erat Ludovicus; nihil ab eo alienum, nisi quod aut probro dignum, aut certe indignum imitatione fuisset. Quidquid * laudis aliquid gereret, aut decoris, id integrum in Ludovico hoc nostro, quem nobis summus præfecit Conditor, refulgebat. Solidavit postea ætas tenella ea virtutum seminaria, factusque est irreprehensibilis omnino, & omnem laudem promerens, qualem oportere Episcopum esse B. Apostolus scribit. Sentio, Præsul inclyte, me in illam orationis conditionem illapsum esse, ut pro rerum majestate, truncum, pallidumque sermonem dici oporteat. Nam quæ

ego

tiarum, ac ex aliis: De processione Spiritus Sancti, De Purgatorio, De Azymo, De potestate Romani Pontificis, De communionem sub una specie, jam prælo impressis opusculis.

(a) Loco horum verborum: patet ea &c. Codex Bergomensis habet: præterea ex oculis nostris abierunt; quæ congruam, & præmissis coherentem interpretationem vix pati poterant.

ego possum cogitare, ea dicendarum rerum dignitate sunt inferiora; quæ rebus ipsis digna sunt, ea nostri ingenii viribus majora, & brevitati orationis minime convenientia forent. Abbreviationibus igitur istis contentum esse, pro tua indulgentia, licebit, ut Græco more, Epithomata, magis quam orationem habuisse videamur. Sed ea quidem de rebus maximis, atque diversis *, qualia Græci Stromata nuncupare consueverunt. Sic igitur, quæ ad te attinent, explicata sint *; nunc alterum orationis articulum invadamus.

Nostra hæc Respublica, inclyte Præsul, inter Hesperix (a) Civitates, sive vetustate, sive agrorum fertilitate, sive hominum dignitate, sive rebus gestis certetur, locum tamen non postremum tenebit. Nam * diviss. * sunt. utrum a Berno * Gallorum Senonum Duce condita sit, aut ab Anglo Trojani Eneæ comite, aut a Cenomannis, aut ab Orobiis populis, in omnem partem inclinans fama reddit ambiguum. Illam enim de Berno Senonum, B. Hieronymus, atque Justinus fovere, alteram Stephanus, summis viribus firmavit. Verum si liceret affari, constituam omnes errasse, sine hæsitatione. Abditus est Auctor nostræ Civitatis in lateribus temporum, estque omnino incertus. Bernus enim Gallorum Senonum Rex, ut Cronographiam recte computanti liquidum est, fuit ab orbis creatione 4832, post Judæorum captivitatem annis 183, antequam Virgo pareret annis 395, regnante Dario, cognomento Notho, Rege decimo Persarum; sed ante hæc tempora, res ab hac Civitate gestæ, apud illustres rerum Scriptores, leguntur. (b) Marcus Porcius Cato in lib. de Originibus Urbium Italicarum, conditas ab Orobiis putavit Pergamum (c), & Licinophorum; sed originem Gentis se ignorare fatetur; quam docet Cornelius Alexander ortam in Græcia, interpretatione etiam nominis affirmans; Pergamum enim; montanam Urbem græce significat

(a) Virgilius etiam loquens de Italia, eam vocat magnam Hesperiam, quod nomen Hispaniæ quoque tribuitur, licet illa vocari soleat extrema, seu ultima Hesperia. Maffetti.

(a) Tot sunt circa annos mundi Scriptorum opinioniones, ut vix binos reperire sit, quorum in iis supputandis, sit una sententia. Cuinam tot inter adhæserit Carrarius, deprehendit Cl. Comes Petrus de Caleppiis, qui siscitanti Maffettio ita rescripsit: numeri annorum ab Orbis creatione usque ad Bernum 4832. & a Berno ad Christi nativitatem 395. suaserant mihi computum Carrarii fuisse ab omnibus diversum; sed inveni apud Bodinum in Methodo Historica 8. sententiam, quam Carrarius admissum secutus est; cum juxta eam anni 5228. a Creatione ad Christum lapsi sint, ut apud Carrarium, si annus Nativitatis includatur. Bodinus illam adscripsit Bedæ, quamquam Beda in lib. de Temporibus, Hæbreo textui innixus numerum habeat valde breviorum. At cujuscumque sit prædictus computus, ab eo non nimis distat Eusebius annos numerans 5200., & proximius accedit Isidorus anno signans 5220.

(b) Pergamum Urbem Troadis, seu Myssiæ significat, quæ sita est in rupe excelsa, & a Græcis hoc nomine appellata. Pergamum item dicebatur Ilium Trojanum, utpote in loco eminenti, & ideo loca editiora olim, Pergama dicebantur. Cæterum hoc nomen, Patriæ nostræ inditum, Græcam non habere originem, sed Gallicis tribuendum, & ex hæbreo deductum, putat Chrysostomus Zanchi lib. 3. de originibus Orobiorum. Melius dicam: ut Civitatis, sic & nominis incertam esse originem. Adde quod præcis sæculis, Patria nostra; *Bergomum* non *Pergamum* appellatur. Maffetti.

cat (a) Cato vero a Parra Civitate (b) Pergomates ortos putat : sic & Plinius cum naturalem scripsit historiam. Quo fit ut nil sit incertius, quam certi aliquid de primo Urbis Auctore dicere. Ab Orobiis tamen conditum Pergamum, illustriores, & antiquiores affirmant. Amplum habet agrum, amœnos colles, dulcem, feracemque planitiem, quæ omnis speciei Cererem, Bacchumque preciosum, & suavissimos fructus producit. Secturas quoque, septentrionariis in montibus Cotum, Lebetum, metallorumque omnium venas * propemodum multas, & calaminæ (c) * species. Tuciæ quoque apud Alchiram (d) Lusitanam Civitatem, & apud nos tantummodo effoditur, ut Isaac scribit (e). Habuit Viros semper illustres toga, armisque præstantissimos. Albericum, qui suo ingenio Pontificia simul, & Imperatoria jura illustravit; Bartholomeum Ossam, qui omnimodam Historiam ab orbis principio in sua usque tempora perduxit; Moysen Poetam, qui de nostræ Urbis gloria duos libellos edidit (f), Bonum Poetam, de quo Franciscus Petrarca in Apologetico contra Colomnenses sic cantat:

*Sæcula Pergameum viderunt nostra Poetam
Cui rigidus strinxit Laura Paduana capillos
Nomine, reque Bonum.*

Gasparinum Barzizium, qui Oratorias facultates propemodum ea tempestate sepultas ex Acheronte in lucem revocavit. Guidonem ex ordine D. Dominici, Sacrarum literarum Doctorem, qui in quatuor Sententiarum libros simul, & in multos Aristotelicos, divinum, nescio quid, est commentatus. (g) Bonum Clusionensem, qui medicinales disciplinas, mirifica oratione magnificavit. Christophorum Barzizium, qui & publice Paduæ docuit, & multa in medicina conscripsit. Guinifortum * Barzizium, & Joannem Pontanum, quorum alter Mediolani summam dignitatem, oratoriam Galeatium Principem instruens, consecutus est; al-

(a) Cornelius Alexander loquitur de Orobiis, non de Pergamo, cum dicit hoc nomen significare: in montibus degentes. Sic laudatus Zanchi, & Cornelio, ex Plinio dicens: Orobi, græce vitam in montibus degentes, seu monticulæ; imo etiam apud Hæbreos idem sonat *Horobanim*, idest Montium filios, seu Montigenas. Maffetti.

(b) Apud alios nostrates lego *Bera*, seu *Berra* Bergomates ortum duxisse. Idem habet Plinius lib. 3. cap. 17. & legitur in Synopsi Ecclesiæ Bergomensis novissima. Maffetti.

(c) Desideratur in Sansecundiano Codice ly *Calamine*, legitur vero in Bergomensis, unde ait Maffetti: De Calamintha Medicinali fructice, seu planta, quid sit, & cuius naturæ, lego apud Dioscoridem lib. 3. cap. 43. quid vero sit lapis Calaminaris, idest Caducia fossilis, vide Du Hamel Tom. 2. Philosoph. lib. 2. cap. 11.

(d) *Alchira* Civitatis nomen in Lexicis non reperio, sed *Alchiriam*, quæ olim Dolica apud Ptolomeum in Galacia. Maffetti.

(e) *Isaac*, Auctor, & ipsi Maffettio ignotus omnino.

(f) Quos expurgatos suæque integritati restitutos Cl. evulgavit Muratorius Rer. Ital. Tom. V; ubi, & invictis momentis probat, illum ex Mucia familia minime fuisse, nec Sæculo VIII. ineunte floruisse, sed XII. potius sæculo circa nempe annum 1120.

(g) Fratris hujus *Guidonis*, patria Bergomensis mentio nulla apud Echard Scriptores Ordinis nostri recensentem, sed nec quidem apud Altamuram, & Rovettam, cum tamen plures hujus nominis, in eorum Bibliothecis occurrant.

Anecdota Tom. I.

Qq

* involvimus.

est; alter Paduæ; dum illustrissimi Imper. Gatamelatæ funus, candidissima oratione deplorasset. Joannem Suardum (a), qui jura Imperatoria dignitate sui ingenii fecit illustriora. Petrum Malduram (b) qui B. Thomæ omnia Volumina, unico libello complexus, explanavit; Pluresque alios in omni literarum certamine celebratissimos, qui olim nominabantur, quos silentio involvemus *, ut eos, qui facti sunt Cæli Incolæ proferramus. Suave enim est sapientes Viros propagasse, suavius bonos, & inculpato; gloriosum est eos produxisse, quorum fama non pereat, gloriosius illos, qui Cælo insident, & ævo fruuntur æterno. Grata (c) Hesteria (d) Lupus (e) Albertus (f) & ex Canonicis suis Joannes, Jacobus Martyr, Proiectitius (g) Homobonus (h) Firmus, Narnus, Rusticus (i) Viator, Venturius ex ordine D. Dominici (k) & plerique alii, quorum nomina, summis laudibus, Romana Ecclesia cumulat, ex hac nostra Civitate prodierunt. Sed me repente de Sanctissimorum, & clarissimorum Civium dignitate, & gloria dicentem, & plura etiam dicere parantem, horum aspectus, in ipso cursu orationis repressit, ut illa conticeam vetera. Si nostris quoque temporibus laudem invi-

(a) Duos ejusdem nominis *Suardos* ambos Juris æque peritos recenset Fr. Jacobus Philippus; quorum unus XIV. sæculo, alter XV. ineunte floruit; quænam vero, iis verbis Carrarius significaverit, sane nos latet.

(b) *Petrus Maldura* Ordinis Prædicatorum Alumnus, Vir fuit omni eruditione clarus, & per plures annos studii Bononiensis Regens, ubi celebres habuit, ex Ordine nostro, Auditores. Morum etiam sanctitate, & miraculorum gloria fulsisse, scribit Rovetta. Placentiæ obiit anno 1481. proinde dicendum, quod inter vivos degeret adhuc, dum ita a Carrario perorante, celebrabatur.

(c) Bollandi Continuatores binas, ejusdem nominis, Divas opinantur extitisse. Una quidem Vidua, quæ Sæculo III. S. Alexandrum sub Diocletiano passum, honesto tradidit tumulo; alia Virgo, quæ sæculo VIII. totam cultui divino, una cum aliis Virginibus sese devovit.

(d) Quam etiam *Asteriam* nonnulli appellant, S. Grate juniori, in primis cara & ex iis Virginibus una, quæ solitariam cum illa vitam duxere. Huic Civitatis Bergomensis gubernium commendasse jamjam morituram S. Grata, & Martyrium sub Diocletiano passam, referunt Bergomenses, pernegant Bollandistæ.

(e) S. *Lupus* non Crotacii Bergomensis Ducis filius fuit, sæculo tertio natus, ut Bergomenses Historici tradunt; sed Longobardorum Dux a Carolo Magno victus, & sæculo VIII. ad fidem conversus, S. Adleydæ, seu ut alii vocant, Alerdæ Vir, & S. Grate junioris Pater. Bolland. 4. Septemb.

(f) Hic Villæ Onæ Bergomensis Agri Pago, Agricolis parentibus natus, & a pueritia virtutibus clarus, tertio S. Patris nostris Dominici Ordinis nomen dedit, excessitque anno 1279. plurimis in vita, & post mortem miraculis emicans.

(g) Cur solum *Jacobum* Martyrem dicat, profecto nescimus; cum ex Actibus ipsorum constet Joannem etiam, & *Proiectitium* Patria pariter Bergomenses, & Canonico Collegio adscriptos, Martyrii fuisse corona donatos.

(h) *Ægræ* nonnisi ferre poterunt Cremonenses, quod inter patrios Divos Bergomenses recentiant *Homobonum*, qui Cremonæ honestis parentibus natus, inibi, ut ajunt, mercaturam fecit, & vitam in statu laicali sanctissime consumavit.

(i) Post *Firmum* collocare nullo medio debuisset *Rusticum* ejusdem consanguineum; nam ambo simul tempore, cruciatibus primum, dein blanditiis, sub Maximiano, tentati, postremo capite plexi sunt. De ipsorum autem sacris servatis exuviis lis pendet Bergomenses inter, & Veronenses, quam sub Judice ultro relinquimus.

(k) Anno Christi 1304. natus. Vir perfectionis eximæ, nec prophetiæ solum, sed & miraculorum gratia, insignis; Italiæ Apostolus, mirabili facundia convertit plurimos; & in Terræ Sanctæ subsidium, ingenti Christianorum milite comparato, ex Italia transfretavit. At Smyrnæ appulsus, Evangelium inibi, & Pœnitentiam prædicaturus, fractus laboribus obiit die 28. Martii 1346. Ita Nostrates.

invidere non volumus: accipis Civitatem florentem, Equitum clarissimorum, Virorumque doctorum numero refertissimam; Jureconsultos supra quinquaginta, Medicos supra triginta, ingenio, exercitationeque tota Italia claros (a). Circumfer, obsecro, Pontifex, luminaria, & respice populum tuum, dinumera quantam Doctorum copiam, quam magnum Civium honestissimorum numerum suscepturus sis. Quam vero stabilem, ac inconcussam fidem habeat nostra Civitas, docent res bellicæ in quibus usque magnificentissime versata est. Si loci hujus amplitudo, temporisque brevitatis consuluissent, erant res omnes a Camillo Turio in hæc nostra tempora commemoraturus; sic enim per omnia Cæsarum bella, per Insubres Principes, per Eccelinum, Federicos, Henricos, & plerosque immanissimos oppugnatores circuissimus*; sic propulsum, * cucurrissemus. illatumque bellum, & præcipitatos ex propugnaculis Hostes retulissimus; sic denique Ducum olim nostrorum Lupi, Federici, Joannisque res clarissimas, & Avorum, Proavorum, omniumque Majorum mirificam virtutem intellexissetis. Neque enim hoc est dissimulandum, quod obscurari non potest: gloriam nostros Majores, nosque semper quæsisse, nam trahimur omnes laudis studio, & optimus quisque maxime gloria ducitur. Philosophi etiam illi, qui de contemnenda gloria scripsere, prædicari se tamen optaverunt. Sed breves vobiscum esse volumus, præsertim cum ea, quæ a Proavis nostris gesta sunt, parum laudis nobis ingerere putemus, & ea nostris in Commentariis Historiarum, copiose sunt tradita Posteris. Verum nos ipsi duobus Philippicis bellis affuimus (b), nos ipsi Sforciaco quoque bello labores pertulimus. In his gloriari licet, obsidiones asperrimas, annonæ caritatem, omniumque rerum difficultatem prædicare constantiam animi nostri, & integritatem fidei nostræ, quam adeo gratam Senatus Venetus habuit, ut nos perinde ac suavissimos Filios nunc habeat, semper habuerit, semperque sit habiturus. Fides, nos magnanimes, magnanimitas nos feroces, ferocitas metuendos, & rebus bellicis claros fecit*. Effluebat ad prælium * fecerunt. ex Mænibus armata Juventus, provocantes hostes impetebat, domi sedentes provocabat, vix ingloria revertebatur, si quis tardius prodierat, is non mediocris infamiae reus agebatur. * Nostræ præterea Civitatis perpetuam gloriam, præcipue Imperatores Concives nostri fecere; Jacobus Suardus, qui sub Ludovico Vicecomite, mox etiam sub Galeatio, summum in exercitu locum tenuit, & res gloriosissimas gessit: Jacobus cognomento Vellamucius, Caroli Sciliz Regis, maximus Imperator, cujus ductu, ingenio, magnanimitate Ludovicus Andegavensis in Campo Aquilano, bello fractus, & interfectus est. Hac quoque tempestate nostra, Civitatis nostræ gloriam, toto orbe formidandam fecit inclytus Imperator

Qq 2.

(a) Calculus hic Juristarum, & Medicorum Bergomensium, deest in Codice nostro S. Secundi.

(b) Philippum Mediolanensem Ducem, ac Franciscum Sforciam his verbis indigitat, qui ipsius ævo, ante nempe sæculi XV. dimidium, & bis, & tertio etiam, arma cum Venetis contulere; in illas Civitates Reipublicæ nostræ imperium sentientibus, iterato tetendere. Vide Sabellicum, ceterosque.

* refera-
vit.

rator Bartholomæus Cullio, cujus ingenio, ac magnanimitati, quem Antiquorum præferam, habeo neminem. Hic Italiam universam bello multiplici quassavit, idem, tanto afflictam, & laceratam bello, solidavit, in armis semper clarissimus; idem pacem dilaceratam resarcivit*; pugnavit cum Italicis, cum Transalpinis, cum Gallicis, & sæpe loco, ac numero impar, nunquam nisi victor, nisi triumphator certavit. Impiger sæpe cum exercitu, famæ celeritatem anteceffit, nihil hostibus magis tremendum fuit, quam inclytum Cullionis nomen. Crevit illud in tantam admirationem, ut vel solum, sæpe numero violentissimos hostes fugarit. (a) Inde cum pro pace Italiæ ab armis discessisset, continuit totum orbem in requie. Principes singuli dum sapientiam, ac, magnanimitatem formidant, quodammodo inviti ab armis dexteras cohibuerunt. Libenter, hæc præconia Illustrum Civium nostrorum repetere animo, & commemorare decet, ut sint nobis exempla, & incitamenta ad virtutem, sintque præclaris illis Viris non obscura præmia virtutum. Nullam enim virtus, ut dicebat Cicero, *aliam mercedem laborum, periculorumque desiderat, præter hanc laudis, & gloriæ; qua detrahita, quid est, quod in hoc tam exiguo vitæ curriculo, & tam brevi tantis nos in laboribus exerceamus? Certe si nihil animus perferret in posterum, & si quibus regionibus vitæ spatium circumscriptum est, eisdem omnes cogitationes terminaret suas; nec tantis se laboribus frangeret, neque tot curis, vigiliisque angeretur, nec toties de vita ipsa dimicaret. Nunc insidet quædam in Optimo quoque, virtus, quæ noctes, & dies animum gloriæ stimulis concitat, atque admonet, non cum vitæ tempore esse dimetiendam commemorationem nominis nostri, sed cum omni posteritate adæquandam.* (b) Quid obsecro potest esse gloriosum, si hoc Civitati non est gloriosum; eum Imperatorem Concivem esse nostrum, quem formidat Gallia, veneratur Italia, colit res ipsa militaris, quem sydera, veluti Cæsarem alterum, effinxisse, enutrivisse, perfecisse videantur?

Hos igitur Illustris Canonicos, quorum nomine Oratio hæc habetur, Viros siquidem insignes, & te Signifero dignissimos, hanc, honestissimam Ecclesiam, cujus Ministros, Sacri Pastores, Cardinales minores dixere (c), hanc ingenuam, florentissimamque Civitatem, felicissimis auspiciis, inclyte Præsul, suscipies; de cujus virtute parum dubitabis, si subibit animum, eam Joannis Barocci Viri clarissimi disciplina formatam. Habebit te, non duntaxat ut Antistitem, sed ut Patrem, & veluti Deum quemdam, qui ob felicitatem nostram e Cælo lapsus sit ad nostrum Pastoratum. Gaudemus id Dei optimi maximi beneficio, nobis contigisse, ut tu Princeps noster, & optimus sis, & sapien-

(a) Loco hujus propositionis, cujus jam sensus patet, Codex Bergomensis habebat: *ut res solum sæpe initio molestissimas, hostes fugarit.*

(b) Hæc ex Oratione pro Archia finem versus deprompserat Carrarius, mutila tamen, & verbis aliquibus nonnihil mutatis. Hinc genuinæ lectioni ea restituere, operæ duximus pretium.

(c) Cathedralium Ecclesiarum Canonicos, olim Cardinales fuisse nuncupatos docent Pancirolus, Salmasius, & alii apud Muratorium; ipse vero eo titulo donatos fuisse Parochialium, seu Diaconiarum Rectores habiles, docet Antiquitatum Italiæ Disser. 61.

pietissimus; neque clam nos est, quanto Fati beneficio, in tua tempora reservati sumus. Habebis equidem Civitatem tui studiosissimam, tibi obsequentem, & quæ nomen tuum Cælo inferre totis lateribus enitatur. Tu vero eum te exhibere debebis, quem Patria, quem Familia, quem indoles, quem sapientia, quem virtus, quem magistratus, quem antea-cta vita pollicentur. Elargimur tibi fortunas omnes nostras, neque fortunas solum, sed & corpora nostra, neque ea tantummodo, sed & animum nostrum; ut nihil nobis, præter pietatem tuam, supersit. Satis erimus nati & gloriæ, & felicitatis, si modo tu patiaris, ut tui simus. Vale itaque decus literarum, decus Hesperiae, decus Civitatis *, * ætatis. & Rempublicam tuæ fidei commissam *, moribus, disciplinisque felici- * tuæ concredi- tam fi- cem redde; ut cum vitæ satisfaciendum fuerit (a) Gregem tuum in summa tecum Sydera perferas. dei.

E J U S D E M

JOANNIS MICHAELIS ALBERTI

D E C A R R A R I A

De bello Jacobi Antonii Marcelli in Italia gesto.

LIBER PRIMUS

F L I C I T E R I N C I P I T .

PRÆLIA sanguineo, quæ spectatissima, Marti
 Engenitumque Virum, canimus, Venerumque superbum
 Armataque Acies, & fusi sanguinis undas.
 Phæbe fave, & Sistrum tenero concede Poetæ:
 Fert animus tantos humeris sufferre labores,
 Si modo castalios propines, Delphice, fontes.
 Nil dubito, demum vivemus carmine terfo,
 Et dabitur relegi, linguasque habitare Nepotum.
 Gradinum latius Venetum lassaverat hostis:
 Jam segnes animos juvenum timor ufferat * ingens;
 Armigeri muffle omnes, pedibusque salutem
 Sperare occæperat. Tantus metus omnes agebat.
 Cum Marcellus acer, Sanctus cui sceptrum Senatus
 Rostraque, & domiti dederat præsidia Regni,
 Ut posset captam, jussit, restinguere pugnam

* al. arse-
 rat.

Fræ-

(a) Satisfecit ille sane mense Julio anni 1484. postquam Bergomenses Infulas, per annos undeviginti; & ultra, summa cum laude gestasset, in Cathedrali S. Vincentii tumulo traditus.

* al. vene-
rabile.

Frænaret Reges, & moderaretur habenas;
 Adfuit. Heu mentes hominum presentia firmat.
 Fluminis Hesperia rapidis devolvitur undis.
 Abdua nomen habens, imo qui tartara fluctu
 Sollicitat saxis metuendæ ad Sidera ripæ
 Errexere caput timidis loca invia Damis.
 Hic dudum Venetos campis hostilibus agros
 Secuerat clames Regnum, & separarat utrumque.
 Ergo ubi castrorum frænum indomabile * cepit
 Impiger arma capit, volucrique, per arua, cursu
 Constitit ante Turres Cassanæ, o maxime, muros.
 Fama novi Regis, palmæ præsaga futuræ,
 Philippicas dudum penitus compleverat aures,
 Terrueratque Duces, animosque humaverat hosti.
 Quare ubi Marcellum propiori in margine ripæ
 Armatum videre oculis, dant terga, pudoris,
 Et famæ obliti, nec sanctius esse putarunt
 Dedecus, atque fugam forti postponere morti.
 Quos ubi pallentes errare saltibus, hausit,
 Dulcisona est Cuneos Marcellus voce secutus:
 Cum quis æqua mihi, Juvenes, fortuna ferenda est,
 Et casus, milleque ineunda pericula pugna,
 Cernitis: En Turmæ per vaga silentia Luci
 Diffugiunt, spelæaque optant, latebrasque Ferarum
 Jam dispersæ acies omnes, & inania telis.
 Litora sunt, nullo & rupes custode tenentur.
 Quisnam poterit ex vobis medios non nare per imbres,
 Hostilemque occupare solum, Superisque paratum
 Cæsareum citis manibus captare triumphum?
 Alteram, qui figet primus vestigia, ripa
 Is nunquam ignotus, atque indonatus abibit.
 Vix Rex confecerat junctis silentia labiis,
 Nec mora, limoso si quando in gurgite Ranæ
 Præcipiti mergunt saltu, natantque sub undis,
 Margine si forsam frondator Villicus erret,
 Aut curvum collo fessus, qui portet aratrum;
 Sic quæcunque parant pedibus pugnare Phalanges;
 Corpore aquas condunt, alienaque litora complent,
 Seque exhortantur. Quid enim sacer amor habendi
 Effugit? æternæ & flagrans sitis arida famæ?
 Et Detesalvus acer nunquam defessus in armis,
 Qui Peditum Rex solus erat justissimus, unus
 Creditur optatam primus, qui pressit arenam,
 Armatusque Elenus vallo dum flumina quærit
 Tretus cornipedi valido transire sub ipsus.

Vor-

Vorticibus, longo damnavit lumina fomno;
 Occidis armipotens nulli superabilis hosti;
 Infelix, lethumque dedit temeraria virtus;
 Nec res ulterius, Regem dubitare relinquit.
 Extemplo junctis trabibus, quis ære canoro
 Prima acies, præfixa & duro hastilia ferro
 Fluctibus infigunt cervos, & sudibus ornant,
 Alligantque simul surgenti exordia Ponti:
 Hinc tabulas posuere super, nectuntque catenis.
 Nec mora. Marcellus structas ad prælia Turmas
 Trans flumen duxit, comuit quoque litora signis.
 Jamque dies aderat, quo præmia digna parentur,
 Qui primum armatis signasset litora plantis.
 Ergo ubi faginea pressere sedilia cuncti
 Jamque aderant giri, nulloque erat agmine murmur.
 Surgit ad hos Marcellus adhuc gregarius istis:
 Mavortes Socii, quos tollit in æthera virtus,
 Quos decorat Pallas, quos victa pericula cælo
 Intrudunt: En tempus adest quo præmia primis
 Exsolvam promissis; Poli sed Sydera restor.
 Vasti animi Juvenes, vobis justissima dona,
 Si faveant Superi, nec erit mora longa, dabuntur.
 Assensere omnes, cum Pergomenis, & ingens
 Malvetius Ludovicus Eques, qui primus arenam
 Contigit insignem, quem docta Bononia fudit;
 Ante Ducis stetero pedes, quos optimus, ambos
 Jussit inauratos equites invadere Reges.
 Illicet ingenti milites clamore sequuntur,
 Convexaque Tubæ feriunt, & Tympana plausu
 Exultant. Tibiæque simul dant cornua bombos
 Raucifonos. Gaudent omnes, contingere dextras,
 Consociare genas, & gratulantur eisdem.
 Jamque refulgebant humentis cornua Lunæ,
 Pulchraque stellifero splendebant Sydera Cælo;
 Cum Dux noctivagis Castris tutamina, toto
 Eligit ex grege, innumero, & disponit in illis,
 Quos opus esse, locis vigili statione, putabat.
 Armigeri interea cænitant, quos maximus omnis
 Munificus Detefalvus alit; mantilia jamque
 Tonsa ferunt, Bacchumque auro, vitroque coronant:
 Horrida terga suis, mæstati & frustra Juveni
 Præbebant epulas, solido de cespite Mensæ,
 Et frigidi Silices fuerant Sedilia mensis;
 Ocius & solito tuburcinantur ovantes,
 Ebibuntque merum, Lychni fulgore tenebras

Eiciunt,

Eiciunt, mediaeque æquant tentoria luces.
 Postquam pulsa fames, mensis abiire relictis;
 Seque umbone suo, somno indulgere parantes,
 Texerunt; tecti præbuit qui & Imbricis usum.
 Nox adveſta rotis medium conſcenderat axem,
 Spargebantque humidos jam conticinia rores;
 Sydereæ cum lapſa Polo ſplendentibus armis
 Corpus molle tegens Pallas metuenda Virago
 Reticam talis, quæ te Marcelle tenebat
 Contigit; & toto perflanti corpore ſomnos
 Subridens, tereti libavit pectora telo
 Atque ait: o noſtri pars Numinis optima, tandem
 Attollas oculos, nec mortis imagine, perſta.
 Eja age, quid dubitas? Caſſanum ſternere dextra,
 Æquareque ſolo, turriti Mænia Minci,
 Si juffis Venetum parituros fore negarint?
 Me Duce (nec muſſes) longum moliere triumphum.
 Ni, quod ſuæ cæſar Patriæ ſe fecerit, hoſtem,
 Nomine Cæſar eris, priſcos tu æquare Catones,
 Tu poteris victis Æneam ſuperare procellis.
 Dixerat: Armipotens ſaltu cum prona fugaci
 Ætheream in rhedam conſcendit, & ocior euro
 Emicuit volucris, ſeque inter nubila condit;
 Utque ſolent phades, aut vento ſædus Orion
 Si faciant lapſus ſubitas deducere flammas,
 Empireoque cadens callem deſcribit olympo,
 Albida, quam tergo deportant Sydera cauda;
 Sic Dea flammivomo depinxerat æra tractu:
 Ambroſioſque abiens, Dea ſcæva reliquit odores;
 Quos ubi Marcellus patulis in naribus hauſit,
 Extulit atque oculos, viditque albeſcere callem
 Alite, quem fugiens, paſſu delineaverat illa
 Faſcilidem, diſtis, Nympham criminatur amicis.
 O Dea bellipotens, venturi præſcia Virgo,
 Cur totiens volitans circum mea lumina fallis,
 Colloquium commune fugis, cur ſcæva recurris,
 Nec datur dextram cupidæ conſectere dextræ?
 Sed veluti imbelles Lemures, & fugacibus umbris,
 Ceu fumus ſubito lactas veneranda relapſis.
 Talia conjeſtat, lectoque exurgit inerti
 Præcipitatque moras, Sociis tunc arma capeſcant
 Edicit, tum forte animos fauſto omine firmat,
 Inſignis Pallas, nam lapſus ab æthere, prædo
 Jovis Ales, dulci rapuit duo pignora nido
 Accipitris rapidi, quæ poſtquam pedibus uncis

Abſtu-

Abstulit, atque ipsum dejecit ab arbore nidum.
 Lati omnes; cælum summis clamoribus oplent
 Innumeræ, pugnamque Tubæ clangore salutant.
 Signifer interea jussus, calcaribus armos
 Fodit Equi albicomi, sequiturque Equitatus euntem,
 Armataque acies Peditatus levibus armis,
 Constitere procul quantum volare sagitta
 Missa potest, cornu Cassani a Turribus altis.
 At stirps Bertoldus non inficienda Taddei,
 Qui quondam Venetis manibus felicibus extis
 Præfuit, impuberi & moriens Nato agmina liquit,
 Evolat ad fossas, & si sibi mænia dedant
 Promittit majora, fide, & si forte repugnent
 Fore per infandas ruerent, ut Pergama, mortes.
 Talia, nec quicquam docto murmuraverat ore,
 Cum subito e muris stridens contorta sagitta est
 Lascivientis Equi, quæ affixa est improba collo,
 Nec profunda petens, Gorio remorata pependit.
 Extemplo turbatæ Acies, ruit omnis in unum
 Impetus ad muros, scalasque, ignemque, facesque
 Comportant, missisque acervant funera telis.
 Nec minus obfessi sparos, latalque secures
 Devibrant, fuso pinguescit sanguine Tellus;
 Et postquam sevit pluri cum funere pugna
 Retraxere pedes Cunei, tergaque dedere.
 Quos postquam pavidos sese subducere Marti
 Agnovit: subitis furiis incensus, & ira
 Sevus, io Socii, mecum concurrere, dixit
 An clausum, liberi, milleque timebimus unum?
 His dictis firmati animi, mentesque reductæ;
 Ille ut erat cinctus Galea, & fulgentia poma
 Gestabat cono, semper frondentis olivæ,
 Pectora munibat Thorax, & suras in auro
 Conclusus, teretes Volas chirotheca tegebat
 Irruit ad Muros, cunctique pudore sequuntur,
 Nec prius abcessit, dubiam reaccendere pugnam,
 Quam mucrone fero, per propugnacula cæsi
 Innumeri periere, volant ad Mænia, victis
 Imponuntque manum, mentemque ad Sydera ducunt.
 Nec contentus eo fuerat Rex ille triumpho
 Sint licet hæc nulli Regum tentata priorum,
 Nec sperata unquam Venetis. Sed signa revelli
 Protinus, & cunctos jussit consistere in armis,
 Atque Acies Mincii, quam mox ad mænia torlit.
 Mincie, quam mælem quavis fortuna sub Urba

Æthiopumque lares, aut sectos orbem Britannos,
 Aut quosvis potius Muros fortuna dedisset;
 Dum liceat tantas indemni fugere clades.
 Strenuus hostis adest, abdit jam sydera pulvis
 Armorum, & crepitus cæli capitolia quassat:
 Tympana pulsa gemunt, icitque Phalarica fortes
 Illaudata Viros, jamque ipsa cacumina muri;
 Hostis habet, variisque implentur vocibus aures.
 Pugna cruenta subiit, haustoque sanguine, priscas
 Excessit, viguitque ad casum solis ab ortu.
 Nec cruenta magis Danaorum prælia, quando
 Hæctora percussit nulli superabilis Ajax,
 Passurusque sua tantummodo vulnera dextra,
 Cristatæ Eumenides, squamosis anguibus, omen
 Infaustum tribuere sibi, linguisque trifulcis
 Victus Cerberi spumas jecere per arma.
 Forte audax quisquam summæ fastigia fossæ
 Occupat, ille acri forsam cupidine prædæ
 Irritus ingenti tormentum fulmine torquet;
 Alter ut ad muri voluit reptare cacumen
 Tempora lethifera concussus cava bipenni
 Eruitur, mediumque ruit resupinus in agrum.
 Quo ni fata Deum finem fortuna dedissent
 Fumassent calido completæ sanguine fossæ.
 Sed Mars sanguineus, summo qui postus olympo
 Spectabat pugnas, grandi miseratus acervo
 Precibus armigeræ demum acquievissè Minervæ
 Dicitur, & Veneto cessit victoria Regi.
 Irruere Viri, pugnasque egere cruentas.
 Namque hostes mucrone fero mittuntur ad orcum,
 Diripiuntur opes, portarum & tecta cremantur.
 At pius in medios, Turba comitante fideli
 Exutus galeam crispans hastile cucurrit
 Vociferans, & mortes tandem, pugnasque diremit.
 Et postquam pavidas, fuscis post terga capillis,
 Quassantesque manus, pendentibus ubere Natis
 Conspexit Matres, & femineum ululatum,
 Ingemuit factò, tensisque in sydera palmis:
 Dii, pariles casus Natis avertite nostris
 Dixit: quoque suos jussit repedare Penates.
 Nulla celebs raptos, poterit deslere, pudores
 Si me scepra manus, spiritam si membra tenebunt,
 Innexi, & Manicis Oppidani, evomite curam
 Solventur; frigidis flammæ respersite lymphis.
 Quod si jussa sequi libuisset nostra, priusquam

Inice.

Inicerem dexteras, nunquam, mihi credite, tigni
 Vulcanum, aut nigros vomuissent Usta colores.
 Proxima jamque dies radiis diffuderat Axem
 Phæbus, & æthereo lustrabat sydera curru.
 Rex jubet ut merito decorentur membra sepulcro;
 Accelerant alii pabulum, Cereremque, Licumque
 Important castris, stipulasque, & stramina tondunt,
 Et tristes alii fodiunt ad Tartara terram;
 Construit ille rogum, cogit centum ille bidentes
 Ballatu, & nigris imitantes funera villis:
 Hic Tauros ingentes, ille indomitasque Juvenas
 Sollicitat stimulis, structisque eas admovent Aris
 Fervet opus: variosque æstivo sole parentat
 Quos tolerat Hiemen metuens Formica labores
 Cum populatur Ador, foraminibusque recondit;
 Illa volat propere, subitoque onusta recurrit.
 Jamque Aris peglum sacris mactare Sacerdos
 Cæperat, & lugubri redimitus tempora vitta
 Straverat egregios bis septem corpore Tauros
 Innocuumque Pecus dirum tepeferat Ensem,
 Cum subito in Templum, longo se imitante tumultu
 Marcellus pluribus stipatus Regibus infert.
 Longævus Michael cano jam crine tenebat
 Dextram, Gentilisque ferox a parte sinistra
 Ibat, & hunc pede captus habet Tibertus, & Hector
 Brandolides ambo sevæ duo robora pugnæ;
 Hos circumfusi clarus Detesalvus, & ingens
 Gonzagus Carolus, quem paludosa creavit
 Mantua, Germanum fugiens, qui sceptrâ Parentis
 Arripiens, patriis fraudavit sortibus illum,
 Absentemque domo, exclusit, nec jura peculii
 Efferus exegit, sed vis mare sydera tempfit.
 Malvetius post hos sequitur, metuendus & astu
 Rongonus Guido, tum forma insignis, & armis
 Gattamolata fatus bis denis floridus annis.
 Junctus Bertoldo pompam decorare Giovanni
 Antonius luctatur, & hunc Robertus adibat,
 Qui Tienensis erat, quem parva Vincentia fudit.
 Post hos Turba ruunt primipili, ingensque caterva
 Armigerum campumque implent, Arasque salutant.
 Nec mora: devolvunt onustis funera carris,
 Infodiuntque humo, guttisque cadentibus omnes
 Vix dixere: Deum pateant vestibula cunctis.
 Finitimo interea placabat Numina Templo
 Infera, & in flammis divina falce Litator

Ejugulabat oves, & instaurabat Amicis
 Impositasque rogo Pecudes volvebat ad estus
 Flammarum harpagone, & precantia verba dicebat.
 Cum subitus volitans acris per devia Vultur
 Adfuit, atque Tholum circumdans naribus uncis
 Nidorem excelsum gaudens captasse putatur.
 Tum vero luctificos vomuerunt pectore questus,
 Ut Volucrem citis stringentem Sydera pennis
 Conspexere Viri fortes, posita inque Patinis
 Victima festino direpta est optima morsu,
 Et prudens quisquam, si ligurire ferinas
 Occæperit pingues, tum castigatus acerbè
 Scilicet erubuit, tunc helluo lixa probatur;
 Eja age stulte vora, imposita quæ fercula mensæ
 Quo possis; nequit se Plebs jejuna movere.
 Nocte subinstanti Vulcani Numina tandem
 Consumpsere Pyras, cineresque egere volantes.
 Incipit exuvias Templo exportare Sacerdos;
 Huic folles aureficos, Pateras, Gladiumque cruentum
 Auferat, indicit, illi uita parte Pedalem
 Funereum Torrem, qui forte superfuit igni.
 At Dux Insubrium volacer, cui prælia rumor,
 Transfugaque ediderat summa ad consilia rerum
 Patricios jubet acciri, quos nulla citatos
 Effecit pigros, mora, quin Castella subirent
 Nomine dicta Jovis, prædivitis Aula Philippi.
 Quos ubi conventos, sceptro insignitus eburneo
 Aspexit, tali percussus pectora clade
 Talia, nam ceteri servant silentia, profert
 Mi Proceres, quos nulla unquam privata movere
 Commoda, sed cunctos potuit respublica semper;
 Quod vos ad nostros jussit properare recessus
 Causæ id est, Veneti decus, & tutela Senatus.
 Marcellus nostro in Regno victoricia dudum
 Signa tulit, nunc impunis mea mænia vastat;
 Magnificatque suum Imperium, multosque trucidans
 Mincia, in arma furens subiecit. Pergama castris
 Nunc rapidum quando trans flumen castra parabat
 Ducere, tunc stricto decuit concurrere ferro
 Dum poterat ripis pelli, parvoque resisti
 Tum debuit, nostris dederint ai terga Manipulis.
 Sed quia sic Superum jusserunt Numina, damnum
 Pertulimus faciles; quid enim dolor usus habebat?
 At modo quid cupiam, paucis, pendete, monebo.
 Extant Litoreæ confectis mænibus Urbes

Parva

Parva potens Laudum, priscique Placentia luctus
 Immemor Eridani; quæ murum in margine tollit
 Accelerate citi, moxque has capeffite, muros
 Atque refarciri facite, & quæ Mœnia cingunt
 Plenæ putri inlapfo purgentur ab aggere fossæ,
 Et milite incluso, stantes pro Turribus, Urbes
 Dum Fortuna alios affert, defendite, casus.
 Dixit. Et ecce Thoro surgens Oldragus ab alto:
 Quæ Rex summe jubes, poteris jam facta putare;
 Læti omnes paremus enim, neque ambige, fateor,
 Sed tibi quam propius sint lapsa pericula cernis.
 Hostis habet fines, tutusque licentius errat,
 Quo fortuna vocet, vel quo trahat impetus illum.
 Ah cuncti genubus curvis, tua bona precamur,
 Arma rape, & iusto crudefcant bella fragore.
 Germanos quondam finibus reprimere Regni
 Et Cyprum odoratam potuisti pellere ab armis;
 Alphonfusque Senex omni cum plebe suorum,
 Innumerisque aliis, navali Marte, subactus
 Præda fuit tibi Rex, tunc spolia opima trophæum
 Obtulerant. Sed tu Regum tamen optimus, omnes
 Indemnes, multoque opulentes munere, solvi,
 Et liberos victis voluisti accedere Regnis.
 Quare age: sunt animi vasti, sunt æris acervi
 Ingentes, Cererisque excedunt horrea fruges
 Tirsigerique Dei longiffima copia Bacchi
 Sunt, & quis possis tuto concredere quæque
 Clandestina putes; tot sunt tormenta, tot enses
 Loricæ, atque Duces animis, & viribus almi.
 Coge simul Belgas, & quos habuere * Pyreni
 Nar quoque sulphureus, quosque ambit fluctibus Hister,
 Denique Centauros Cocciti e sedibus imis
 Anquipedesque feros mediis fornacibus Ethnæ
 Cætera si desint, revoces, quo Marte cruento
 Irruas, & Venetos facias remeare paludes,
 Et Patriam, qua sunt gongris sordentibus alti.
 Illi subrisit sedato corde Philippus:
 Mecum erit ille labor, stridentia limina belli,
 Ipse quirinali Trabea, cinctuque vetusto
 Jam refero, & vestes, æternaque robora rumpo.
 Educet jam Mars bipotentibus agmina portis
 Quo Duce Trinacrium pacavimus Amphitritem:
 Portarum custos jam abfistet limine Janus;
 Ite satis propere, iussa faceffite nostra.
 Vix dederat facto, expectata silentia, sine,

* aluere.

Cum

* cursibus.

* confitus.

Cum Sellis cessere suis, abiturumque pararunt,
 Nec magis e Templo cessit juveniliter Augur
 Si drenlarit olor faciente silentia Corvo
 Ignavus nulla, & ominarit funera Bubo,
 Quam quicumque Patrum complerit iussa Philippi.
 Cynthius æternum jam ter lustraverat orbem,
 Et totiens liquidas radiis tepescerat undas,
 Cum Marcellus acer Militum stipante corona
 Constitit, & læto has expromit pectore voces:
 Felices bello juvenes, vel cedibus * apti,
 Aut hastam fortem, quassata effringere dextra,
 Aut saltu super Altra ferri, studiisque Dianæ
 Aut Cervum cursu præcessum avertere, ad illos
 Anfractus, lateant quo juncta indagine casses,
 Aut manibus vivi fauces laniare Leonis.
 Sunt circum variæ dites, sine nomine, Villæ,
 Quas si fert animus, Michaelque assentit, & ipse
 Diripiam, tanquamque instructo Milite muros,
 Insubres, vinclisque dabunt sua colla Coloni.
 Vos modo, nam nigram traxere crepuscula noctem,
 Sumite tela manu, & sit dempta licentia linguis.
 Cæcus amor nummi, quidnam jubet esse timendum?
 Nulla mora est, iussa expediunt, saltuque feroces
 Conscendunt in Equos nexi calcaria talis,
 Et gladium lateri, galeam capitique comantem,
 Ornabantque manus nodosæ robora clavæ.
 Nox felix sola, & lætos visura triumphos,
 Haud equidem cupias senior, juniorque fuisse.
 Namque Laertiades tenebris securus * in Arcem
 Irruit Illiacam Galli capitolia noctu
 Intraissent, id ni vetarit Manlius hostem
 Præcipitans saxo, vigilat quo argenteus Anser,
 Incessitque Urbem nocturno Marte Totillas.
 Denique, ne latius campo expatiemur aperto;
 Troja ruit noctu, semper nox conscia furtis,
 Sed tu sola potes læta aspectare trophæa,
 Quæ tibi nec cædes, nec tristia funera turbent.
 Jamque aderant propius Muri, Turreisque videri
 Ut possent quantum magis, magis atque propinquant.
 Surgere sic muros per tetra silentia noctis
 Aspectant, portæque orientis crescere limen.
 Illico grandifona perflata est buccina voce
 Custodes celso positi in cacumine valvæ,
 Quam vigili centum soliti statione tenere
 Delecti Armigeri, mutatis qui vicibus inde

Con-

Consuerant operi, dulcique insistere somno.
 Hi sensere Tubas primi, quantosque rugitus
 Edere bis centum metu stimulante Leones,
 Aut possent Tigres, armati & unguibus Urſi;
 Tantum illos ullulasse ferunt, arma, arma vocabant.
 Excussi e lectis Gives, Venetique manipuli,
 Profundamque petens Pelagi sub parte quietem
 Tam grandi pavefacta sono est, roseisque quadrigis
 Tritona jam sueta veſta est per nubila nocte,
 Obſtupuit, cæli & medio sub culmine Phæbus
 Obvius hostili factus pueriliter umbræ,
 Et tantum immotus deſpectat ſidere bellum.
 Ocius armatæ muros tetigere catervæ
 Concutitur vulgus, nigraque ferrugine ferrum
 Corripit ambelum, cursumque ad Mœnia vergit.
 Ipse etiam e summo ſpectabat culmine Turris
 Sceptriger impatiens, ira exagitatus inani.
 Utque duo indomiti, ſi poſt præludia, Tauri
 In pugnam coeant, quatit ardua ſydera fragor,
 Imbelle ſpectant Vaccæ, quis denique victor
 Imperitet ſtabulis, dubium eſt; tum denique foſſi
 Aut frontem occurſu, aut duros cornibus armos
 Concordes diverſa petunt, finiuntque duellum.
 Sic cojere Acies, ſpectavit inutile Vulgus;
 Sed primis muros fuſi congreſſibus hoſtes
 Vulnere nec capto, nec facto iniere ruentes.
 Delius omnigenam radiis arefecerat terram,
 Cæperat, & tenues calidos ſufferre vapores,
 Cum redditum, Marcelle, jubes, & ſigna referri
 Imperas, & cunctos ſubito in Magalia vertis
 Ruris Planchettæ cupiens requieſcere teſtis
 Viminei, & tuguri Boream teſtudine lenta
 Si quæ cadant imbres arcere & ſydera cæli
 Ruſtica Turba vetat variis per cornua Villis
 Aglomerata prius, refugus dum forte dediffet,
 Quo Veneti graderent equos, crepitumque moverent
 Armati, & dextras, is duro robore Raſtri
 Hic Ligone diu creſato, & Falce canora,
 Stipitibus durisque alter, ſudibusque præuſtis
 Conclamant: quo fertis iter decernite ferro,
 O jamjam morituri, & veſtrum ne auferre cruorem;
 Spes nunc nulla fugæ, nunc undique circuit hoſtis.
 Dedalias optate vices, nunc morte cadendum eſt
 Per coacervatos ſic ſtat ſententia fluſtus
 Sanguinis intereant alati Numina Marci.

Nec

Nec mora per campos diversis partibus adsunt;
 Congressumque parant, & lignea Buccina signum
 Pastorale canunt, efflantque ad sydera bombos.
 Quos procul ut Venetis prædiis errare vagantes
 Vidit, & exleges sine Rege, atque ordine fusos
 Risit, & O focii: quid Numina obtundere votis
 Pergitis? ipsa paret jussis Ramusia nostris;
 Quin ultro Agricolas vinclis patentibus offert.
 Quare agite, in medios, dixit, concurrite Agrestes,
 Et facite oblatos justis dare colla catenis.
 Dixerat: effundunt cursum, stringuntque coruscum
 Quisque Ensem, flammæ adverso sole vomentem,
 Martius ante alios Romano a sanguine cretus
 Pergomeus Togniottus abit, gladioque minaci
 Perturbat pavidum præstanti corpore Mobsum,
 Et jugulum præbere jubet; perterritus, Euro
 Ocior ille fugit, & opem bis, terque, precatur.
 Utque Grues si forte aperti semine Campi
 Pascantur, garriensque fugam speculator in auras
 Grus agitet, visumque exponat sentibus Arcum,
 Aut motas frondes, aut tectam pelle pharetram,
 Illicet excussis obnubunt sydera pennis
 Excitæ Volucres, cælumque gestibus implent;
 Sic postquam Mobsum metuens vim cædis anhelans
 Terga dedit; passim cuncti ad divortia nota
 Diffugiunt, armaque odiunt, animamque precantes
 Nestuntur manicis, circumfusæ catervæ
 Fune ligant, miseros, victosque in Castra reducant,
 Circiter ad silicem, quæ Dux sub nocte secundum
 Fecit ab Insubribus Planchettæ in litore Villæ
 Ante expectatum valvis orientibus hostem
 Evasisse procul, missa obsidione, Philippus
 Senferat, atque animos cælesti æquaverat ore
 Exultans, ratusque fugam, cupiensque doceri,
 Quam magnum Marcelli acies usque abdita damnum
 Intulerit bis sex emittit Mœnibus alas,
 Edicitque Pagos lustrent, & visa reportent.
 Dilatione carent Acies, sed jussa Philippi
 Expediunt, timidæque procul per Rura vagantur;
 Utque solent Nubes cum sol dimoverit atras
 Rusticus immensos natus perferre labores
 Abditus ut Tuguri fuerat sub tegmine dudum
 Quo fugeret fulmen, aut lapsum ab Æthere Nimbum
 Constratos conspicere agros, longosque magitus
 Edere, cum fractam conspexit grandine messem,

Qua

Qua sibi jam ravidam sæpius promiserat ante
 Pellere posse famen; quod cum devenerit illuc
 Vociferans luctu subitus se proripit illuc,
 Atque utrum, dixit, non sint ea semina frustra
 Sparsa solo, scissusque incurvo Campus aratro
 Atque ubi hæc fata trita videt, proh questus ad auras
 Efflat, & exullulans mortem execratus iniquam,
 Quæ sibi non properet spatium præscribere vitæ.
 Sic Acies postquam populati Mænia Ruris
 Contingunt illuc, nunc huc vestigia flectunt,
 Cuncta gemunt, quia cuncta simul vastata videre.
 Interea Armigeri, seu vivi fontis aquandi
 Armentum fluctu, seu læto gramina Prato,
 Causa fuit, pabulare agris spaciantur apertis
 Quispiam & ferro verbenas messas adunco
 Tectus fronde caput conspectum sentibus hostem
 Prodidit, & rugiens, qui circum Prata vagantur
 Hos in bella ciet, cædisque cupidine flagrat.
 Cunctatio nunc omnis abest, furit hostis amarus
 Puniceo atque aridas madefacit * sanguine terras;
 In tergumque graves fugientibus ingerit hastas.
 Nuncius ad Regem facta, atque infecta reportat:
 Hostis, heu, Hostis adest, cuncti impedimenta relinquunt,
 Et properent miseris, quos summa pericula terrent,
 Inferre auxilium, vel si fortuna negarit,
 Atque alios miseris casus pararit Amicis
 Condantur merito saltem sua membra sepulcro.
 Talibus imprudens animos deprefferat omnes,
 Arma sternunt, mixtoque expectant bella timore.
 Castra exit Gonzagus acer, quo corpore major
 Non fuit in Castris, nec ad horrida promptior arma;
 Huncque alii subito, nullo remeante, secuti
 Cornipedem Carolus, cui frons insurgeret alba
 Insidet, & lato dextram munit optimus ense;
 Impatiensque alium præ se certare priorem,
 Quadrupedis pronus præssis calcaribus armos
 Confodit, primoque adorto tempus utrumque
 Transforat, atque tenuis capulo gladium omne recundit,
 Arphontis craneo, morti quoque lumina damnat.
 Eripit hic enssem picti quoque vincula coni
 Vulnerat Astulpho, sectumque extendit arena.
 Optimus interea Regum Detesalvus Acestum
 Qua se complectens solita est convertere zona
 Dividit ecce furens, frustumque in Cella relinquit,
 Et partem viridem exanimem demittit in herbam.
 Attoniti trepidare omnes, & pila fugaces

Anecdota Tom. I.

Si

Coni-

* infundit.

Coniciunt partim, partim tela omnia torquent.
 Fortunamque nolunt manibus probare cruentis
 Aut si vulnifico fuerit sibi Marte cadendum
 Est animus læthum saltem cum laude patiri.
 Ergo ineunt pugnam, spesque est sibi dextra salutis
 Præsentique animo salienti sanguine terras
 Commaculant, sternuntque hostili corpore campum.
 At Detesalvus amens, postquam se legit in armis
 Acrius insurgit, tentoque Umbone parantem
 Sustinere aciem gladii transfodit Adelphum
 Per crates, cordisque, icit penetralia ferro.
 Nec mora Marsilius Superum contemptor, ut illum
 Sanguine sædantem Pratum conspexit, adacta
 Vulnerat Astorem læthi super illia clava.
 Tum vero exarsit subitus Detesalvus, & ira
 Concitus: heu pœnas, dixit, persolve doloris
 Quisquis es o nostri; tum fulmen vibrat, & illum
 Percutit, inque femur decissa casside mucro
 Decidit, eque uno volucer duo corpora fecit.
 Tum vero ut fibras, cerebrumque, haustumque cruorem
 Aspiciunt; stant ecce Comæ, & vox faucibus hæret.
 Nunquam aliter vidi vivacem currere Cervum,
 Si cupiat Pardi celeres excedere saltus
 Tigridis, aut morsus ircano effugere lupo,
 Quam postquam Regem miseri videre peremptum
 Heu! totos fundunt cursus, morsque undique præsens
 Cernitur, ad portas longo agmine protinus itur.
 Nec segnior Venetos retinet mora, sed simul omnes
 Concurrunt, alasque duas Præcursor amarus
 Avertit, victisque jugum Detesalvus adaptat.
 Conclamitant juvenes: belli commercia tolle.
 Rex Detesalve procul, cunctos trucidemus ad unum:
 His dictis, gladios stringunt, mortemque minantur,
 At pius, in medios, victis miseratus amicis
 Profiluit, tantasque extinxit cordibus iras.
 Jamque inauditus quatiebat sydera clangor
 Armorumque sonus. Venetos quoque porta tenebat.
 Armati ad portas Cives jam cuncta timentes
 Concurrunt, sphæricumque implent Cælum omne querelis.
 Heu! heu! congeminant Matres, vastosque molares
 Devolvunt muris, & tela micantia jactant,
 Devovuntque hostem, toriens qui limina pulset.
 Jamque revocati victrici a pugna Manipuli
 Adveniunt Venerum, qui illos ad Castra retorisit
 Hector, & indomitus, fortisque Tibertus euntes
 Associant, feri ruerent si in terga, feroces

Infu-

Insubres populi, ut militum tutela resistent.
 Vix dum contigerat celeri Tentoria planta
 Gens Venetum, & fellis exonerarat Equorum;
 Garlani, cum longa manu comitante, Sacerdos
 Adfuit, ingenti Vir qui auctoritate, gravique
 Nigro vectus Equo signans vestigia gressu;
 Albidus ora parum canos detonsus aniles,
 Tristiaque ora gerens, naso venerandus adunco.
 Ut primum ad Veneti ventum est tentoria, Regem
 Jubet esse salvum, dextraque acceptus amica
 Colloquium cunctis belli cum Regibus, orat;
 Et facile exorat, Regesque ad testa citati
 Procedunt, doctique implent tentoria Regis;
 Conscenduntque thoris, & rectis auribus adstant.
 At coram postquam est concessa licentia fandi
 Depositos paulum sursum tulit altus ocellos,
 Servata, atque parum tenui ille, silentia voce
 Rupit, & inde sono est semper graviore secutus.
 Si petitis Proceres, quæ me ista in Castra volentem
 Advexit causam, brevibus, si finitis, edam.
 Legus ab iis, qui summa tenent Montana Colonis
 Advenio, & pacis jungantur fœdera, quæro.
 Est optata diu Venetum justitia lassis;
 Sunt dulces colles nobis, sunt Oppida bello
 Credite sunt, Proceres, quæ conducentia vestro
 Finitima & nostris Leugum confinia ponit;
 Turrigeroque altum contigit vertice Cælum;
 Cui si fræna potest Venetum prudentia victo
 Nectere, non pigeat cæpti, passique laboris.
 Si cupitis forsam Veneto mucrone Philippum
 Debellare Ducem, vulgi vix summa resistet;
 Tutior obsidio est, & inedia agitare voraces
 Aptior, & nullus locus intercludere annona
 Insubres, cunctosque satis arcere, fameque
 Irretire Urbem, quam sit quæ Regna paramus
 Dux Marcelle tibi, Castris quoque subdimus, ultio.
 Insuper & Patria est crepitantibus utilis armis,
 Est pabulum, atque Ceres, vallatas cernis aristas
 Jam pullulare, parum patula stant arbore poma,
 Immatura virent pendentes vimine glandes;
 Sunt & aquæ dulces, rapido sunt agmine fontes,
 Est Lacus; est animus jussis parere paratus,
 Auxilioque omni, rebusque, armisque juvare.
 Quare agite acciti, Regno succedite nostro.
 Finierat Senex. Socios Rex invocat, annis
 Pleni omnes, incunt onerati tempora pelle

Balantis Pecudis, furas caprina tēgebat;
 Justius ut Ruris possent prudentia dici.
 Postquam introgressi, cervices tegmine nudant;
 At prudens, densa solitus qui orare sub Ulmo
 Sgucius horrenti callis velamina palma
 Pectoribus rigidis deduxit, & inquit: Amici
 His nos donamus vitis, proque omnibus unus
 Ipse loquar tardus, sed vos expendite mentem.
 Dux Marcellus ad hæc parva oratione secutus
 Laudibus extollit redimitum tempora vittis
 Mox alios pariter, tum se Venetumque Senatum
 Fore sui memorem, obliquum dum circuet orbem
 Phæbus, & in falso natabunt gurgite Pisces
 Promittit, testesque Deos, Parcasque precatur.
 Tunc secum jubet esse Viros cænaque, Thoroque:
 Obsidis & nomen sub hospitis arte recondit.
 Jam Dux Marcellus sanctum de more Senatum
 Liquerat, æccensis facibus cum cæna parata
 Conscendunt, lautisque implentur dapibus omnes;
 Miranturque Virum facilem, tenuique suffurro
 Exultant, Cælo Regem quoque laudibus æquant.
 Atque Thoros tandem mensis, præssere, relictis.
 Mane erat, & dumis latitans Philomela nefandum
 Deslebat facinus, tignis quoque pendula Progne
 Terribilis Nati rubefactum sanguine guttur
 Cantibus instabat, furiosæ conscia culpæ.
 Cum subito armatus, Dux invictissimus, alas
 Educit castris, & culmina frondea flammis
 Incendit, siccis furit, atque immurmurat escis
 Vulcanus, fumeosque globos agit æthere aperto,
 Absconditque Polum, summæque cornua Lunæ,
 Illustratque novo flammarum lumine, terras.
 Oggionum, longis, relevans sermone laborem
 Tangere itineribus contendit; fortia condam
 Gesta canens, cum quæ pulchræ subposta Cremonæ
 Mæniæ, Soncinum, Coumque ingens Romaenengum,
 Et Fontanella domuit, parvamque Ripaltam,
 Atque duas, quas ripa hostis multo opere Turres
 Struxerat, & forti complerat milite, & armis.
 Heu quantos, dixit, perverso sydere casus
 Pertulimus! tunc cum Soncini vicinus Urbem,
 Millibus armatam multis, Cerere, atque Lico.
 Contulimus quotiens dexteris, crudelibus arvis
 Sævit Hiems & dira nimia regnavit Herinis.
 Undique pugnatum est, quantum vix credere quemquam
 Posse putes, sed enim demum domat omnia virtus.

Tunc

Tunc ego aquæductum rupi, cuneosque paravi
 Immisque Viros clypeo, & splendentibus armis;
 Et tandem domito conieci vincula collo.
 Tum me Cassanum sensit, flumenque superbum.
 Oggionum interea attingunt, & mœnia musso
